AD TIT. DE DIUERSIS REGULIS JURIS, IN DIGESTIS ULTIMUM, ...

Johann Kahl, Giovanni Battista Coccini

2

AD TIT.

DE DIVERSIS REGULIS JURIS, IN DIGESTIS ULTIMUM,

Notæ ex præstantissimis huius æui ICtis, CVIACIO, FABRO, GOTHOFREDO, PACIO, & aliis, collectæ, & inter se collatæ: nec non ad CAII Institut. & ad XXIX. Tit. VLPIANI in fine adjectæ.



Editæ studio

JOHANNIS CALVINI, Juris Doctoris, & in Acad. Heidelb. Professoris.







Ex Legato Illustrissimi Forcini

FRANCOFVRTI,

Typis IOANNIS BRINGERI,

Sumptibus Iacobi Fischeri.

M. DC. XII.



GENEROSIS, NOBILISS. ET MAGNIFICIS Dnn. Bernhardo Dionysio Petrzwaldsky à Petrzwald, Generosi Dn. Hanussu Petrzwaldsky à Petrzwald, in Raczycz, Swietlow, Petrzwald & Prussy, Regis Hungariæ consiliarij, filio,





Bernhardo Skrbensky à Hrzisstie, Generosi Domini Iaroslai Skrbensky à Hrzisstie, in Kuneczicz, Gottschdorff, & Schönaw, Ducatus Teschinensis Mareschalli, filio, Dominis ac fautoribus plurimum colendis.



Vbiecta huius tituli materies eiusmodi est, vt vel mediocriter cognita, seipsam probè commendet: Generosi & Magnifici Domini, fautores plurimum colendi.

Quippe traduntur hic Regulæ Iuris. Tametsi autem generali & lata significatione leges quoque appellatione Regulæ continentur: sic n. l. 2. in fin. D. de ll. *Lex definitur iustorum & iniustorum regula: speciali tamen & huic loco conuenienti significatione* Regulæ Iuris *sunt variæ ex omnibus iuris partibus excerptæ sententiæ; seu maximæ & axiomata variarum rerum, quæ eodem se modo habent, eodemque iure censentur: adeoque breues comprehensiones iuris, omnibus eiusdem generis rebus subiectis, quo ad æquitatem, in thesi competentis. Cuiusmodi regulæ & Aphorismi (vt* Hip*pocratea phrasi vtar) summam in omni scientiarum genere vtilitatem præstant. Et in hoc quidem titulo, Pandectis in fine subiuncto, omnia penè, quæ in superioribus Digestorum titulis dicta, & in*

ceteris

ceteris iuris partibus latißime hinc inde quasi sparsa & disiecta sunt, veluti compendio quodam comprehenduntur. Jus certè naturæ, & naturalem æquitatem, hæ regulæ non parum illustrant & confirmant. In iudiciis strepituque forensi, vtilißima huius tituli materia est tum iudici, tum partibus litigantibus. Etenim Iudex in sententia ferenda temere à regula discedere non debet, l. ab ea parte. ff. de probat. l. suos quoq; 4. §. puto recte. de hered. inst. *litigantibus vero tantopere seruit, vt, si regulam Iuris pro se habeant & adducant, intentionem suam fundatam habeant: Ideoque in aduersarium, qui exceptionem aliquam regulæ prætexit, onus probandi transferant; quæ probatio si ipsum defecerit, Regula palmam ferre debet,* arg. l. 4. §. 1. *ibi, Propter quæ*

ad generalem definitionem recurrendum, ff. de hered. inst. Menoch. lib. 1. arbit. iud. quæst. cap. 70. nu. 108. & c. 91. nu. 16. Couarr. 2. Variar. resolut. cap. 12. n. 4.

Nec obstat, quod omnis regula suam quandã patiatur exceptionem: Etenim exceptio firmat regulam, eiusque naturam & generalitatem tuetur, in casibus non exceptis. Proinde exceptio regulæ, non est vitium regulæ; sed potius secretum quid ac remotum à regula, in vnico forte casu. Et in Politicis regula vniuersalis, est vniuersale practicum, quod ob admirabilem casuum, factorum, & circumstantiarum varietatem, facilè exceptionem quandam, in casu forsan vno vel altero, admittit, regula interim ipsa semper salua.

Vt autem istiusmodi maximarum

ſeu axiomatum in iudiciis vtilitas tanto plenius percipiatur, attendere conuenit, duo cauſarum genera in iudicia deduci. Vnum earum, quæ non niſi ex ſpeciali legum authoritate veniunt decidendæ, in quibus iudex non aliter iudicare poteſt, quam legibus, conſtitutionibus, aut moribus proditum eſt. Inſt. de offic. iudic. in princ. *quas ordinarias appellamus. Alterum earum cauſarum eſt, in quibus ob defectum legum, ius arbitrio iudicantis permittitur definiendum: quas nunc extraordinarias, nunc arbitrarias cauſas nuncupamus. Et hoc eſt, quod* c. vnaquæque. §. fin. 13. quæſt. 2. *dicitur: Quæ legibus definita ſunt, mutare non licet. quæ autem legibus expreſſa non ſunt, arbitrium ſequuntur humanæ voluntatis. Pro hac cauſarum varietate, præcepta quo-*

que iuris distinguuntur, vt alia leges sint, alia regulæ & rationes. Leges ordinariis potißimum causis decidendis seruiunt. Regulæ arbitrium iudicis instruunt; ideoque præcipuus harum vsus est in causis & iudiciis extraordinariis & arbitrariis. Non tamen nullus etiam in ordinariis: nam rationes legum nil aliud sunt, quàm regulæ iuris, quæ mentem legum explicant. Quocirca non est par legum ac regularum authoritas; siquidem legum authoritas necessaria est, à qua iudici recedere non licet: regularum probabilis tantum, à qua iudex causa cognita recedere potest.

Sed de his nil attinet, plenius nunc ad Generosam vestram, & Nobilißimam Magnificentiam præfari: quippe cum domi habeatis virum eximium ac literatißimum, Dominum W*enceslaum Bersium,*

ſium, Ephorum fidiſsimum, qui hæc & ſimilia fuſius ſuo tempore explanabit: nec immerito: præſertim cum haud dubie aliquando magni iuris & æquitatis patroni ſitis futuri. Deum precor, vt Generoſam veſtram Magnificentiam, tanquam ſingulare Decus & Ornamentum Academiæ noſtræ, diutiſsime florentem & incolumem ſeruet. Heidelbergæ è muſeo meo, 26. Ian. Anno 1612.

Generoſæ V. Magnif.

Deditiſs.

Iohan. Caluinus,
Iuris Profeſſor in
Academ. Heidelb.

8



AD TIT. DIGESTORVM DE DIVERSIS REGVLIS IVRIS, NOTÆ EX CVIACIO, Fabro, Gothofr. Pacio, & optimis quibusq; ICtis aliis selectæ.



Ad Rubricam. *De diuersis regulis Iuris antiqui.*



EX omnibus partibus Iuris, variæ sententiæ & Regulæ hoc titulo proponuntur, id est multarum rerum, quæ eodem se habent modo, comprehensiones breues: vel ex eo quod plerumque fit, rerum definitiones breues. *Paci. hic in princ.* vel, vt alii, ἀξιώματα, petita, postulata. Cuiusmodi regulæ magnã vtilitatẽ in omni scientiarum genere adferũt. Hinc *Vegetius 3. cap. 26.* recenset regulas quasdam generales bellorum. Idem medicis præstant Aphorismi Hippocratis. Eodem fine *Annianus* ex Pauli sententiis quasdam Gothis suis se-

legit, quæ hodie receptæ Pauli sententiæ dicuntur. *Gothofr. hic lit. e. &c.* ¶ Lex autem à regula in eo differt, quod illa dicitur, quam populus certo & cognito omnibus iure constituit: Regula vero, quam Iurisconsulti ex pluribus legum capitibus notatis, inter seque comparatis, elicuerunt: vt non omnino incommode dicere possimus, leges esse tanquam voces, & sonos singulos: Regulam vero esse tanquam harmoniam & concentum. *Hotom. 2. obseru. 4. Pac. hic lit. a.* Hoc tamen notandum; quasdam leges in hoc titulo proponi, quæ neque regulam constituunt, neque ad has regulas pertinent. vti sunt *l. diuus* 28. *l. hæreditas* 62. *l. ea est natura* 65. *l. vbi lex*. 191. *l. Neratius* 101. quæ omnes ab hoc titulo alienissimæ sunt. Nam quod est *in l. 28.* Constitutio est D. Pij, non regula Iuris: aut si ea constitutio est regula, & quælibet igitur alia Constitutio. Eadem causa est constitutionis relatæ *in l. vbi lex*. 101. *& in l. Neratius*. 191. Lex *hæreditas* 62. definitio est hæreditatis: & *l. ea est natura* 65. definitio est cauillationis vel soritis. Hæ ergo duæ leges melius fuissent positæ in titulo præcedente: aut, si hæreditatis, vel soritis definitio est regula, omnis quoque alia definitio erit regula. *Paci. hic in fine. Cuia. in recitat. posthum. ad rubric. h. t.* §. 3. Denique consequens erit, has leges alio remittendas: secus omnes Constitutiones & Definitio-

nitiones, omnia reſponſa, erunt regulæ: quod multo abſurdius eſt, quam affirmare, Tribonianum hic erraſſe, vt aliâs ſæpe: nec tam feſtinanter tam magnum opus à Triboniano confici ita potuit, vt in eo nihil reprehendi poſſit. *Cuiac. in d. §. 3. in fine.*

Iuris antiqui] Ius antiquum hîc non vocat id, quod antiquatum ſeu abrogatum eſt iure nouo: neque quod leges introduxerunt aut Conſtitutiones, ſed antiquam prudentiam iuris Auctorum, vt eſt in *leg. 21. Cod. de furt.* & conſonam Iuriſconſultorum definitionem *in l. vlt. C. Theod. de diuerſ. reſcrip.* qualis eſt regula *Catoniana*, quæ dicitur regula iuris antiqui, *l. vlt. de regul. Caton. & argumento l. qui ſoluendo 42. de hared. inſtituend. l. 29. & pen. h. t.* Cuiuſmodi etiam eſt hæc, Ex delicto defuncti, hæres pœnali actione non tenetur, *quæ eſt hîc 38. & 44.* & dicitur certiſſima regula *§. non autem. Inſtit. de perpet. & tempor. act.* Deterior noſtra conditio per ſeruos fieri non poteſt. *l. vlt. C. de adquir. poſſeſſ.* quæ antiqua eſt regula. *l. 66. hîc*, ſicut & iuri nouo opponitur in *§. ſi vero, Inſtit. de ſatisdationib.* In ambiguis contra vendentem reſpondendum eſt, *l. in contrahenda. 172. hoc titul. & l. veteribus 39. de pactis.* Omnibus iis, quæ pro ſe introducta ſunt, poteſt renuntiari, *l. 156. hîc*, quæ dicitur regula Iuris antiqui, *l. penul. C. de pact.* Hæreditate non adita, ſoluitur omnis

vis Teſtamenti. *l.* 181. *hîc*, quod tradit *l. eam quæ.* 14. *C. de fideicommiſſ.* Hæres hæredis, hæres eſt teſtatoris, *l.* 194. *hîc*: quæ dicitur antiqua *in leg. vlt. C. de hæred. inſtituend.* Seruum à domino & hæredem & liberum ſcriptum, ei neceſſarium hæredem eſſe. *l.* 4. *C. de neceſſ. ſer. hæred. inſtit.* Ea animalia quæ redire ſolent ad locum, tam diu noſtra ſunt, quamdiu reuertendi animum & conſuetudinem habent. *l.* 3. *de acquir. rer. dom. Cuiac. in recitat. hîc in fine. Pacius hîc ante fin.* Quia ergo iam conſtat, regulas iuris, quibus derogatum eſt iure nouo, nullas hoc titulo proponi: etiam hoc non omittendum, non omnes receptas regulas iuris antiqui hoc titulo contineri. Sunt enim omiſſæ plures. vt, *Noxa caput ſequitur*: quæ non eſt in hoc titulo; eſt tamen regula iuris antiqui. *L.* 1. *in fin. de priuat. delict.* Pacta contra bonos mores non valent, *leg. vlt. C. de pact.* Ius publicum priuatis pactionibus non infirmatur. *l. ius publicum* 38. *ff. eod.* Falſa demonſtratione legatum non perimitur. §. *huic. Inſtit. de legat.* Per ſeruum hæreditas non acquiritur, *l.* 1. §. *veteres. de acquir. poſſeſſ.* Petitori incumbit neceſſitas probandi. *l.* 1. *C. Theodoſ. de fide inſtrum.* In exceptionibus reus probat. *leg. cum de indebito.* 25. *de probat.* Ex pacto nudo non naſcitur actio, *l.* 8. *de pactis.* Facti ignorantia non nocet, iuris nocet. *leg.* 1. *de iur. & fact. ignor.* Quibus dominis legari poteſt, eorum etiam

iam ſeruis poteſt. *l. ſi mihi & tibi* 12. §. *regula.* 2. *de leg.* 1. In rem ſuam auctor tutor eſſe non poteſt. *l.* 5. *de auctor. tutorum.* Libertas adimi non poteſt, ſi liber hæres ſcriptus ſit, *l. ſi ita ſcriptum* 13. §. *regula. de lib. & poſthum.* Furtum non committit, qui rem voluntate domini contrectat, *l. ſi quis ſeruo* 20. *C. de furtis.* Is, qui habet aduerſus alios actionem furti, ea teneri non poteſt, *l. apud antiquos* 21. *C. de furtis.* Is tenetur petitione hæreditatis, qui pro hærede vel poſſeſſore poſſidet. *l. regulariter.* 9. *de hared. pet. Cuiac. in Recitationib. poſthumis hic.* §. 1. Cui adſtipulatur *Paci. hic circa princip.*

Ad l. 1. incip. Regula.

Regula eſt, quæ rem, quæ eſt, breuiter enarrat. non ex regula ius ſumatur, ſed ex iure quod eſt regula fiat. Per regulam igitur breuis rerum narratio traditur: &, vt ait Sabinus, quaſi cauſæ coniectio eſt; quæ ſimul cum in aliquo vitiata eſt, perdit officium ſuum.

Rem quæ eſt] id eſt, ius quod in ipſa re controuerſa ſequi oportet: vel cauſam generalem, qua moti ſunt prudentes. Nam regulæ de facto non reſpondent, ſed de iure, vt infra *Goth. h.*

Breuiter] id eſt generaliter: idque ex iure in variis partibus iuris conſtituto ac recepto (*Dynus ad cap.* 1. *in ſexto eo.*) & plurium legum conſenſio-

sensione, *Hotom. ibi.* ita vt nihil sit superfluum, nec tamen obscuritas inducatur: Id si contingat, breuitas est laudanda *v. l. 37. C. de donat.* etiamsi difficile sit regulas ita componere, vt omnino absolutæ sint ac perfectæ. *l. 202.* ĩ *eod.* Est igitur regulæ proprium, non vt semper signum habeat vniuersale affirmatiuum, vel negatiuum, aut indefinitum, vt *Dynus* putat, sed vt breuiter primaria consilia, primariam rationem iuris controuersi decidendi præbeat. Exempla huius breuitatis varia extant in hoc titulo. *Gothofred. in notis hic lit. g.*

Non ex] Non vt ex, *Pacius* legendum esse dicit, & *Gothof. h.*

Non vt ex] Ius antiquius est regulâ, cum ex eo regula nascatur. Ius, ipsa est æquitatis materia: regula est eius quasi forma, & adaptatio: sicut aliud ædificium, aliud architectonice. ex ædibus immediate habitatio percipitur, mediate ex ipso artificio: ita dici quoque potest, ex regula ius sumi. *Gothofred. hic lit. i.* Quod sine exemplo haud facile potest intelligi. Regula est: *Inuito beneficium non datur*; Libertas est beneficium. An ergo non dabitur inuito? Sic sane, si videl. ex illa regula ius sumatur. Et tamen constat, dari inuito. *l. vlt. C. de manum. testam.* Non est igitur ius sumendum ex regula, sed videndum ex quo iure sumpta sit. Inscriptio autem hic indicat, ad assignationem liberto-

bertorum pertinere eam legem. Item regula eſt, *Deteriorem conditionem noſtram per ſeruos fieri non poſſe l. melior.* 133. *eod.* paciſcendo ſcilicet, vel iuſiurandum deferendo. Atqui delinquendo poteſt; quia dominus ſeruum noxæ dedere cogitur, *l.* 1. § *quod igitur. de vi & vi arm.* Ergo ex illa regula ius non eſt ſumendum, ſed ex quo iure (proximo ſcilicet immediate) regula ſumta ſit, videndum, & ad illud ius ſolum referenda eſt. Ius enim prius regula, ſicut ſermo prior eſt regula, & ſtudio loquendi. Proinde regulæ iuris, quæ in hac diſciplina interuenerunt, ius non conſtituunt, ſed ad ſuum ius referendæ ſunt. Itaque leuia ſunt argumenta, quæ deducuntur ex regula iuris, & pernicioſa: Deniq; ex his non eſt facile argumentandum. *Cuiac. in recitat. poſthum. ad hanc l.* 1. *in fin.*

Sed ex iure] Id eſt regula, niſi ius aliquod præiacens habeat, regula eſſe non poteſt. Ius autem illud eſt vel ſtrictum, vel æquum ac bonum. Æqui obiecta ſunt, honeſtum, natura, vtile. Vtile vero aliquid ſæpius eſt fictione, repræſentatione (ſic dolus poſſeſſionem, rem, conditionem, factum: culpa rem: factum ſeu perſona, factum aliud, rem aliam, aliã perſonã, repræſentat) præſumptione, coniectura ſeu interpretatione, non captioſa nimirum, ſed ciuili. Hinc interpretatio ſumitur ex natura rerum ipſarum, puta genere, ſpecie, toto, partibus,

tibus, ab eo quod plus est, & minus, principali, accessorio, priuatione, habitu, signis, verbis, & mente, id est obscuro, seu ambiguo; quo in genere præsumtio sumitur pro authore, pro eo quod verisimilius est, pro rei præsentis oportunitate, pro consuetudine, pro eo quod est benignius, vel fauorabilius; idque maxime cum agitur de libertate, dote, Testamento, iudiciis, contractibus, pœnis, lucro, onere, maiori parte, inter fiscum, & priuatos, de tacito & expresso, vbi agitur de actus conseruatione, de coniunctis & disiunctis, de odio & fauore, de duobus malis, de initio vtili, vel inutili, de iure nouo. *Gothofr. hîc lit. a ex Iohan. Ramo.*

Quod est] Ne dicas *negotij*, sed (quia rei vocabulum latissime patet) iuris.

Rerum] quæ iure constitutæ sunt. *Paci. hîc.*

Narratio] Hæc erat breuis explicatio causæ, ac veluti summa comprehensio, quam actor in iudicio faciebat, antequam ad aduocatos, & ampliorem disceptationem deueniretur. *Paci. hic.*

Coniectio] id est, iuris in breue coactio, quod fit à litigantibus, qui per indicem iudici litem exponunt. *Cuiac. in Recitat. hic.* Nam *causam conicere*, est argumentum rei breuiter & summatim iudici exponere. *Cic. ad Heren. lib. 2. Gell. lib. 17. c. 5. & lib. 5. c. 10. & Asconius Ped.*

Ped. 3. *Verr.* Vt igitur coniectio, causæ summam continet: ita regulæ earum rerum, quæ iure constitutæ sunt, breuiaria atque summas complectuntur. *Paci.hic.* Alias vulgata lectio habet coniunctio, sed male. Est enim metaphora sumpta ab oratoribus, qui vel in principio obiter summam totius causæ coniiciunt, vt attentiorem faciant auditorem, vel in fine, vt eum memorem dimittant. *Iohannes Ramus.* Est igitur ea legis huius sententia; quod est causæ coniectio inter Rhetores, id regula est inter Iurisconsultos. Illa, iura omnia litigatorum in summam aliquam contrahit, hæc (vt sic loquamur) succum elicit, & (vt Alchymistæ loquuntur) quintam essentiam exprimit. Hæc *Hotom.* 2. *obseru.* 3. Coniectio igitur vocatur, quia ex regula æquum coniicitur, non aliter quam ex signis factum.

Vitiata] puta, quia male & perperam est cõcepta, non quia exceptiones habet. Nec enim exceptio vitiosum quid continet, sed quid potius secretum, aut remotum à regula, quam exceptio declarat, & in ea declaranda officium suum facit. *Hotom. ibid.*

Perdit] vt in fabrica, si praua est regula prima, omnia mendose fieri, atque obstipa necesse est. *Lucretius: Hotom. ibid.* Perdit igitur officium suum, atque energiam, qua rem, quæ est, enarrat, siue eius enarratione rem (hoc

est, substantiam rei, de qua quæritur) perstringit. Deinde regulariter enarrandi officium præstat. Irrita enim fit sæpissime regula ob diuersitatem circumstantiarum, vt eleganter *Iauolenus in l. omnis definitio. eod.* docet. quæ lex regulam vocat definitionem. Omnis ergo regula lubrica est, non certa, non perpetua, quia facile subuertitur. Ius quidem est, lata significatione; nam scientia procedit ex necessariis. Iuris definitio nulla est perpetua. Accursius tamen in dicta *l. omnis.* quasdam exceptiones ponit, quas refert esse certas, vt impuberem Testamentum facere non posse: ast ea subuertitur: si impuberes, tribuni militum fuerint, *l. vlt. C. de Testam milit.* Item, si vitam cœlibem elegerint, constitutione Constantini, quæ est apud *Sozomenum.* Aliud. Liberum hominem non posse vsucapi: subuertitur, si vxor sit; & ante anni finem tres noctes à marito non abfuerit. Nam vsucapietur. Cæterarum regularum, quas affert Accurs. non est melior conditio. Denique omnis regula iuris cum periculo enuntiatur: modica enim obiectione aut circumstantia destruitur: qua de causa modeste enuntiare quidam solent, mihi videtur, plerumque, fere. Imperiti longe aliter: nam omnia temere affirmant. *Cuiac. in Recitat. posth. hic circ. med.*

Ad leg. 2. De fœminis. 1. De impubere.

FOeminæ ab omnibus officiis ciuilibus vel publicis remotæ ſunt: & ideo nec iudices eſſe poſſunt, nec magiſtratum gerere, nec poſtulare, nec pro alio interuenire, nec procuratores exiſtere. Item impubes omnibus officiis ciuilibus debet abſtinere.

Officiis] id eſt functionibus. Fœminæ enim neque publicis neque ciuilibus officiis fungi poſſunt: & ſic eſt receptum moribus. *l. cum prætor. 12. §. vlt. de iudiciis. l. 1. ad SC. Vell.* Officiorum autem vel publicorum vel ciuilium ſignificatio latiſſime patet. Nam & ad munera pertinet, veluti iudicandi poteſtatem, hoc eſt iudicis munus. *l. vltim. §. iudicandi. de muner. & honor.* Et ad honores reip. velut magiſtratus, operas, & miniſteria omnia Reip. vtilia, vt officia argentariorum vel numulariorum. *leg. argentarius §. 1. de edendo. Cuiac. in recitat. hic in princ.*

Ciuilibus] id eſt, virilibus, *l. 1. §. 5. de poſtulando. l. 18. C. de procuratoribus.* in quibus opera & miniſterium requiritur. *l. 12. §. 2. ff. de iudiciis. l. 1. §. 1. ff. ad Vell. l. 13. de vacat. muner. Goth. h.*

Publicis] id eſt, honoribus & muneribus publicis, *l. 6. ff. de cap. minutis. l. 78. de iudiciis.* aut perſonalibus. *l. 3. §. 3. ff. de muneribus.*

aut

aut corporalibus, *l. 18. ibi, tertio officium. de verb. signif.* Aliud est in nudis dignitatibus. Nobilitatem enim vel à patre, vel à maritis, accipiunt. *l. 8. de Senatoribus. Gothof. hic.* Differentia ergo est inter publicum & ciuile officium, argum. tutelæ, quæ dicitur ciuile munus, *in pr. l. vlt. de mun. & hon.* & publicum munus. §. 1. *Instit. de excusat. tut.* Item postulandi officium tam ciuile, quã publicum dici potest, improprie tamen. Nam munus tam ciuile, quam publicum trifariam dicitur: proprie, improprie, non improprie; quæ tria sunt diuersa, sicut doctus, indoctus, non indoctus. Munus Reip. veluti annonæ subleuandæ causa proprie est munus publicum: tutela, non improprie; postulandi, improprie: sicut argentaria, & procuratio, & arbitrium, quæ officia non nisi volentes subeunt. Munera autem quæ proprie & non improprie publica sunt, inuitis deferuntur, si non sit excusatio iusta. Verum ab officiis etiam voluntariis fœminæ remouentur, quia remouentur ab omnibus, & cuiuscunque generis, officiis publicis, vel ciuilibus: quod scilicet fas non sit, eas in publicum procurrere, & contra pudicitiam generis muliebris se alienis negotiis immiscere. Sic licet mas domo ab apparitoribus extrahi possit; mulier tamen non potest educi, *l. 1. C. de offic. diuers. iud.* cum proprium sit mulieris in domo se continere.

Huius

Huius autem remotionis duplex eſt cauſa. *Vna*, lenitas, mobilitas, & infirmitas ſexus: & plerumque ipſos homines mobiles faciunt; modo placent, modo diſplicent. In *leg. 3. C. Theodoſ. de raptu virginum*, eſt elegans locus, quem notat Græcus Interpres apud Harmenopulum, dum ait, Iudicium earum eſſe fragile & captioni expoſitum. *Altera* ratio eſt: quia officium mulierum eſt domum curare, & liberos. *l. quæritur* 14. §. 1. *de ædilit. edict.* vbi ait, eas non poſſe ſaluo pudore in publicum procedere, foro, concionibus, vel conſiliis intereſſe: qua de cauſa etiam olim arrogare non poterant. *Vlp. tit.* 12. *Gell. lib.* 4. *c.* 10. Hodie ſecus: quia non fit in comitiis. *l. Nam & fœminæ. de Adoptionib. Cuiac. in Recitat. hic.*

Remotæ ſunt] Non quia non habent iudicium, ſed ipſo ſexu *d.* §. 3. *& l.* 1. §. 5. *de poſtulando*; Iure Romano præſertim & moribus *l.* 12. §. 2. *de iudiciis. l.* 1. §. 1. *ad Velleianum*; remouentur. *Gothof. hic.*

Iudices] quia eſt publicum officium. *l.* 12. §. 2. *de iudiciis. l.* 18. §. 14. *de muneribus.* Hodie vſu & conſuetudine, ſtatuto, Principis priuilegio, hereditaria iuriſdictione mulier fungi poteſt. *Decius hic.* Econtrario quædam cauſæ eſſe poſſunt, vt maſculus à iudicando aliquando excuſetur. *l.* 13. *de vacatione mun.*

Magiſtratum] quia eſt publicus honor, non munus:

munus: adde *leg.* 4. §. 2. *de officio proconsul.*

Postulare] cui edicto Calphurnia causam dedit, vt legitur Florentiæ in *l.* 1. §. *sexum. de postulan.* Sicut Caia Afrania apud Sueton. *Cuiac. in Recitat. posthum. hic.*

Interuenire] id est, fideiubere, constituere, compromittere. quod est Senatusconsulto Velleiano comprehensum *l.* 2. *ad SC. Vell. Cuiac. hic.*

Procuratores] *l. alienum* 18. C. *de procuratoribus.* Sed hæc regula non est prorsus generaliter vera: ergo periculosa. Nam sunt quæ competant mulieribus, *l. pen. C. de his qui num. lib. excusat. merentur, lib.* 10. & licet pro alio postulare non possint: alii tamen petere bonorum possessionem impune possunt. *l. seruus* 7. *de bonor. possessionib.* quæ omnino huic legi secundæ est coniungenda. Fœminarum testimonia in plerisque causis hodie admittuntur, *l. qui Testam.* 20. *de his qui Testamen. fac. poss.* Item, fœminæ pro parentibus procuratrices esse possunt. *l. fœminas* 41. *de Procuratorib.* Adiicit hic Placentinus: id multo fortius esse in filiis; quod Accursius negat, quia iis tutorem debeant petere, tum quidem si filii sint impuberes. Sed si non egeant tutore vel curatore, cur non mater præstabit filiis operam? Nam & olim fœminæ filiorum tutelam facile impetrabant à Principe. *l. vlt. de tut.* Hodie ipso iure

sunt

sunt tutrices filiorum, nepotumue, si sint expertes secundarum Nuptiarum: qua de re multæ sunt Nouellæ Constitutiones *tot. titul. Cod. quando mul. tut. off. fung.* Sed quæ iterum nupserunt, non gerunt tutelam filiorum. Similiter impuberes non semper remouentur ab officiis publicis. Nam honores militares gerere possunt. *l. vlt. C. de Testam. militar.* sicut & hodie fit. Ergo & in iis, quæ exposui, regula vitiatur, quæ ex iis, quæ vt plurimum eueniunt, facta est. Non autem ad omnia existimandum dirigi regulam. Fieri enim non potest, vt rerum humanarum constituatur regula certa. Vulgo existimatur huc pertinere quod tradit *l. in multis. de statu homin.* Sed detracta mentione publici officii potest commode sumi exemplum ex *l. 15. §. liberti. 8. de excusat. tut.* Libertus, qui patrono suo senatorio procurat negotia, excusationem habet; secus in patrona. Ergo in hoc deterior est conditio mulieris. *Cuiac. in recitat. h. in fin.*

Lex 3. Non nolle. Velle.

EIus est non nolle, qui potest velle.

Eius] Coniunge *l. 4. de acq. hered.* ex qua potest cognosci vera lectio. *Paci. hic.*

Non nolle] Eius est nolle, vulgata lectio. *Hugo à Porta.* Eius est non velle: quam lectionem defendit Cuiacius *6. obs. 39. & 15. obs. 23.* reprehensus à Roberto *2. recept. 26. & 1. animad-*

nimaduer. 30. defensus ab Antonio Mercatore 1. *Notat.* 30. Velle autem proprie dicitur, qui sciens *l.* 1. §. 3. *ff. de tribut.* nec coactus *l.* 4. ʒ *eod.* iubet, mandat, & imperat, aut expressim approbat. Nolle dicitur, qui sciens nec coactus, expressim vel palam vetat, aut refragatur. Non nolle is videtur, qui tacite approbat, qui sciens patitur, nec expressim fieri iubet; estque inter *velle & nolle* medium. Quod medium non est *velle*, quia palam non iubet: non est *nolle*; quia non refragatur, sed tamen probat. *Non velle*, non est expressim refragari, sed factum tacite reprobare. Non est *velle*, quia non iubet. Non est *nolle*, quia palam non vetat. *Non nolle*, non est iubere, sed approbando pati: (vel tacere ac pati. *Cuiac. in recit. h. t. ad l.* 4. *in fin.*) *Non velle*, non est vetare, sed tamen reprobando pati. *Velle* igitur & *nolle*, est iussio & prohibitio expressa: *nõ nolle & nõ velle*, tacita. Huc res redit, *Velle* potes? potes ergo *nolle*, *vt hic*, secundũ vulgatam: potes etiam *non velle*, secundum Haloandrum, & Græcos, & *non nolle* secundum Florentinam. Econtrario non potes cum effectu *velle*? non videris ergo *nolle*, *l.* 4. *ff. de acquir. hæred. huc adde l.* 37. ʒ *eodem.* Nolle non dicimur, quoties velle contrarium vtiliter non possumus. *l.* 101. *de condit. & demonstrat.* Nolle dicimur, cum contrarium possumus *l.* 17. §. 7. *de ædil. edict. Gothof. hic: adde omni-*

omnino Cuia. in recit.h. tit. ad l. 4. circ. fin. Non dicitur *noluiſſe*, qui errans facit, nec corrigit factum, cum poteſt; ſed dicitur *non voluiſſe*, quia errans facit. At *noluiſſe* dicitur, qui errans facit, & corrigit factum. *Cuiac. ibid.* quia ſcilicet eum pœnitet facti ex errore admiſſi. *Cuia. 5. obſ. 39. in pr.* Tandem hæc lex pertinet ad adquiſitionem hereditatis. Et ſicuti, qui poteſt adire hæreditatem, poteſt & *nolle* adire; quod proponitur in *l. 3. h. tit.* ita econtrario, quod proponitur in *l. 4. de acquir. hered.* qui non poteſt adire, non videtur adire *nolle* & repudiare. Accurſ. ſcribit eſſe diuerſa in *l. 16. & 18. de acquir. hæred.* nolle adire, & recuſare. Male. Nam *repudiare & recuſare* diuerſa ſunt: Repudiatio fit ſolenniter in iure *l. ſicut. C. de repud. hæred.* Recuſatio fit quoquo modo & quoquo iure. *l. recuſare 6. ad Trebell. l. recuſari 95. de acquir. hæred.* Repudiat ſolus heres: recuſat ſolus fideicommiſſarius *l. cogi. 16. §. ſi quis hæres ad Trebell.* Præterea filiusfam. aut ſeruus, nolle adire aut recuſare poteſt *l. filiusfam. de auro & argent. legat. l. 3. C. de hæred. inſtituend.* Repudiare autem non poteſt Hereditatem, & repudiando nihil agit *l. 13. §. vlt. de acquir. hæred.* Et licet aliud ſit, *nolle adire*, aliud *repudiare*: tamen de repudiatione, aditione, & recuſatione, eædem proponuntur regulæ *l. qui poteſt facere. 174. h. tit.* quia qui potuit adire, potuit &

repudiare. *l. 18. de acq. hæred.* quod maxime obtinet in iis, qui hæc suo nomine exsequuntur. Nam tutor, qui rem gerit pupilli nomine, non suo, infantis nomine hereditatem adire potest, repudiare non potest: cuius etiam pupilli, & qui maior est infante, nomine petere bonorum possessionem potest, repudiare non potest. Quia petere, tutori permissum est, non repudiare *l. tutor. 8. de bonor. possess.* Tutor potest administrare negotia pupilli, potest nouare, soluere, solutum accipere, transigere decidendi causa; spoliare, perdere, repudiare non potest. Nam ei tutela commissa est, non ius spoliandi datum. At in iis, qui suo nomine agunt, si quæratur, an possint repudiare: videndum est, an possint adire; si adire non possunt, nec repudiare poterunt. Exemplo est heres, qui sub conditione scriptus, ante conditionem non potest adire. Ergo nihil agit, si ante conditionem repudiet: cuius rei exempla proferri multa possunt *ex tit. de acquir. hered. Cuia. h.*

Lex 4.

VElle non creditur, qui obsequitur imperio patris vel domini.

Non creditur] imo creditur, *l. 26. §. 8. in fin. de pignorib. l. 12. de sponsalib. l. 22. de ritu nuptiarum.*

Obsequitur] *vide l. 4. C. de adulteriis.* Eius qui

qui obſequitur, an actus voluntarius, & ſpontaneus ſit dicendus: an, & quomodo, voluntas coacta, voluntas dicatur, *vide Decium hic.* An iuſſus ſuperioris excuſet à delicto, *v.l.20.de oblig.* An velle dicatur, qui cogitur, *v.Cuiacium 16.obſ.vlt.adde l.142.inf.eod.*

Huius regulæ exemplum ſumamus de ſeruis & filiisfamilias, qui ſunt alieni iuris: nam ad eos hæc lex pertinet, & recte in libris Græcorum ponitur ſub titulo de his, qui ſunt ſui vel alieni iuris. Seruus hereditatem Teſtamento delatam adire velle non videtur, quia ſuo arbitrio eam adire non poteſt, dum paret domini ſui imperio, vel filiusfam.imperio patris, iubentis adire: nec enim ſeruus aliter adire poteſt, vt nec filius ſine iuſſu patris. *l.qui filio.38.§. ſi quis ſeruum, de hered.inſtit.* Denique adire velle ſeruus non videtur, qui adit imperio domini, *l.4.de acquir.hered.* Itaque hic eſt vſus acquirendæ hereditatis; ſi ſeruus adierit iuſſu domini, exſpirat ſubſtitutio vulgaris, *l.3. in fin. de hered. inſtit.* quia falſum eſt, eum inuitum tum adiiſſe & non adiiſſe: vt: ille ſeruus heres eſto; ſi noluerit, Caius heres eſto. Seruus coactus adiit Hereditatem iuſſu domini: ſi liber fuiſſet, non adiiſſet; ſed vt Domino morem gereret, neceſſe habuit adire. Finita eſt ſubſtitutio vulgaris, quia non poteſt dici noluiſſe adire hereditatem, vt qui non videtur etiam voluiſſe.

Respondeo: voluisse quis videtur dupliciter: si velit vltro & sua sponte, quæ voluntas est integra. Voluisse item videtur, si velit cogente Domino, quæ voluntas remissa est. Potest autem cogi seruus, vt adeat. *l.1.§. quid ergo. si quis omiss. caus. test. l. Diuus §. & quatenus. ad L. Cornel. de fals.* Hoc modo voluisse videtur seruus, qui adiit coactus, & heredem dominum facit, & substitutum excludit. *l. si mulier 21.§. vlt. de eo, quod met. caus. l. si patre 22. de ritu N.* Noluisse similiter duobus modis dicitur, & qui vltro noluit, & qui coactus. *l. si seruus. 58. de adquir. hered.* Sic igitur fit, vt diuersa quis ratione, & voluisse & noluisse dicatur. Nam seruus qui coactus adiit, & voluisse & noluisse videtur. Et quatenus dicitur voluisse, exspirat substitutio vulgaris: quatenus noluisse: non exspirat: nam vulgarem tam remissa voluntas, quam integra excludit. Quod si seruus non pareat iubenti domino, nec cogatur adire, non exspirat substitutio vulgaris. *l.3. de hered. inst. Cuiac. in Recitat. posthum. hîc.*

Ad Leg. 5. De furioso, & pupillo.

IN negotiis contrahendis alia causa habita est furiosorum, alia eorum qui fari possunt, quamuis actum rei non intelligerent. Nam furiosus nullum negotium contrahere potest: pupillus omnia tutore auctore agere potest.
Furio-

Furioſus] *vid. l. 1. §. 12. de obligat.*

Pupillus] *vid. l. 43. ff. eodem.*

Hæc lex etiam eſt ex tractatu de acquirenda Hereditate, vt patet ex inſcriptione & coniunctione *l. pupillus. 9. de acquir. hered.* quæ ex eodem Pauli libro ſumpta.

Eſt autem in adquirenda hereditate magna differentia inter furioſum & pupillum. Neuter quidem intelligit adquirendæ Hereditatis cauſam, vtrum deferatur ex Teſtamento, an ab inteſtato, agnationis, patronatus, peculii, an hereditatis, iure; quod tamen requiritur in adquirenda hereditate, *l. ſi is. 22. de acquir. hered.* Decernere etiam neuter poteſt, *d. l. pupillus. 9.* quod tamen requiritur. Inde nomen cretionis. Ad re hereditatem eſt ſuſcipere, & quaſi aditum in eam facere. *l. filius. §. vlt. de lib. & poſth.* Cernere eſt decernere ſe heredem eſſe velle intra tempora deliberationis. *l. is qui heres. 13. §. 1. de acquir. hered. & d. l. pupillus.* Et antequam heres decernat de hereditate, adire non poteſt: (vulgus male legit diſcernere.) Vterque eſt actus legitimus: vterque fit pure tantum ſine die & conditione, *l. actus. 77. hoc tit.* & ſemel tantum *l. ſi ſolus. 80. §. vlt. de acquir. heredit.* Et fit verbis conceptis. *l. eum qui 51. §. vlt. eod. titul.* Et per ſe, non per alium; nec per procuratorem adire vel adquirere poteſt. *l. per procuratorem 90. de acquir. hered.* Et fit teſtibus præſentibus



Cic. ad Attic. lib. 10. Et vtriusque symbolum est digitorum percussio. Omnes fere actus legitimi olim habebant symbola quædam: vt: Immissionis erat palmæ datio, ductio, ictus, colaphus alternatiuus: attrectatio aurium in testium rogationibus, cognitionibus: aditionis, digitorum percussio. Hinc Cicero; digitis concrepuerunt. Et petere & adire bona dicitur. *l.* 1. *C. de Testam. milit. Cuiac. in Recitat. posthum. hic in pr.*

Quamuis actum rei non intelligerent] intelligant vulgar. lect. Neque pupillus, neque furiosus intelligit causam adeundæ hereditatis: magna tamen cum differentia. Nam pupillo propter ætatem præstatur fauorabiliter, vt, si infans non sit, possit adire Hereditatem tutore autore, etiam honorario. *d. l. pupillus.* Nam aditio non est administrationis, sed animi & consilii potius, quam facti: & in adeunda hereditate honorarii tutoris autoritas sufficit. Furiosus autem nec curatore quidem autore adire potest hereditatem. Pupillo defertur hereditas, non furioso, etiamsi sit scriptus. *l.* 1. §. *furiosi. de success. edict.* Per tutorem adquiri infanti hereditas potest, pupillo non potest, hoc est, maiori infante, sed ei peti potest bonorum possessio. Furioso non potest adquiri hereditas per procuratorem, nec peti bonorum possessio edictalis: datur tamen decretalis. *l.* 15. §.

vlt.

vlt. de curat. furioſ. dat. Generaliter autem, *vt in l. 5. proponitur,* pupillus, qui exceſſit infantiam, omnia contrahere poteſt negotia tutore autore; furioſus non poteſt. §. *furioſus. Inſtit. de inutil. ſtipulat.* Eſt etiam differentia inter eos in acquirenda poſſeſſione: eam infans autore tutore acquirere poteſt. maior infante, etiam ſine tutore autore poteſt: furioſus nullo modo poteſt. *Vid Cuiac. ibid.*

In negotiis contrahendis] Negotii contrahendi appellatione aditio hîc comprehenditur. Nam qui adit hereditatem, contrahere videtur. *Cuiac. d. loc. circ. med.*

Lex 6. De eo qui ad alium vult transferre hereditatem.

NOn vult heres eſſe, qui ad alium transferre voluit hereditatem.

Coniunge *l. fuit quæſt. de acquir. hered.*

Heres eſſe] Ex teſtamento, vel ab inteſtato.

Voluit] id eſt, qui re ipſa tranſtulit, vel transferri paſſus eſt. *l. 88. in fin. ff. de hered. inſtituen.* Nam, velle, multis caſibus cum effectu intelligendum eſt. *Gothofr. hic.*

Vt regulam hanc melius intelligamus, eam in hanc ſpeciem redigamus. Scriptus heres omiſit hereditatem, accepto à ſubſtituto ſuo, vel legitimo coherede, pretio, quæritur an videa-

tur pro herede se gerere? Et placet non videri. Nam quod agit pro contraria voluntate, monstrat, eum illud non videri capere iure hereditario, sed mortis causa. *l. qui pretio* 8. *de mort. caus. donationib.* Veruntamen is qui ita omisit hereditatem, accepto pretio: tenebitur ex edicto, si quis omissa causa testamenti, legatariis, vt prior possessor, dum est ipse excutiendus. Denique non videtur pro herede se gerere, sed prætorio iure perinde exsequi tenetur voluntatem defuncti, ac si heres esset *l. si duo* 18. *si quis omiss. caus. testam. Cuiac. in Recitat. posth. h.*

Lex 7. De testato & intestato.

IVs nostrum non patitur, eundem in paganis & testato & intestato decessisse: earumque rerum naturaliter inter se pugna est, Testatus, & intestatus.

Patitur] Imo patitur *l.* 15. *in fin. de inofficioso.*

Paganis] rebus sc. paganis, id est non militis, *secundum Gothof. hic.* Quamuis Cuiac. in Recitat. posth. reprehendat Accursium, quod In paganis, id est, bonis paganis, acceperit. Nam, ait, de castrensibus bonis veterani non poterant pro parte testari, pro parte non, *l.* 13. *in pr. de milit. testam.* Intelligendum igitur de paganis hominibus, idque dicitur ad differentiam militum, qui possunt pro parte testari, & pro parte non-

non. Imo si vnum heredem miles scripserit ex fundo, reliqua bona pertinent ad legitimum heredem *l. 6. de Testam. milit.* Et si miles duos heredes scripserit, vnum ex semisse & alterum ex semisse, primo repudiante, pars eius venit ad legitimum, nec accedit secundo. *l. si duobus 37. de milit. Testam.* atque ita ex parte habet testamentarium heredem, ex parte legitimum. Sicut etiam, si miles ex parte heredem instituerit, non prohibetur alium ex altera parte, & altero Testamento heredem facere. *l. quærebatur 19. de milit. testam.* Plane diuersum est in paganis. Nam si paganus aliquis vnum heredem scripserit ex certa parte: is heres erit ex asse. Causa enim Testamenti in paganis retrahit causam intestati: Item: si paganus duos heredes scripserit ex partibus, vno deficiente, altera pars eius adcrescit. Rursus si paganus duo Testamenta fecerit, prius tollitur posteriore. Nam sicut vnius dum viuit, non possunt esse duo patrimonia. *l. Iurisperitos 39. §. 1. de excusat. tut.* ita etiam mortui duæ hereditates esse non possunt, vna testamentaria, altera regularis. Hereditas autem vicem defuncti sustinet. *l. legatum 116. §. seruo, de legat. 1. Cuiac. in pr. huius R. in Recitat. posthum.*

Testato] *v. l. 6. in fin. de Testam. milit. §. 5. Instit. de hæred. instit.* alias & testatum & intestatum hic legitur.

Decessisse] Decedimus pro parte intestati, si vniuersalis heres pro parte hereditatem potest repudiare, *l. 1. l. 2. de acquir. hered.* item, si portio repudiantis heredis, reliquis scriptis heredibus non adcrescit. *l. 63. de hered. instit.* Ideoque, ne id fiat, ius adcrescendi introductum est. Quid si testator partes omisit? Idem ius erit, siquidem tacite vult eas scriptis adcrescere. Quid si vetuit scriptos heredes adcrescendi iure vti? Hic Gothof. Dynum improbat, & alios, dicentes, nihilominus ius adcrescēdi competere, cum id testator vetuerit. Nec probat Bartoli opinionem *in l. 9. §. si duo. de hered. instit.* totā rem ad causam intestati reduci. Neq; probat id quod Clarus *ait 3. sentent. §. testamentū. quæst. 74.* Testamentū corruere, cum actui, id est Testamento, sit fauendum, vt valeat. Placet ipsi media sententia, in partem non scriptam, heredes ab intestato ex præsumta & collecta voluntate testatoris admitti, ne alioquin actus pereat. *l. 12. ff. de reb. dub.* Nam qui vetat scriptos heredes iure adcrescendi vti, tali prohibitione & Testamentarios confirmat heredes, & ad alias partes vacantes, heredes ab intestato satis expresse vocat, vt iam non ab intestato succedatur, sed ex Testamento. Idem dicendum, si mandauit disertis & expressis verbis, vt partes non scriptorum heredum ad heredes ab intestato deferrentur: tunc enim suc-

ſucceſſio non erit ab inteſtato, ſed ex teſtamento. Statuto tamen aliud conſtitui poteſt; quod notauit Decius *in l. 27. num. 7.* ꝑ *h. t.* Gothofred. *in notis hic & ad l. vlt. de iuriſd.*

Pugna] Conſtitutiones tamen Principum hanc pugnam admittunt in milite, fictione quadam, duorum quaſi hominum hereditatibus factis. *l. ſi certarum* 17. §. 1. *de teſt. milit. l. duorum* 49. *de oper. libert.* Venia enim datur imperitiæ militum, & ponunt hæ Conſtitutiones quaſi duas perſonarum duarum hereditates. At ſi vnum fecit Teſtamentum caſtrenſium, alterum reliquorum bonorum, an poſſit inter heredes iudicium familiæ herciſcundæ reddi? Minime: quia hic ſunt duæ hereditates, Militaris & Pagana. Diuiſio fit ipſo iure: qua de cauſa ſi hereditas tantum conſtat in nominibus, ceſſat familiæ herciſcundæ actio. Fit enim diuiſio ex l. 12. tab. Quia igitur fit, quod duæ hereditates ſint in bonis militum? Id conſtitutionibus eſt inductum fictione quadam. Recte autem I. C. *in l. hereditates.* 19. §. 2. *de caſtrenſ. pecul.* ait: militem ab initio pro parte teſtatum, pro parte inteſtatum decedere poſſe. Ab initio: Nam per querelam inofficioſi Teſtamentum pro parte reſcindi non poteſt. Itaque ex diuerſo in pagano ita conſtitutum eſt, paganum Ab initio non poſſe pro parte teſtatum & pro parte inteſtatum decedere. Nam

paga-

paganus per querelam inofficiosi Testamenti pro parte testatus, pro parte intestatus fieri potest: ita vt vnus idemque sit heres ex Testamento & ab intestato *l. 19. de inoff. Test.* Verum ipse heres scriptus non potest repudiare hereditatem pro parte, sed per alium querela inofficiosi Testamenti agentem potest fieri intestatus pro parte. Nam initio ei accrescit portio *l. vn. § in his* 10. *C. de caduc. tollend.*

Ad leg. 8. De iure sanguinis.

IVra sanguinis nullo iure Ciuili dirimi possunt.

Coniunge *l. 4. de suis & legit.*

Sanguinis] adde & agnationis *l. 34. ff. de pact.* item naturæ, *l. 8. ff. de cap. minut. l. 2. in f. de vsufr. earum rerum. l. 1. § 2. in fi. ff. de legat. præst. § 11. Instit. de Iure naturali.*

Cuiacius h. in Recitat. posthum. Iura sanguinis vocat iura cognationis, & proximitatis: nec abutitur hac significatione *l. qui in adoptionem 23. de adoptionibus*, cum ait: adoptio affert ius agnationis, non sanguinis, hoc est cognationis. *l. vel si sanguine 12. de manum. vind.* Et merito. Nam cognatos vocat sola ratione sanguinis. *l. 2. vnde cognati.* Agnatis etiam idem nomen, eadem familia, eædem imagines; & agnati sunt, etiamsi ex eodem non sunt sanguine vel familia. Et hæc quidem iura agnationis

tolli

tolli poſſunt iure Ciuili: vt filius, dum eſt in poteſtate mea, agnatus mihi eſt, quia ſuus: ſed ſi emancipetur, deſinit eſſe agnatus: non tamen deſinit eſſe cognatus: deſinit eſſe filiusfamilias, non tamen filius: quoniam iura ſanguinis tolli emancipatione non poſſunt, ſicut nec adoptione. Ac ſimiliter frater meus, qui in eiuſdem patris poteſtate eſt, mihi cognatus eſt, & agnatus: ſed ſi emancipatus, ſui iuris fiat, vel tranſeat in alienam familiam, non deſinit eſſe frater & cognatus, deſinit tamen eſſe conſanguineus. Nam conſanguineus non dicitur, niſi qui eſt eiuſdem familiæ *l.* 4. *vnde cognati*, quæ huic legi iungenda eſt. Denique minima capitis diminutione non tollitur cognatio; agnatio tollitur: quia ciuilis iuris agnatio eſt, cognatio naturalis. *l. iuriſconſultus* 10. §. *inter agnatos de grad. & affin.* Ac quo modo natura cognati ſunt, ſiue per mares, ſiue per fœminas deſcendant, omnes ex æquo vocantur ad ſucceſſionẽ pro ratione graduum: Iure autem ciuili non omnes admittuntur. Nam ii tantum qui per mares deſcendunt, admittuntur, & ideo proprio nomine notantur, quo vocantur agnati, hæc enim appellatio eſt ciuilis, hoc eſt, ex l. 12. tab. Secundum naturam Cognatos appellamus; ſecundum ius Agnatos, ad differentiam eorum, qui per fœminas coniuncti ſunt. Denique quia ius agnatorum ciuile eſt, ideo

ideo iure ciuili corrumpitur facile. Nam lex legem tollit. At ius Ciuile non potest corrumpere iura naturalia. Triplex est capitis deminutio: maxima, media, & minima. Maxima aufert ius Gentium & Ciuile: Media priuat ciuitate: Minima affert aliam familiam. Iure Ciuili minima capitis deminutione non tollitur cognatio: media & maxima tollitur. Nam videmus iura sanguinis corrumpi per ius Ciuile. Et ita fit, vt me seruo effecto vel peregrino, mater mea cesset mater mea esse. *l.* 2. §. 1. *ad Tertyl.* Ratio est: quia maxima & media capitis deminutione videtur amitti libertas; vtraque enim morti assimilatur: atque ideo cognatio tam ciuiliter quam naturaliter amittitur. Seruitus & peregrinatio mors est; neq; semel perempta cognatio recipitur manumissione *l. Is qui* 7. *vnde cognati.* Restitutione tamen recipitur cognatio, vt, si peregrinus recipiatur *l.* 1. §. *filio* 4. *ad Tertyll.* Restitutio plenior est manumissione. Manumissio non restituit cognationem: ea enim libertatem tantum facit, non aliud. Accursius hic male iura sanguinis vocat iura consanguinitatis. Nam ius consanguinitatis est fraternitas. Species agnationis sunt fraternitas, suitas, consanguinitas, agnatio. Suitas liberorum est: Consanguinitas fratrum vel sororum. Agnatio eorum, qui sunt ex transuerso. *Cuiac. in Recitat. posth. hic.*

Lex

Lex 9. De obscuris.

SEmper in obscuris quod minimum est sequimur.

Ex l. si ita scriptum 14. *de legat.* 1.

Obscuris] Pertinet ad quæstionem legatorum, *l. si ita scriptum* 14. *in fi. de legat* 1. Sic si fundus Cornelianus legatus sit, si sint duo eiusdem nominis, nec appareat, de quo testator senserit, minor præstatur. *l. cum seruus* 39. §. *scio ex facto. de leg.* 1. Sic si legauit decem aut quindecim, decem tantum videntur legata. *l. si ita relictum* 43. §. *vlt. de leg.* 2. *Cuiac. h. in Recitat.*

In obscuris] scilicet legatorum: item contractuum, pœnarum, non iudiciorum. Attenditur enim in his, quod melius esse potest actori: *vide Decium hic. Gothof. in not. hic* De obscuro *v. l.* 22. *inf. ff. de fideicom. libertat.* [De ambiguo *v. l.* 80. *ff. de verb. obligat.*

Minimum] *l.* 14. *in fin. l.* 39. §. 6. *ff. de legat.* 1. *l.* 43. *in fine ff. de legat.* 2. *l.* 29. §. 1. *l.* 75. *ff. de legat.* 3. *l.* 83. §. 3. *l.* 109. *ff. de verb. obligat.* & quod benignius *l.* 56. ˜ *eod.* verisimilius, aut quod plerumque fieri solet *l.* 114. ˜ *eod.* quod mitius *l.* 4. §. 3. *ff. de suspectis tutoribus. l.* 32. *in fin. l.* 42. *ff. de pœnis.* quod leuius *l.* 51. *ff. de conditionib. & demonstrationibus.* quod vtilius dicenti.

centi. *l 66. ff. de iudic.* heredi, *l. 8. §. 3. ff. de legat.* 2. reo & debitori. *l. 11. ff. de iure dot.*

Sequimur] nisi de legato ad pias causas agatur *l. 38. inf. ff. de auro.* & nisi testatoris voluntas *l. 13. ff. de reb dub.* aut actus contrahentium repugnet *l. 39. ff. de pact. l. 25. l. 34. §. 6. ff. de contrah. empt.* nisi obscurum à iudice declarari oporteat *l. 69. §. 1. ff. de l. dot.* nisi id quod minimum est nullius sit momenti. *l. 37. ff. de legat.* 1.

Lex 10. De commodis & incommodis.

SEcundum naturam est, commoda cuiusque rei eum sequi, quem sequentur incommoda.

Secundum] *Terent. in Hecyr. act. 5. scen pen.*

Commoda] *v. l. vlt. §. 3. C. de furtis. adde 2. Eclog. 3. cap. 11. l. 65. in fine ff. pro socio l. 13. §. 1. ff. de acquir possess.*

Sequi] Consequi.

Referenda videtur hæc regula ad fructuarium *l. vsufruct. 7. §. 1. de vsufruct.* ad hereditatem. *l. 1. de bon. possess.* ad fideicommissarium vniuersalem, cui & in quem omnes transeunt actiones; sicut ad emptorem pertinet commodum & incommodum *l. id quod 7. de peric. & comm. rei vend.* Sic ex facto institoris sentire debemus commodum & incommodum *l. 1. de instit. act. Cuiac. in Recitat. h.*

Lex

26

Lex 11. De translatione Dominii.

ID quod nostrum est, sine facto nostro ad alium transferri non potest.

Pertinet ad tractatum de vsufr. *l. vel inutilem 69. & l. seq. de vsufr.* Fœtus pecorum sunt fructuarii, hoc est, eius qui fructus gregis habet, quia fœtus est in fructu. Ceterũ fructuarius tenebitur ex agnatis pecorib. supplere siue summittere capita gregis, quæ mortua sunt, atq; ita redintegrare gregẽ. Submissa pecora fructuarii esse desinunt, inq; proprietariũ transferuntur, quia gregis fiunt. Igitur vt ꝓprietarii fiant, opus est facto fructuarii, hoc est submissione. Submissio illa non fit iure ipso, sed est facti. Itaque fœtus non desinunt esse fructuarii, nisi ex ipsis suppleuerit. Denique sine facto domini dominum non transfertur. Neque enim nuda voluntate dominium transfertur. *l. traditionib. 19. C. de pactis.* Et sic non nuda conuentione sed traditione dominium transfertur. Vt emptio, quæ solo consensu perficitur, emptorem dominum non facit: traditio autem facit. Itaque id quod venditur sine facto meo, hoc est traditione, ad emptorem non transfertur. Interdum tamen nuda voluntate transfertur dominium. *§. interdum. Instit. de rer. diuis.* Item legatum sine facto heredis vel domini ipso iure

ex l. 12. tab. adquiritur. *Vlp. in fragm. tit. de dominiis l. Legatum ita* 80. *de legat.* 2. Nunquã factum heredis recta via transit. Imo & sine facto & sine voluntate domini, interdum transfertur dominium, scilicet vsucapione & adiudicatione, *vt videre est apud Vlp. d. t. in fragm.* Item in distractione pignoris sine facto & voluntate domini dominium transfertur. In his omnibus regula vitiatur.

Lex 12. De interpretatione testamentorum.

IN testamentis plenius voluntates testantium interpretantur.

Coniunge *l. fundi. de vsu & habit.*

Plenius] *vide l.* 7. *C. de fideicom.*

Interpretantur] Interpretamur *legit Pac.* Alias verbum Interpretandi habet hic patiendi significationem: cuiusmodi multa sunt deponentia, vt *l. à diuo Pio.* 15. §. *sed vtrum* 9. *de re iudicat. Cuiac. in Recitat. h.*

Præsens regula videtur falsa. Nam dictum est *supra l.* 9. quod minimum est, in obscuris sequimur. Videamus itaque quo sit referenda. Est desumpta *ex Pauli lib.* 3. *ad Sabinum*, in quo tractatur de vsufructu legato.

Plenius ICTus non dixit, facta comparatione ad contractus, quasi dicat, Plenius, quam in contractibus, vt falso putat Accursius, sed ple-

plenius, hoc eſt, non admodum ſtricte, vel paulo æquius quam ſtricta ratio fert. *Cuiac. in Recit. poſthum.* Spectemus igitur hic vſum legatorum; nec ſtatuamus perpetuo defunctorum voluntates pleniſſime interpretandas eſſe *Cuiac. ibid. in fi.*

Lex 13. De effectu Exceptionis.

NOn videtur cepiſſe, qui per Exceptionem à petitione remouetur.

Confer *l. 15. 51. 112. 115. h. t.*

Exceptionem] *v. l. 115. in f. infr. h. t. & ibi Cuiac. v. l. 7. §. 8. ff. de dolo.*

Regulam hanc referri poſſe arbitramur ad querelam inofficioſi, vt intelligatur quis proprie dicatur cepiſſe. Qui legatum cepit, repellitur à querela inofficioſi Teſtamenti, à bonorum poſſeſſione contra tabulas. Legatum autem capitur non tantum præſtatione, ſed etiam adquiſitione. Capere eſt adquirere. Sed an videatur legatum capere is, qui id totum alii adminiſtrauit? Minime, & ideo non repellitur à querela. *l. nihil 12. §. penult: de inoff. teſt.* quæ lex loquitur de eo, cui ademtum erat legatum, quem conſtat repelli plerumque ab exceptione doli, vt Accurſ. notauit recte. Sed huic legi locus eſt in edicto de calumniatoribus, *vt conſtat ex l. 115.* Si quis obligatione liberatus ſit, eum videri cepiſſe: non tantum

eum qui pecuniam acceperat, sed etiam qui obligatione liberatus est. *Cuiac. in Recit. h. in pr. & in fin. ibid.* Non dicemus, eum habere actionem, qui exceptione repellitur, si effectum spectemus. Nil interest, an ipsum ius excludat, an exceptio.

Lex 14. De die obligationis.

IN omnibus obligationibus, in quibus dies non ponitur, præsenti die debetur.

Ponitur] alias apponitur.

Præsenti] *v. l. 41. §. 1. ff. de verb. obligat.*

Hæc lex est Pomponij *lib. 5. ad Sabinum*: Sed hæc sententia aperta est; ex stipulatione pura scilicet deberi; nisi locus, modus, conditio, vel ius diem trahat. Nam vt debitum sit efficax, non tantum ex die, sed etiam ex loco datur dilatio: etiam ex modo, & ex reipsa, vt si promittatur partus futurus. *l. 29. l. nemo 55. de legat. 1. l. interdum. 73. de verb. oblig.* Sunt autem valde notanda hæc verba, præsenti die debetur; quibus statuitur, præsenti die non esse soluendum. Nam agi potest confestim, nec vllum datur legis laxamentum. Nam non expectatur, quod dies prætereat, sed statim agitur. *l. liber homo. 118. §. 1. de verb. oblig.* Sed si res promissa non sit in manu, hoc est, in abrupto, à Prætore dabitur eius comparandæ spatium. *§. vlt. Inst. de inutil. stipul.* Citatur in

hanc

hanc rem *l. quod dicimus* 105. *de ſolut.* quæ coniungenda eſt *cum l.* 1. §. *item ſi ita. ad L. Falcid.* teſtator aliquid præſtare iuſſit, ſtatim ab adita hereditate id eſt accipiendum, inquit, non ſine aliquo ſpatio: alioqui cogeretur heres adire cum ſacco & folle, ex quo ſtatim numeraret pecuniam. Sed id ſpatium eſt permodicum & incertum, daturque pro modo neceſſitatis. Citatur male in eandem rem *l. cum militi* 16. *in f. de compenſ.* Nam ea lex non loquitur de hoc permodico ſpatio: ſed de tempore iudicati, legibus definito, quod olim dabatur humanitatis cauſa. *Cuiac. in Recitat. h.*

Lex 15. De effectu actionis.

IS qui actionem habet ad rem recuperandam, ipſam rem habere videtur.

Coniunge *l. eandem* 72. *ff. de legat.* 3.

Actionem] *v. l.* 52. *ff. de acquir. rer. dom. leg.* 143. *ff. de verb. oblig.* Actio in rem, vice rei eſt.

Videtur] repræſentatione, non reipſa *l.* 204. *eod. l.* 15. §. 3. & 4. *ff. qui ſatisdare. vid. l.* 13. *ſup.* & *l.* 115. *inf. eod.* & *ibi Cuiac. hanc legem explicantem.*

Lex 16. De Imaginaria venditione.

IMaginaria venditio non eſt, precio accedente.

Imaginaria venditio dicitur duobus modis.

Si quis vendat vno nummo; quod vere non est vendere. Neq; enim pretium esse existimatur. Imo pretium opponitur nummo *l. si quis* 10. §. *vlt. de acquir. poss.* Deinde nullo pretio accedente. Vt sit venditio, non est necesse, vt pretium soluatur: Potest enim remitti: sed est necesse vt conueniatur de pretio certo. Itaque si conuenit, imaginaria non est. Imaginariæ venditiones nullæ sunt. *l. nuda.* 55. *de contrah. emt. l. contractus* 54. *de oblig. & act. l.* 1. §. *diui fratres* 6. *de quæst.* Et pleræque fiunt in fraudem legis, donationis causa. Vt, lex est, ne vir donet vxori. Itaque venditionem faciunt imaginariã; quæ improbatur. Nam aliud agitur, aliud simulatur. Sic etiam filii dimittebantur per imaginariam venditionem. §. *præterea. Instit. quib. mod. ius pat. pot. solu.* Hereditates vendebantur venditione imaginaria. §. 1. *Instit. de test. ordin.* Vxores ducebantur specie venditionis, qui modus seruatur quodammodo in hac vrbe. Nam nummos aliquot numerat vxori maritus, & ita fit imaginaria venditio, nummo interueniente. Imaginaria etiam venditio est, si quis nomen suum alienæ venditioni emtioni accommodet. *l.* 10. *C. de distract. pign.* Contraria tamen causa plus valet, quod agitur, quam quod simulatur. Interdum tamen hac venditione vtimur. *l.* 4. §. *si ab ignoto. de manumiss.* Regulariter imaginarii

con-

contractus nulli ſunt; imaginariæ apochæ nullæ ſunt. *l.*13 *C. de ſolut. l.*1. *C. Theodoſ. de annon. & tribut. Cuia. in recit. h.*

Lex 17. *De tempore.*

CVm tempus in teſtamento adiicitur, credendum eſt pro herede adiectum, niſi alia mens fuerit teſtatoris: ſicut in ſtipulationibus promiſſoris gratia tempus adiicitur.

Coniunge *l.*10. *&* 13. *quando dies legat. ced.*

Pro herede] *v. l.*15. *in f. ff. de annuis.*

Promiſſoris] *adde l.*50 *ff. de obligat. v. l.*41. §. 1. *in f. ff. de verb. obligat.*

Adiicitur] Aliâs additur. *Pac.*

Pendet hæc tota regula *ex l.*14. *de verb. oblig.* Eſt autem talis regula: in ſtipulatione dies adiectus videtur pro promiſſore. Item, ſolutio differtur promiſſoris cauſa. In teſtamentis autem diei adiectio pro herede eſt. Vbique igitur pro promiſſore, id eſt, debitore eſt. Quamobrem etiam interpretes adiiciunt: debitor ad diem, ante diem recte ſoluit. Nam cum dies eius gratia adiectus ſit, quare non liceat ei hunc diem negligere? Non tantum ſoluit recte, ſed & debitum offert recte nolenti, aut recuſanti accipere. Non liberatur tamen pecunia oblata perempta; quoniam creditor moram facere non videtur, cum ſuo die non offertur pecunia.

Cum igitur creditor, qui ante diem pecuniam accipere non vult, moram non faciat, consequens est, vt non liberetur debitor, etiamsi res perimatur, argumento *l. item illa.* 18. *de constitu. pecun.* Interdum diei adiectio pro stipulatore est: regulariter pro promissore. Interdum pro legatario. *l. si ita.* 43. §. *Pegasus. de legat.* 2. *l. eum qui.* 15. *de ann. leg.* vt verbi gratia: si testator ei, qui rem familiarem tueri non potest, in eum diem legauerit, quo tueri poterit, adiectio erit non heredis gratia, sed legatarii. *Cuiac. in Recitat. posth. h.* Nec videtur donasse, qui ante diem soluit. *ibid.*

Lex 18. De acquisitione.

QVæ legata mortuis nobis ad heredem nostrum transeunt, eorum commodum per nos his, quorum in potestate sumus, acquirimus, aliter atque quod stipulati sumus. Nam & sub conditione stipulantes, omnimodo eis acquirimus, etiamsi nobis potestate domini liberatis conditio existat.

Coniunge *l.* 78. *de verb. obligat.* & *v. Hotom.* 5. *obser.* 3.

Heredem nostrum] aliàs heredes nostros.

Transeunt] vt puta in diem certum relicta *l.* 5. §. 1. *ff. quando dies.* non conditionalia *l. vnic.* §. 7. *C. de caducis tollendis.*

Stipu-

Stipulantes] *v.l.78 ff.de verb. oblig.l.144.§.fi. infr.eod.v.l.11.§.1.ff.qui potiores.*

Omnimodo] id est, etiamsi conditio existat post emancipationem filii, In eo differt legatum à stipulatione. Ex hac adquiritur patri, etiamsi conditio existat post emancipatum filium. Ex illa nō item. *Gothofr.in notis hîc:* quem & vid. *ad l.78.de verb.obl.*

Liberatis] *Pac.legit*, libertate præstita à dominis,&c.

Domini] Hanc vocem domini, Hotomannus expungit 5.*obseruation.2.in fin.*

In hac l. differentiæ duæ inter legata & stipulationes proponuntur. Vulgus vnam tantum proponi dicit. Prima est. Legatum, quod in heredem transmittitur, patri vel domino legatarii acquiritur iure potestatis. Stipulatio autem, quæ in heredem transmittitur, non adquiritur semper patri vel domino, vt stipulatio, ire agere licere. Hæ stipulationes patri vel domino non adquiruntur, quæ personæ filii,&c. cohærent, & factum comprehendunt. §.*sed cum factum 2.Inst.de seru.stipul.* Ex hac stipulatione soli seruo, non domino, & heredibus eius, ire agere licet. Huiusmodi est & electionis stipulatio, qua sibi electionem recipit stipulator. Nam si stipulator prius non elegerit rem in stipulationem deductam, licebit heredi eius eligere, & ita certum condicere: idem

licebit ei etiam, cui ipse cesserit actione *l. si sic.* 75. §. *penult. de legat.* 1. Patri tamen eius vel domino non datur facultas eligendi. Atque ita quæ electio datur heredi stipulatoris, patri vel domino non datur. Sic fit vt differentia constituatur inter stipulationem & legatum in hoc. Per stipulationem collatum factum in meam personam, facilius transfertur in heredem, quam vt per potestatem patri adquiratur. Et hæc est prima differentia quæ proponitur in hac lege. Nam quo casu stipulati fuimus, in heredem transmittimus, non eodem semper in patrem vel dominum transmittitur. Sed hæc prima differentia ne videatur noua, subiicit aliam, nempe hanc: Nam & sub conditione stipulantes omnino iis adquirimus: secus etiam in legatis. Conditionalis stipulatio patri adquiritur, etsi quando post mortem vel emancipationem extiterit. Legatum conditionale non adquiritur, si eius præstandi dies post mortem, vel emancipationem legatarii extiterit. *l.* 78. *de verb. oblig.* Ex qua l. repetita est pars *l. non omne.* 144. *infra h. t.* Filiusfamilias stipulatur sub conditione, emancipatur, deinde existit conditio, actio ex stipulatu patri competit, quia in stipulationibus id tempus spectamus, quo contrahitur. Tempore autem stipulationis stipulator fuit in potestate. In legatis spectatur tempus cessionis, quo dies cedit, hoc est, quo

existit

exiſtit conditio. Hoc ſcripſit Paulus *lib.62. ad edictum*. Ex quibus ambæ hæ ſunt leges. Vtraq; autem lex loquitur tantum de ſtipulatione. Sed ſecus eſſe in legatis, idem Paulus ibidem ſcripſit, *vt apparet ex l.4. de ann. leg.* Stipulatio conditionalis, ſi conditio exiſtat, poſt emancipationem patri competit: filio ſub conditione legatum, non competit patri. *l. legata* 41. *de condit. & demonſtr.* oſtendit legato relicto ſub conditione, heredem heredis teneri pendente conditione: contra tamen legatarii heredi non tenetur heres. Atque ita magna differentia eſt inter legata & ſtipulationes.

Ex quo efficitur: ſtipulationem cedere ex die contractus: legatum autem ex euentu conditionis: in ſtipulatione ſpectari tempus contractus, conditionem vero legati non retrotrahi ad tempus mortis. Ratio differentiæ nondum demonſtrata, hæc eſt. Stipulatio ſiue pure, ſiue conditionaliter interponitur obligationis contrahendæ cauſa ſtatim ita, vt non liceat inuito altero ei ab illa recedere. In legatis autem ambulatoria voluntas. Igitur non ſtatim conficit obligationem. Et ſtipulationem interponimus etiam non tantum vt nobis conſulamus, ſed & poſteris. *l.9. de probat.* Verum facta ſtipulatione cum conditione, etſi contrahentes non hoc aſſequuntur, heredibus tamen proficiet hic contractus, ſi ſtatuamus eius vires

ſtatim

ſtatim conſiſtere ab initio, etiamſi conditio non exiterit. Alia eſt differentia adhuc inter ſtipulationem & legatum. Seruus hereditarius fruſtra vſumfructum ſtipulatur ſub conditione. *l. vſusfructus 26. de ſtipul. ſeruor.* Seruus hereditarius ſcilicet, qui dominum non habet, hoc eſt, iacente hereditate. Iam ſerui hereditarii, neque ipſi perſonam habent. Vſusfructus autem ſine perſona conſtitui nequit. Igitur talis ſeruus inutiliter ſtipulatur vſumfructum. Legari tamen ei vſusfructus recte poterit, quia cedente die legati, adita erit hereditas. Seruus ad prædium domini ſeruitutem recte ſtipulatur *l. ſi vnus. 19. ff. de ſeru. ruſt. præd.* at non recte legatur ſeruo ſeruitus ad prædium domini, quia forte cedente die legati, erit liber, atque ita inutile legatum deprehendetur. Præterea ſtipulatio conditionalis ad tempus contractus retrotrahitur. *l. 2. §. id quoque. de coll. bon.* Pater vero de eo, quod promiſſum eſt filiofamilias, paciſci non poteſt, quia ex eo nihil ſperat. *l. & heredi. 21. §. item filiusfam. 4. de pact.* Itaque hoc eſt certiſſimum, in ſtipulationibus ſpectari tempus contractus; in legatis, conditionis. Vnus eſt caſus, quo prout in legatis, ita in ſtipulationibus, tempus conditionis ſpectatur, vt eſt regula Catoniana. In ſtipulationibus conditionalibus ceſſat regula Catoniana. Finge: Rem meam ſtipulor ſub conditione: ſi ſpectas præ-

præſens tempus, non valet ſtipulatio. Spectare præſens tempus regula Catoniana exigit. Tamen ſtipulatio valet, ſi modo tempore conditionis aliena eſſe deprehendatur. *l. ſi rem meam. 31. de verb. oblig. Cuiac. in Recit. h.*

PAVLVS.

Si filiusfamilias ſub conditione ſtipulatus, emancipatus fuerit: deinde exſtiterit conditio, patri actio competit: quia in ſtipulationibus id tempus ſpectatur, quo contrahimus.

Si] Hæc lex deeſt in Florentina & Haloandri editione.

Emancipatus] *l. 15. ff. de negotiis.*

Lex 19. de conditione contrahentis vel legatarii. De doli exceptione.

QVi cum alio contrahit, vel eſt, vel eſſe debet non ignarus conditionis eius: heredi autem imputari hoc non poteſt, cum non ſponte cum legatariis contrahit. §. 1. Non ſolet exceptio doli nocere his, quibus voluntas teſtatoris non refragatur.

Contrahit] contraxit, vel eſſe vel fuiſſe debet non ignarus, Hotom. *5. obſer.* 8. vtut ſit, lex agit de contractu. An idem in delictis? vtique. *vide Decium hic num. 6. Gothofr.*

Debet]

Debet] Excusat tamen iusta ignorantia *l.* 3. *ff. de Macedon.*

Ignarus] In iis quæ scire possumus, & ignorare non debemus, factum nocet. *leg. pen ff. de Macedon. l.* 48. *ff. de fideiussor.*

Conditionis] id est status, an sit paterfamilias, vel filiusfamilias, seruus vel dominus. *Cuiac.* 7. *obseru.* 36. Hotom. 5. *obser.* 8. hæc legis verba porrigit ad eos, qui vel contrahendi vel distrahendi ius non habent. Superioribus adde illud Senecæ, nomina facturi, diligenter in patrimonium, & vasa debitoris inquirimus. 1. *de beneficiis in princip.* Notandum tamen, quod conditio etiam significet ætatem, mores, fortunam, valetudinem. *l. post. legatum* 5. §. 1. *in f. de his, quibus vt indig. auf. l.* 1. §. *cuius* 4. *de exer. act. & alibi sæpe.* Hic & illud notandum, quod heres soluens legatum seruo, liberetur, si ignorat conditionem: alioquin debuit soluere domino. At non recte heres soluens furioso vel prodigo vel pupillo, liberatur. Pupillo non recte soluitur sine tutore, furioso sine curatore. Itaque qui soluit, non liberatur: quod si ignoret heres, videtur non liberari: quia earum personarum tutor tutelaque exigit, ne liberetur. Interdum vbi cessat condictio indebiti, hæ personæ faciunt, vt competat condictio *l. interdum* 29. *de condict. indeb.* Et hoc ita, si furiosus aut prodigus perdiderunt lega-

legatum. Nam potius fauendum iis perſonis, quam ignorantiæ heredis: earum quippe perſonarum publica eſt cauſa, heredum non æque. *Cuiac. in Recit. poſth.*

Heredi] alias heredi autem eius. *Pac. leg.* 42. *infr. eod.*

Autem] Hæc Sabini ſententia eſt *Cuiac.* 7. *obſer.* 36. Imo non eſt, *Hotom.* 5. *obſeru.* 8.

Sponte] Alias certe contrahit *l.* 3. *in fi. l.* 4. *ff. quib. ex cauſ. in poſſeſſ.*

Cum legatariis] Et coheredib. *l.* 25. §. 16. *ff. familiæ. vid. l.* 5. §. 3. *ff. de oblig.* §. 5. *Inſt. de oblig. ex quaſi contractu.*

Contrahit] ſoluendo ſcilicet: & ita verbum Contrahere hîc improprie ſumitur. Solutio enim eſt diſtractus, non contractus. Heredi ergo non nocet, ſi ignorata conditione, pecuniam ſoluit: imo ne ſcientia quidem ei nocet, ſi mandato teſtatoris ſoluit *leg.* 14. §. 2. *ff. Quando dies. Cuiac.* 7. *obſeru.* 36. Id tamen negat Hotomannus 5. *obſer.* 8. textum ſuperioris ſententiæ requirens. *Gothofr. hîc.*

Exceptio] *l.* 34. *in f. ff. de auro. l.* 15. *ff. de adim. l.* 6. *C. de act. hered. l.* 2. *C. de Iure dotium. adde l.* 4. *inf. ff. de his, quæ vt indign.*

Refragatur] *adde l.* 177. *inf. eod. in fin.*

Poſtremo ſciendum eſt, ad ſuperiores duas differentias interſtipulationem & legatum, de quibus in *l.* 18. proponi in hac lege aliam. Prior ſenten-

sententia huius legis accipienda est de debitore. Ait, qui cum alio contrahit, hoc est, reus promittendi. Huic confertur heres, qui reus est debendi. Reus ergo debendi ex contractu, vel qui stipulanti promisit, ignorare non debet conditionem stipulatoris. Imo, si quis stipulanti filiofam. promiserit, soluere debet patri: quia patris propria est actio, non filii; idemque est in domino. Sed quæritur, si quis stipulanti filiofam. promisit, cum ignoraret eum esse filiumfam. an liberetur? Et placet, non liberari. Hæc ignorantia non vacat culpa: itaque ei soluendo non liberatur, & patri est actio integra. Soluendo igitur filiofam. non liberatur per ignorantiam: quia debuit & hoc dispicere. Fateor, nonnunquã eam ignorantiam iustam esse, *l. 1. de exerc. act.* Potest quis iuste ignorare aliquem esse filiumfam. si sic muneribus fungebatur, vt paterfamilias. Quamobrem is, qui tali pecuniam dedit, Senatusconsulto Macedoniano non tenetur. Sed hoc regulariter non procedit. Similiter vero, si filiofam. legatum sit, heres soluere debet legatum patri: nec potest soluere, nec recte soluit legatum filio, nisi nominatim iusserit testator filiofam. solui; quod eleganter ostenditur *in l. si vsusfr. 13. §. si ita 2. quando dies legat. cedat.* Ceterum si id non iusserit testator, & sciuerit heres, eum esse filiumfamilias? ei male soluit. Quid

Quid fiet, ſi teſtator id non iuſſerit, & heres ignorauerit eum eſſe filiumfamilias? Liberabitur. Ita & hac re diſtat ab herede promiſſor. Cum non ſponte contrahit cum legatariis, ipſe heres ſibi legatarios non facit, ſed incidit in eos aditione: atque ita non poteſt diſpicere de conditione eorum. Ergo ſi heres probauerit, ſe ignoraſſe, legatarium eſſe filiumfam. liberabitur, & pater repelletur exceptione. Ita hæc l. eſt aptanda *l. ſi vſusfr. 13. quand. dies legat. ced. Cuiac. in recit. h.*

Lex 20. *De fauore libertatis.*

QVoties dubia interpretatio libertatis eſt, ſecundum libertatem reſpondendum erit.

Libertatis] voluntatis. *Petrus Faber.*

Secundum] *l. 179. inf. eod. l. 13. ff. de probat. l. vlt. §. 1. ff. de vulgari. leg. 3. in f. ff. de his quæ in Teſtamento delentur. l. 24. ff. de manumiſſ. l. 10. inf. ff. de manumiſſ. teſtam.*

Libertatem] cuius cauſa pia dicitur *l. 1. §. penult. C. de communi ſeruo.* legitimæ anteponenda: deductis enim libertatibus, quarta initur *l. 8. §. 9. ff. de inofficioſo. Gothofr.*

Finge: libertas directo eſt relicta ſeruo pignorato. Inutilis eſt libertas: per fideicommiſſum tamen manumitti poteſt. Interpretabimur pro libertate fideicommiſſum. *l. generaliter 24.*

ter 24. §. *si quis seruo* 10. *de fideicom. libert.* Eodem pertinet *l. cum in Testamento* 48. *de fideicom. libert.* Quidam manumisit quod est in vtero ancillæ, & singulari verbo vsus est. At plures sunt editi? An omnibus competet libertas? ita docuit *l. in obscuris sup. h. t.* Et libertas omnibus rebus fauorabilior est: ideo fit, vt, si seruo libertas relinquatur, simulque legetur sub conditione, pereat legatum, seruetur libertas. *Cuiac. in Recitat. h.*

Lex 21. De eo quod plus vel minus est.

Non debet, cui plus licet, quod minus est, non licere.

Coniunge *l. si legato* 11. *de man. test.*

Cui] cui quod plus. *Pac.*

Plus] *adde l. 26. inf. eod. l.* 110. *l.* 163. *l.* 165. *inf. eod. cap. cui licet* 53. *de regulis in* 6. minor potest restitui, ergo appellare. *l.* 43. *ff. de minoribus.* potuit iudex non deferre iuramentum; poterit igitur iuraturo certam summam definire, intra quam iuret. *l.* 76 *ff. de rei vind. l.* 5. §. 1. *ff. de in litem iurando.* De argumento à maiori ad minus affirmatiuè concepto vide *l.* 11. *in f. ff. de liberis. adde l.* 22. §. 3. *ff. de adulter. l.* 2. *C. ne fideiussores dotium.* nisi id quod maius est, alicui specialiter & strictè sit concessum, vel ex iustis causis, minoribus, *vt l.* 61. *inf. ff. de iudicus. l.* 7. §. 3. *ff. de reb. eor.* quod in dispensatione,

ne, delegatione, decreto, & mandato perſpicitur. *Goth.*

Licere] Econtrario valet argumentum à maiori ad minus negatiue conceptum. *l. 4. ff. de Senatoribus. l. 5. ff. de ſeruis exportantis. l. 7. in f. ff. de interdict. & relegat. l. 7. in f. C. de reuocand. donationibus. l. vlt. C. de decurionibus. v. Nov. 89. c. 11. Gothofred.* Vt ſi mortis cauſa donare non poteſt, multo minus Teſtamentum facere: firma eſt ratio. Sed fallunt aliquando hæ argumentationes, vt in Præſide Prouinciæ. Si Præſes deportare non poteſt, multo minus gladio punire: quod vitioſum eſt. Collectio eſt à maiori. Negandum eſt tamen conſequens propter legem, ex cuius præſcripto id ei conceditur ſpecialiter, quod eſt meri imperii. *Cuiac. in Recit.*

CORONIS.

Ab hac regula ducuntur argumenta illa: ſi donare poteſt, ergo vendere. Si vendere. Ergo & vendenti conſentire. Si donare cauſa mortis. Ergo donationi conſentire. Quæ argumenta ſunt Ariſtoteli à minori, hoc eſt, minus probabili. Minus probabile eſt quod poſſit quis donare. Magis vero, quod poſſit vendere aut venditioni conſentire. Minus probabile eſt, vt quis alienet. Magis vero, vt alienationi conſentiat. Vnde argumentari licet, ſi id

quod minus est, probabile est. Igitur & id, quod magis est. Sunt autem hæc argumenta nonnunquam fallacia: & ideo hæc regula non semper quadrat. Vt, si Decurio prædium suum donare potest. Ergo & vendere; quod falsum est. Nam verum est, posse quidem decurionem donare, sed non vendere. *l. 3. C. de præd. decur. Nouella Constit.* 38. certam rationem induxit, cur non possit Decurio sua prædia vendere: ne scilicet minus reddatur idoneus gerendis ciuilibus muneribus. Cur igitur donatio non inhibetur? quia facilius quis vendit, quam donat. Id quod facilius quis facit, lex inhibet. Igitur interdicitur venditio. Sic *Senatusconf. Velleiano* succurritur mulieri obliganti, non donanti, quia facilius obligat se, quam donat. Non tam prompti sunt homines ad donandum, quam ad obligandum. Argumenta à minori plerumque ad affirmandum valent, non ad negandum. Ergo male infertur: Non potest vendere vel manumittere, ergo nec vendenti, vel manumittenti consentire. Argumenta à maiori valent ad negandum. Mortis causa donare non potest. Ergo multo minus testamentum facere: firma est ratio. Interdum non valent. Præses deportare non potest: Ergo multo minus gladio punire. Male. Ad affirmandum non valent. *Cuia. in Recit hic.*

Lex

Lex 22 De ſeruis. De conditione in arbitrium domini, vel procuratoris eius collata.

IN perſonam ſeruilem nulla cadit obligatio. §. 1. Generaliter probandum eſt, vbicunque in bonæ fidei iudiciis confertur in arbitrium domini, vel procuratoris eius, conditio, pro boni viri arbitrio hoc habendum eſſe.

Coniunge *l. 8. hac venditio de contrah. empt.*

Nulla] ex contractu ciuili ſcilicet; alias ex delicto, & naturali, cadit. *v. l.* 14. *ff. de oblig. adde l. 33. Gothofr.* Loquitur enim hæc lex de obligatione ex contractu: ex delicto enim ſeruus obligatur, & ciuiliter & naturaliter. Ex contractu non ciuiliter, ſed naturaliter tantum: non eſt neceſſitas ſoluendi, ſed duntaxat tenetur de peculio prætorio iure. *l. ſerui.* 14. *de oblig. & act.* Excipiuntur certi caſus: ſi interuenerit pro alio extra rem peculiarem, vel ſi forte condemnatus ſit, ſi compromiſerit. Si actor in iudicio iuſiurandum obtulerit. Lex 107. *cum ſeruo inf. eod.*] videtur ſcripta de ſeruo proprio. Domino cum ſeruo nulla eſt actio, vel ex contractu, *l. lis nulla* 4. *de iudic.* vel ex delicto. Nam licet ex delicto ſeruus extraneo naturaliter & ciuiliter obligetur: domino tamen naturaliter tantum obligatur, & ob id peculii deductio fit. *l.* 9. §. *ſiue autem* 6. *de pecul.*

Ceterum verum est regulariter cum seruo alieno nullam actionem esse neque ex contractu, neque ex delicto. Nam ex delicto alieno obligatur extraneo seruus, verum non agitur cum eo, sed cum domino: vel cum eo manumisso agi poterit ex delicto. Nam est ex eo delicto ciuilis quam sequitur actio. *Cuiac. in Recitat. posth.*

Obligatio] & actio *l.* 107. *inf. eod. adde l.* 208. *inf. eod.*

Iudiciis] & legatis *l.* 1. *ff. de legatis* 2. *l.* 43. *ff. de legat.* 3.

Domini] Hinc collige emptionem & locationem in domini, id est vendentis vel locantis arbitrium conferri posse. Imo neutrum potest *l.* 7. *ff. de contrah. empt. leg.* 25. *ff. locati. l.* 8. *ff. de oblig. leg.* 17. *l.* 108. *in fin. ff. de verb. obligationibus.*

Procuratoris] Idem in aliis quibuscunque extraneis: vide *Hotoman.* in hunc locum 5. *obseru.* 10.

Eius] aliqua conditio Hotomannus ibid. conditionis vocabulo qualitatem rei approbandæ vel reprobandæ intellige.

Boni] *l.* 6 *ff. pro socio l.* 7. *ff. de contrah. empt. l.* 24. *leg.* 76. *ff. locati leg.* 3. *in f. C. de dotis promissione.* qui consentit in arbitrum, bonum virum intelligit.

Gene-

Generaliter] Ad §. hunc poteſt videri *l. 7. de contrah. empt.* ex qua ſumatur exemplum, cuius ſententia hæc eſt: Venditio ſerui ita facta eſt: ſeruus venditus eſto, ſi arbitrio meo rationes reddideris. Hæc venditio eſt conditionalis, ſed conditionis verba ſunt ambigua; quod arbitrium dupliciter accipiatur: pro pleno, mero & libero: & pro boni viri arbitrio, modo in perſonam certam, modo in incertam. Item, arbitrio mero adſtringuntur, qui ſe ei adſtrinxerunt, etiam iniquo: Boni viri arbitrio non adſtringuntur, niſi ſit æquum. Nam quod iniquum eſt, non eſt boni viri. *l. ſocietatem 76. pro ſocio.* Meri arbitrii iniquitas non corrigitur, niſi dolus interuenerit: boni viri arbitrium corrigitur *l. 3. C. de recept. arbitr.* Præterea, arbitrium merum perſonam nō egreditur: Nam is ſolus poteſt arbitrari, qui nominatus eſt. *l. in compromiſſis 45. de recept. arbit.* Arbitrium boni viri perſonam egredi poteſt, etiamſi ſit collatum in certam perſonam. Cum inſeritur nomen certæ perſonæ, non perſona, ſed æquitas inſeri videtur. Igitur ſi hic æquum non ſtatuerit, licet alium adire. Sed ſi ſit merum arbitrium, non licet alium adire, ſed ſtandum eſt, licet ſit iniquum. *l. vlt. §. ſed etſi quis* (*. Commun. de legat.* Nunc in ea ſpecie, quam poſui, ſi accipias arbitriū pro mero, nulla eſt venditio. Sicut nec valet vēditio, ita facta: Seruus vēditus

esto, si voluerit. Sic etiam si venditus sit, si arbitrio meo rationes reddiderit: sed accipimus eam conditionem pro arbitrio boni viri: quo casu vtilis est venditio, adeoque, si venditor nolit rationes accipere, vel etiam si rationes ex bona fide redditas nolit probare, venditio valebit. Quoniam cum is in ea re ita versatur, non versatur modo viri boni. Cur enim non accepit rationes, nec subscripsit? Ergo ea conditio pro completa habetur *d. l.* 7.

Ad leg. 23. De dolo, culpa, diligentia, & casu.

Contractus quidam dolum malum duntaxat recipiunt: quidam & dolum & culpam. Dolum tantum, Depositum & precarium: Dolum & culpam, mandatum, commodatum, venditum, pignori acceptum, locatum, item dotis datio, tutelæ, negotia gesta. In his quidem & diligentiam societas, & rerum communio, & dolum & culpam recipit. Sed hæc ita, nisi quid nominatim conuenit, vel plus vel minus, in singulis contractibus: Nam hoc seruabitur quod initio conuenit. Legem enim contractus dedit; excepto eo quod Celsus putat, non valere si conuenerit, ne dolus præstetur; hoc enim bonæ fidei iudicio contrarium est. & ita vtimur. Animalium vero casus, mortes, quæque sine culpa accedunt, fugæ seruo-

ſeruorum qui cuſtodiri non ſolent, rapinæ, tumultus, incendia, aquarum magnitudines, impetus prædonum, à nullo præſtantur.

Coniunge *l.11. depoſiti.*

Quidam] *l.5.§.2.ff. Commodati.l.108.§.12. ff. de legatis.1.*

Depoſitum] *l.5.§.2.ff. Commodati.l.14.§.1.ff. de furtis.l.1.§.10.in f.& §.vlt.l.2.l.32.ff. depoſiti.l. 3.§.1.ff.nautæ.*

Precarium] *l.8.§.3.ff.de precario.*

Commodatum] *dicto §.2. & l.18.ff. Commodati.*

Venditum] *d.§.2.l.35.§.2.ff.de contrah.empt. l.14.ff.de furtis.*

Pignori] *d.§.2.§.vlt.Inſt.quib.m d.re contrah.oblig.*

Locatum] *d.§.2.l.1.§.10.ff.depoſiti.l. 5.§.7.ff. locati.l.20.C.de locato.*

Dotis] *d.§.2.*

Negocia] *l.3.§ 9.l.11.ff.de negotiis.v.l.20.C.de negotiis.*

Diligentiam] diligentia, *Paci.l.33.ff.de adminiſt.tut.*

Societas] Sed & ſocietas *Paci.d.§.2.l.52.§.2. ff.pro ſocio.§.vlt.In ſt de ſocietate.*

Communio] *l.16.§.4.l.25.§.16.ff.famil. herciſ.v.l.4.in fi.C.Commun.diuid.*

Niſi] *l.1.§.6.ff.depoſiti.l.35.§.4.ff. de contrah. empt.l.1 C.de commodato.l.6.in fin. Cod.de pignoratitia.*

Initio] vel in continenti *l.* 7. §. 5. *ff. de pactis. l.* 72. *ff. de contrah. empt.*

Legem] *v. l.* 52 *ff. de verb. obligat.*

Ne] dolus ne præstetur, effici pacto non potest *l.* 27. §. 3. *ff. de pactis. l.* 17. *ff. Commodati. l.* 2. §. 7. *depositi.*

Bonæ] *l.* 7. §. 16. *ff. de pactis.*

Casus] Casus non præstantur. 2. *Ecloga* 3. *c.* 20. *l.* 2. *l.* 10. *in fin. ff. de periculo. l.* 11. §. 1. *ff. locati. l.* 2. §. 7. *ff. de administr. rer. ad ciuitatem, v.* reliqua in *l.* 6. *C. de act. pignorat.*

Mortes] *l.* 22. *ff. de negotiis.*

Sine] aliâs si culpa, casum præstat. *v. l.* 11. *ff. de negot. l.* 1. §. 4. *de obligat.*

Rapinæ] *l.* 26. §. 6 *ff. mandati. l.* 2. *ff. de periculo. l.* 31. *ff. de action. empt. l.* 50. *ff. de administ. tut.*

Tumultus] *l.* 1. §. 1. *ff. depositi.*

Incendia] *l.* 11. §. 1. *ff. locati. l.* 1. §. 4. *ff. de oblig.*

Aquarum] *l.* 10. *in f. ff de periculo.* naufragia *l.* 3. §. 1. *ff. nautæ. l.* 1. §. 4. *ff. de obligationibus l.* 26. §. 6. *ff. mandati.*

Prædonum] Piratarum. *l.* 3. §. 1. *ff. nautæ. l.* 18. *ff. Commodati*, incursus hostium, non exercitus prætereuntis lasciuia. *l.* 15. §. 2. *ff. locati.* latronum. *l.* 26. §. 6. *ff. mandati. l.* 50. *ff. de administrat. tut.*

Hæc lex valde notanda est de bonæ fidei contractibus, & comprehendit etiam obligationes ex quasi contractibus. Contractus sunt,

mandatum, venditum, locatum, commodatum, societas, depositum, pignoris datio: & adiicit lex dotis dationem, quod probat *l. exigere* 65. *de iudic.* Item arrharum datio est contractus: item diuortium. Sed de his duobus nihil est in *h. l.* Quasi contractus est tutela, negotiorum gestio, precarium, rerum communio: hi enim sunt contractus, qui recensentur *hîc*. Societas voluntaria est contractus: rerum communio societas necessaria, velut hæreditaria, est quasi contractus. Precarium quoque non est contractus, sed donatio potius est, ideo reuocato precario non datur actio ciuilis, sed prætoria. *l. secund. de precar.* Igitur hæc lex est tam de contractibus, quam de quasi contractibus. Ex his contractibus aliis inest tantum doli præstatio, veluti deposito, & precario. Nam qui rem depositam suscepit, dolum ta tum præstat, non culpam, quia vtilitas eius nulla hic versatur. *l. si vt certo.* 5. §. *nunc videndum. commod.* Similiter is, qui precario rogauit, dolum præstat, non culpam: quia scilicet totum pendet ex liberalitate eius, qui dedit. Nam precarium soluitur nuda voluntate dantis; commodatum non soluitur. Est enim satis in precario, in re tam infirma dolum præstari. Nam nulla eius vtilitas spectari videtur, cum ex voluntate dantis pendeat. *l. quæsitum* 8. *de precar.* In commodato vtrumque præsta-

præstatur. Obligat enim vltro citroque: non possum reuocare rem commodatam, antequam eius vsum compleueris. Merito igitur in precario dolus tantum venit, in aliis contractibus doli præstatio inest, & culpa, minimum in iis, in quibus vtriusque vtilitas versatur, vt in vendito, locato, pignori dato, & societate. Et vnus est contractus tantum, in quo vtilitas eius versatur, qui accepit, vt in commodato. Nam est gratuitum, nec reuocatur quandocunque. Prius enim huius vsum expleat necesse est. Quia demum plus inest huic contractui, quod cæteris, ideo exactissima & extrema diligentia præstatur in eo, vt docet hoc *d. l. si vt certo. commodati.* In deposito & precario dolus tantum præstatur: in vendito, vel locato, vel societate, vel pignore, dolus & culpa: in commodato etiam diligentia præter culpam & dolum. Eiusdem naturæ est negotiorum gestio, tutelæ, mandatum. Præstatur enim & culpa, & exactissima diligentia, opera, & custodia. Fateor quidem in negotio gesto, tutelis, & mandato, nullam versari vtilitatem gestoris, tutoris, procuratoris; sed gestor vltro se ingerit, suscipit absentium negotia non rogatus: tutor autem suscipit rem pupilli, cuius ætas maxime defensorem exigit. Procurator suscipit negotia mandantis: summam autem operam requirimus amicis præstari.

ſtari. Denique in aliis contractibus præſtatur dolus & culpa, in iis autem, ſcilicet, mandato, commodato, negotiis geſtis, tutelis, etiam diligentia exactiſſima, vt accipitur in *l. hoc ita. 2. de peric. & com. rei. vend. l ſi vt certo §. cuſtodiam. commod. l. cum ſeruo de leg.* 1. Et hoc vt planius intelligatur, conſiderandum, dolo ex aduerſo opponi bonam fidem; culpæ cuſtodiam & diligentiam, §. *ſocius ſocio Inſt. de ſociet.* Culpa igitur eſt negligentia, & alia conſiſtit in faciendo, alia in non faciendo. *l. ſi ſeruum* 91. *de verb. oblig. l.* 1. *de tut. & ration. diſtrahen.* Vtraque præſtari intelligitur. Nam & culpa, quæ eſt in faciendo, negligentia eſt. Nam facere dicitur, qui facit, quod facere non debet: ſicut non facere, qui, quod facere debet, non facit. *l. qui non facit* 121. *h. t.* Merito igitur culpa opponitur diligentiæ. Nam nihil aliud eſt culpa quam negligentia. Igitur quot ſunt diligentiæ gradus, tot & culpæ erunt. 1. Eſt diligentia exactiſſima ac delatoria curioſitas: & hæc ſane eſt ſcrupuloſa inquiſitio. *l. nec ſupina 6. de iur. & fact. ign.* Et ex aduerſo ei opponitur culpa leuiſſima *l. in lege.* 44. *ad l. Aquil.* 2. Eſt diligentia quædam media: ex aduerſo culpa leuis. 3. Præterea eſt diligentia minima: & ex aduerſo culpa lata, ſcilicet quæ eſt dolo proxima, & dolo comparatur; quam depoſitarius præſtat, perinde ac dolum, ſicut & precarii poſſeſſor.

Hæc

Hæc culpa non tam est culpa, quam dolus: vt, si quis nesciat, quod sciunt omnes, nimia est negligentia, *d. l.* 8. §. *quæsitum. de precario. leg. quod Nerua.* 31. *depos.* dicitur culpa lata & magna. *l. cedere* 213. *l. magna* 236. *de verb. signif.* Nunc sic statuamus; in tutela, mandato, gesto, commodato, leuissimam culpam venire. Nam exigitur exactissima diligentia. *leg.* 10. *l.* 11. 13. *commod.* §. *vlt. Inst. de oblig. ex quas. contract. leg. vt tutor. de admin. tut. l. si vt certo* 5. §. *quod etiã commod.* In aliis contractibus venit tantum culpa leuis, excepto precario & deposito. Verum potest quis ita arguere. Eadem causa videtur esse tutoris & socii. Itaque non videtur facienda differentia. Socius in seruanda re communi debet præstare dolum & culpam, & diligentiam tantam, quantam in rebus suis adhibet *l.* 1. *de tut. & rat. distr.* tamen plus tutorem teneri dicemus, quam socium. Nam separamus tutelam, commodatum, gestum, ab aliis. Sic respondetur ad *l.* 1. quæ dicit, tutorem præstare culpam & dolum, & diligentiam, quantam in rebus suis: Adiiciendum est, quod Græci adiiciunt in *l. à tutoribus* 33. *de administr. & peric. tut.* quid si tutor sit in sua re negligens, an excusabitur tutor? Non. Rursus posset quis dicere: socius debet diligentiam præstare tantam, quantam in suis rebus adhibet; eandemque etiam depositarius. Igitur non plus præstat socius,

ſocius, quam depoſitarius *d.l.quod Nerua depoſ.* Nos tamen diximus, depoſitarium dolum tantum præſtare, ſed ſi ſuum negligat, culpa vacat: tamen hæc lata eſt in ſocio. Nam cuilibet in re ſua negligenti eſſe licet, & in commune eſt vnuſquiſque rei ſuæ arbiter. Hoc ita explicandum eſt. Depoſitarius præſtat dolum & culpam latam: quæ in depoſitario culpa lata eſt, ea in ſocio eſt leuis. Lata eſt in depoſitario, ſi non æque ſit attentus in re aliena, quemadmodum in ſua: In ſocio ſecus eſt, hoc eſt in re communi, cum ſit ex parte mea, & liceat mihi rem meam curare, aliam negligere. Itaque ſi ſocius non æque ſeruet rem communem, ac rem ſuam, non eſt lata culpa. (Nam rem ſuam negligit:) ſed eſt culpa leuis, nec præſtatur: ſimiliter in depoſitario culpa leuis eſt, ſi non ſeruet rem alienam diligentius, quam ſuam: in re communi eſt culpa leuiſſima, ſi non præſtet maiorem diligentiam quam in ſuis. Sic quæ leuis eſt in depoſitario, in ſocio eſt leuiſſima, ſi non ſeruet rem communem diligentius quam ſuam. Leui culpæ opponitur accuratio. Deniq; vera eſt definitio ſup. expoſita. In aliis dolum & culpam præſtari. Nunc generaliter definiendum eſt, in nullis præſtari damna fatalia, caſuſq; fortuitos; & hoc eſt, quod ait in f.l. animalium caſus, morteſque quæ ſine culpa accedunt, vt *l.in reb.16.Commod.* Conuentio facit,

vt

vt culpa præstetur in precario, deposito: vt non præstetur in reliquis, si initio conuenerit, hoc est in ingressu contractus, siue in continenti. Nam ea tantum pacta formant pariuntque actionem, quæ ex continenti fiunt. Itaque ex pacto petes culpam à depositario: alioquin exceptionem tantum pariunt. *l.* 7. §. *quin imo ff. de pact.* Igitur pacto fieri potest, vt casus fortuiti præstentur, item culpa præstetur, vt in precario. Sed non potest pactum fieri, ne dolus præstetur: quia est contra bonos mores, & bonam fidem. *l. si vnus.* §. *illud. de pact.* Posteaquam dolo aliquid fecisti, pacto actionem recte remitto: sed non caueo in futurum, vt dolum impune committas.

Lex 24. De eo quod interest.

QVatenus cuius intersit, in facto, non in iure consistit.

Cuius] cuiusque Hal.

Facto] In facto consistunt, de quibus ex facto iudicium est. Potest enim ex eodem facto pro ratione personarum, locorum, temporum *l.* 15. *ff. de negotiis. l.* 72. *de Iudiciis. l.* 16. *de pœnis*. alias pluris, alias minoris interesse: interdum ne interesse quidem. ideo nulla iuris definitione id comprehendi potest *Hugo Donell. in libr. de eo quod interest c.* 2. *in fin.* de facti quæstionibus adde *l.* 16. *in fin. de statu. l.* 79. §. 1. *de iudiciis. l.* 52. §. 2.

ad L.

ad L. Aquil.l.13. qui potiores.l.8.§.13. quib. mod. pign.l.32.de vſuris.l.30.in f.de Teſtam.tut.

Iure] In iure ea conſiſtunt, in quibus cum quid inciderit, conſtat, quidnam id, aut quale ſit. Sunt hæc huiuſmodi, vt hominum prudentia æſtimari & diiudicari poſſint. *Donell.ibid.*

Obſcurum eſt, quando cuius quid intereſt, cum in facto, non in iure conſiſtat. Ius eſt certum, facti plerumque interpretatio prudentiſſimos fallit. *l.2.de iur. & fact.ignor.* Quanti ergo cuiuſque interſit, obſcurum eſt: plus, aliàs minus intereſt. Et hac ratione etiam moræ definitio difficilis eſſe dicitur. *l. mora 32. de vſur.* quia, ſi quæratur, *an mora facta ſit*, de facto quæritur, non de iure, nec certa auctorum ſententia confirmari poteſt. Denique hoc tantum facti eſt, non iuris: aliàs mora fit ex re, aliàs ex perſona: aliàs interpellatio requiritur, interdum duplex, interdum nulla. Sicut etiam quod intereſt dicimus abſolute definiri non poſſe, cum ſit facti, non iuris. Denique obſcura eſt definitio eius quod intereſt. In iis quæ obſcura ſunt, ſequimur id quod minimum eſt. *l.9. ſup. h.* Longe grauior enim eſt exceſſus quam defectus, & ob id illud, quod intereſt, in dubio ad exiguum & minimum redigitur *d.l.9.* arbitrio ſc. iudicis *l.1. §. in hoc interdicto. Quod vi aut clam.* Et generaliter ea quæ ſunt facti, in arbitrio ſunt iudicis. Et ea de cauſa commodius eſt

etiam stipulari certam summam & quantitatem, quam generaliter id quod interest, quod ad exiguam summam redigitur. §. *vlt. Inst. de verbor. oblig.* Melius est certam summam stipulari, quam quanti interest per se. Fieri enim plerumque non potest, v. certus modus definiatur eius, quod interest. Ideo Iustinianus in *l. vnic. C. de sentent. quæ pro eo, quod inter. prof.* dicit, se definiisse pro eo ac fieri potuit, vt in casibus, qui habent certam summam, vel naturam certam, hoc est certum corpus, vt in venditione, locatione, in quibus est pretium certum, & omnibus contractibus. Denique in casibus certis constituitur, ne æstimatio eius quod interest, excedat summam dupli. & id probatur etiam *l. Titius. 43. cum l. seq. de act. emt.* In casibus autem incertis non potest constitui certus modus eius, quod interest. Itaque necessario standum est sententiæ iudicis. *Cuiac. in Recitat. posth.* Iudex autem non spectat multas allegationes & exaggerationes partis, sed veritatem & æquitatem.

Lex 25. De cautione.

PLus cautionis in re est, quam in persona. *Plus*] Imo tantundem. *l. 4. §. 8. ff. de fideicom. libertat.* Imo minus, *Reales* minore tempore, & re extincta tolluntur: *Personales* ad genus, quod nun-

nunquam erit, competunt; realis non competit in quadruplum. In reali probandum eſt dominium, quod eſt difficile, ſolue; Plus cautionis eſt rem habere apud ſe, quam contra alium agere. *v. Bellonum* 1. *ſupputat.* 8.

In re] In rem vulgata Haloand. id eſt, in pignore, §. 4. *Inſt. de oblig. quæ ex delicto*, in pactis. *l.* 21. *in fin. ff. de pactis*, actionibus, quæ id quod deeſt perſonalibus, ſupplent. *l.* 16. § 3. *de pignorib.* & priuilegiis realibus. *l.* 3. *in fin. l.* 4. §. 3. *de cenſibus.*

In perſona] in perſonam. *Pac.* niſi lex perſonalium præciſe mentionem faciat. *l.* 7. *ſupra de ſtipulat. prætor.*

Lex 26.

QVi poteſt inuitis alienare, multo magis & ignorantibus & abſentibus poteſt.

Inuitis] inuitis aliquibus. *Pac.* qui difficilius, idem facilius præſtare poteſt *l.* 4. §. 3. *de fideicom. libertat. adde l.* 6. *de tutor. datis.* Hinc colligunt neminem cogi ad eum citandum, quo inuito actus exerceri poteſt: *Decius.*

Abſentibus] non debet expectari præſentia quæ nihil operatur. *l.* 13. *in fin. ad Velleianum.*

Poteſt] niſi ratio ſit diuerſa, vt in arbitro *l.* 18. *ff. de arbitris:* & in iudicibus, quorum præſentia alios poteſt in ſuam ſententiam trahere. *l.* 39. *de re iudicata.*

Hæc argumenta à minori sæpe fallunt. Creditor pignus vendere potest inuito debitore. E. & ignorante & absente. Negatur. Debitori prius denunciabit, vt pignus luat. Cuia. *h. v. sup. ad l.* 21.

Lex 27. De pactis. De causis obligationum. De modo actionum.

NEc ex prætorio nec ex solenni Iure priuatorum conuentione quidquam immutandum est: Quamuis obligationum causæ pactione possint immutari & ipso iure, & per pacti conuenti exceptionem: Quia actionum modus vel lege, vel per prætorem introductus, priuatorum pactionibus non infirmatur, nisi tunc, cum inchoatur actio, inter eos conuenit.

Prætorio] Idem de publico. *l.* 45. *in fin. infr. eod. l.* 38. *de pactis*: de communi *l.* 7. §. 18. *de pactis*: de regulis iuris Ciuilis *l.* 28. *de pactis*. de legibus, *l.* 55. *de legatis* 1. de iure Reip. *l.* 2. §. 8. *de administratione rer.* de iurisdictione & forma iuris publici *l.* 13. *C. de Testamentis*; de iure naturæ, de quo v. *l.* 9. *ff. eod.*

Priuatorum] aliud in consuetudine & statuto, quibus derogari potest iuri publico. *vid. Gothof. not. ad l.* 9. *C. de testament.*

Pactio-

Pactione] *l.* 43. *de pactis.v. leg.* 23. *in verbis ſi* quid nominatim conuenit *ſup. eod.*

Ipſo] *l.* 27. §. 2. *de pactis* τῷ αὐτῷ δικαίῳ.

Infirmatur] οὐκ ἐναλάσσεται: informatur *Hotom.* 35 *illuſtr. fol.* 236.

Niſi] nec ſi tunc. Græci ita legiſſe videntur; quam lectionem interpretationi Bulgari anteponit *Gothofr.* qua fingitur, modo competituræ actioni prætoriæ, vel legali reſiſti non poſſe: iam competenti poſſe vel ante exordium cauſæ, vel in ingreſſu iudicii.

Inchoatur] *l.* 7. §. 5. *de pactis.*

Actio] pactio *vulg.* Pacto, *Hugo à Porta. Rectius* actio Cuia. h.

Ius Prætorium & ſolemne, hoc eſt ciuile, priuatorum pactionibus ſiue conuentionibus immutari vel tolli non poteſt; Sicut neque ius publicum: quod etiã proponitur in *l. ius publicum. de pactis.* Filia de iure ſuccedit. E. non poteſt fieri pacto, vt non ſuccedat. Teſtator facere non poteſt, ne lex Falcidia locum habeat. Sunt enim ea contra ius publicum. Obligationum tamen cauſæ mutari poſſunt; nempe vel ipſo iure, vel per exceptionem pacti: vt, ſi in commodato ab initio conuenerit, ne culpa præſtetur, culpæ nomine ipſo iure non eſt actio commodati. Nam pactum illud ineſt contractui: exceptio pacti ineſt actioni commodati, hoc eſt eam opponi non eſt neceſſe, nam

res effectum habet ipso iure. Quod enim paciscimur ab initio, pars contractus esse videtur. Ad Formam sane spectat, & ex eo contractus formatur. Pacto etiam per exceptionem, obligationis causæ mutantur: vt, si ex interuallo conuenerit, ne venditor de euictione naturaliter teneatur, hoc pactum non haberet effectum, nisi per exceptionem opponeretur. *l. pactum. 72. de contrahend. empt.* Non enim insunt bonæ fidei iudicio. Idemque est in stipulatu, si post stipulationem conuenerit ne pecunia reddatur. *leg. si vnus 27. §. pactus. de pact.* Igitur pacto obligationum causæ, & actiones, vel ipso iure infirmantur, vel ope exceptionis. Cuius sententiæ interpretationem statim subiicit Pomponius, quia *actionum modus, &c.* hoc est, quia opponi exceptionem necesse est. Nam si quis roget Pomponium: cur dixisti, *per pacti conuenti exceptionem, & ipso iure?* Respondebit: Actio Prætoria vel ciuilis ipso iure nõ tollitur, exceptione enim opposita opus est, nisi initio actionis conueniat. Sic initium actionis tutelæ est pubertas, cum adultus est pupillus. Generatim ergo actiones ipso iure infirmantur, si aliquid in ipso contractus initio conuenit. Et pactum ex interuallo factum, non valet nisi exceptione: ab initio factum, formatat actionem. *Cuiac. in Recit. posth.*

Ad leg. 28. De his qui ex liberalitate conueniuntur.

DIuus Pius reſcripſit, eos qui ex liberalitate conueniuntur, in id quod facere poſſunt, condemnandos.

Sumpta eſt ex *l. ſi extraneus. de Iur. dot.* coniunge *l. ſi quis crediderit ff. de pact. & l. maritum ff. ſolut. matr.*

Liberalitate] propria, ſeu à ſe facta, non ab altero: mera, ſeu vera, non ob cauſam *l. 49. in fin. l. 50. de re iudic.* ſed & ante rem traditam *l. 9. de condict. indeb.*

In] *v. l. 12. de donationibus.*

Poſſunt] Facere poſſe videntur deducto ære alieno *l. 19. §. 1. ff. de re iudicata:* & omnibus ita deductis, ne ipſemet donator egeat. *l. 173. infr. eod.*

Cum quæritur, quantum quis facere poſſit, prius deducenda ſunt alimenta; idque non tantum in donatore locum habet, ſed generaliter in omnibus ſimilibus, qui tantum præſtant, quantum poſſunt, quod proponitur in *l. in condemnatione* 173. *h. t. & l. inter. de re iudicat.* ne egeant, hoc eſt ne victus veſtituſque deſit. Nam plus eſt, egenum eſſe, quam pauperem. Egenus eſt, qui ne id quidem habet, quo vitam tueatur, & quod victui ſufficiat. Pauper vero etiamſi habet quod victui ſufficit. *Senec. de benef.*

Denique in donationibus deducendum est primo æs alienum. Nam plenius succurritur donatori (ne sua liberalitate pauper fiat) quam ei, à quo verum debitum exigitur *l. sunt qui 16. l. inter eos 19. de re iudicat. l. qui id. 33. de donation. l. maritum 12. solut. matrim. l. verum 63. §. id quod. 3. pro soc.* Prior ratio habetur priorum creditorum, quam eius, cui debetur ex donatione. Sed si pluribus ex donatione debeatur, puta, primo, secundo, tertio; agente primo, non deducitur quod debetur secundo aut tertio, sed potior erit causa occupantis, hoc est præuenientis, *d. l. inter eos 19. de re iudicat.* Et hæc de donationibus. In aliis autem personis similibus quæ in id, quod facere possunt, condemnantur, deducunt quidam alimenta: si conueniuntur ex vera causa debiti, deducetur æs alienum priuilegiatorum, vt sunt FISCVS, DOS; & id ex cognitione; sed non id, quod debetur eiusdem conditionis creditoribus; quia inter creditores eiusdem conditionis, hoc est non priuilegiatos, melior est causa occupantis & præuenientis. Vigilantibus enim iura scripta sunt, non dormientibus. *leg. pupillus 24. quæ in fraud. creditor.* licet is creditor, qui rem occupauit, sit tempore posterior. Nam ratio temporis obseruatur in hypothecariis tantum, non in actionibus personalibus. *l. si pignus. qui potiores in pign. vid. inf. l. 173. ex Cuia.*

Con-

Condemnandos] niſi tali priuilegio renunciauit donator; quia donationi, (cum habet originem ex contractu) renunciari poteſt *v. Decium hic n.* 8.

Lex 29. De eo cuius initium vitioſum eſt.

QVod ab initio vitioſum eſt non poteſt tractu temporis conualeſcere.

Coniunge *l. qui à quolibet. de contrah. empt. & l. 5. de author. tut. & l. pen. h. t.*

Initio] *v. l.* 178. *l.* 201. *l.* 210. *infr. eod.* 2. *Ecl.* 3. *cap.* 29. *v. l.* 1. *ff. de regul. Caton. adde l.* 27. *de obligat. cap. non firmatur* 18. *de reg. in* 6. exemplum erit in ſententia *l.* 19. *ff. de appellationibus.* inſtitutione *l.* 210. *inf. eod.* teſtamento aut codicillis. *v. l.* 201. *inf. eod.* matrimonio *cap.* 1. *de deſp. imp. in* 6. fideicommiſſo *l.* 2. *ff. de legat.* 2. *l.* 1. *ff. de reg. Caton.* ſtipulatione *leg.* 83. §. 5. *ff. de verb. obligat.* adquiſitione, laudo, liberatione, confeſſione, electione, *Decius hic:* poſſeſſione ab initio inutili, *Iaſon in l. iuſte poſſidet. de adquir. poſſeſſ. Gothof.*

Tractu] hoc eſt, ex poſt facto. *Cuiac.*

Conualeſcere] Niſi duo quæ ſequuntur concurrant, vitii ſcilicet ceſſatio, & nouiſſimus actus, id eſt, principium ipſius rei vtile ſequatur, idque verbis, vel aliis actibus extrinſecus declaratis, ratihabitione aliqua, vt in *l.* 11. *ff. ru-*

sticor. l. vlt. comm. præd. l. 27. *de ritu. leg.* 6. *C. de Nupt. l.* 24. §. 1. *de legat.* 1. *l.* 1. §. 1. *l.* 7. *de legat.* 3. *l.* 42. *de hered. instit. l.* 20. §. 1. *de condit. instit. l. vnica C. de contractib. iudic. l.* 1. *C. si maior fact.* quæ leges alioquin contrariæ essent. *Gothof.*

Hæc regula *Catoniana* habet locum in legatis, vt constat ex tit. *de reg. Caton.* & in institutione hæredum, vt constat ex *l. penult. eod.* In illis autem locum habet, quæ cedunt à morte testatoris, non in conditionalibus *l.* 3. *& l.* 4. *de reg. Caton. l. cætera* 41. §. *tractari* 2. *de legat.* 1. Neque etiam locum habet in legatis, quæ cedunt ab aditione, non morte, vt legatum vsusfructus, vsus, & habitationis, & quædam alia, quæ non transeunt in hæredem, quod ostenditur in tit. *quand. dies legat. ced.* Legatum relictum seruo manumisso, vel seruo hærede scripto extraneo, cedit ab aditione. Non pertinet etiam ad libertatem, quæ ab aditione cedit *l.* 1. §. *libertatem C. de caduc. tollend.* excepto vno casu, qui est in *l. si alienum* 49. *de hæred. instit.* Nec pertinet ad tutelas, quia incipiunt etiam ab aditione: extraneo herede scripto, non etiam necessario, vt Ioan. recte notat in *l.* 2. *de excusat. tut.* Nisi, inquit, necessario hærede scripto, vel alio tutore dato. Præterea non pertinet ad ius nouum, hoc est ad *L. Iuliam Papiam*, quæ hodie sublata est, iure antiquo restituto, hoc est, regula *Catoniana l. vlt. de reg. Caton.*

ton. & *l.Iul.Papia* non cedunt legata à morte teſtatoris,ſed apertis tabulis. Itemque manifeſtum, regulam Catonianam non pertinere ad eas leges per *l. vltim.de regu. Caton.l. qui ſoluendo.42.de hered.inſtit.* Ex his legibus non tantum legata,ſed etiam inſtitutiones cedunt ab apertis tabulis:aliæ, ex quibus cedunt ab aditione, non imitantur legem Iuliam & Papiam; quod de turore expreſſum eſt. *l.ſi is qui.31.de excuſat. tut.* Ex aditione cedunt,non ab apertis tabulis. Ergo regula Catoniana pertinet ad Teſtamenta. Eſt igitur in ea regula, quod vitioſum eſt ab initio,hoc eſt,ſtatim à Teſtamento, vel Teſtamenti facti tempore: & hæc regula reperitur in *l.omnia 201.infr.eod.* Sed in ſtipulationibus etiam habet locum *l.inter ſtipulantem 83. §. ſacram 5,de verb.oblig.* Fallit hæc regula in Teſtamentis *l.1.de reg. Caton.* etiam in contractu. *l. cum vir.24.de vſucap.Cuiac.in Recit.poſth.vid. infr.l.210.*

Lex 30.De nuptiis.

NVptias non concubitus , ſed conſenſus facit.

Coniunge *l.15.de Condit.* & *Demonſtrat.*

Conſenſus] συναίνεσις 2.*Ecl.*3.*c.*30. affectus.*l.*11. *C.de repudiis.* διάθεσις ἀμοιβαία 22. *Nouell.*3. An ſolus conſenſus ? ait Iuſtinianus *Nouel.*74.*c.*4. ὥς τε τοὺς γάμους ἐκ μόνης ἐῤῥῶσθαι διαθέσεως: adde *cap.* *non*

non locum 14. *ibi*, solo consensu contrahitur, *extra de sponsalib. c. sufficiat*, ibi, Solus secundum leges consensus. 22. *quæst.* 2. *adde l.* 4. *ibi*, Nudus consensus. *de sponsalib.* Hotomannus vero 4. *obs.* 26. negat: *ait*, præterea requiri deductionem in domum mariti. *l.* 5. *in fin. de ritu nupt.* adde *l.* 66. *in fin. de donat. inter vir. & vxor.* Hanc regulam veram esse *ait*, in muliere in domum deducta, nihil aliud hîc innuens, quam Nuptias perfici solo consensu sine tabulis & scriptura. *l.* 11. *Cod. de repud. Gothofr. hîc.* sic sentit: Nuptias per verba de præsenti contractas, ita esse efficaces, vt secundum matrimonium impediant, & affinitatis causam ipsis coniugibus pariant, cum nihil obstet eandem virginẽ esse & vxorem. *arg. l.* 7. *de ritu.* Ea vis est semel facti, vt id aliquando fuisse, nunquam possit negari. *l.* 31. *infr. eod.* quod accideret, ea negata vxore, quæ per verba de præsenti semel fuerit accepta *v. l.* 15. *de condit. & demonstrat.* idque euidentissime probatur *l.* 8. *C. de incestis.* concubitum non requiri. Deductio tamen mariti in domum requisita fuit, *l.* 6. *Cod. de donat. ante Nupt.*

Lex 31. *De factis. De eo quod est impossibile.*

VErum est, neque pacta, neque stipulationes, factum posse tollere. Quod enim impossi-

poſſibile eſt, neque pacto neque ſtipulatione poteſt comprehendi, vt vtilem actionem aut factum efficere poſſit.

Coniunge *l.50.ff.de pactis.*

Verum] re ipſa. Fictione tamen mortuus dicitur viuere, *Inſtit.de excuſat.tut.* vt & aliquis bis mori. *l.* 51.§.2.*ad l.Aquil.* & duo poſſidere *l.13.* §.13. *de hereditat.petit.*

Factum] *v.l.12.§.2.ff.de captiuis.*

Impoſſibile] *v.l.31.ff.de euict.l.3.de condit. & demonſtrat.l.35.de verb.obligat.*

Vt] Ex eo quod eſt impoſſibile vtile factum naſci non poteſt: ſi ita eſt, nec vtilis actio naſci poterit.

Factum] pactum *vulgar.* ſic in manuſcripto: & male. *Gothofr.*

Huic regulæ addi poteſt *l.ſi ita quis ſtipulanti 31.de euiction.l.aliud eſt promittere* 174. *de verb. ſignif.l.non impoſſibile.50.de pact.*

Summa hæc eſt: Pacta & ſtipulationes factum non poſſe tollere, & id, quod factum eſt, extinguere non poſſe. Sic enim in *l.in bello.* 12. §.*facti 2.de capt.& poſtlim.reuerſ.* dicitur, quod deſiit aliquis poſſidere, per reſtitutionem poſtliminii infectum fieri non poſſe: hoc eſt poſtliminium non poſſe efficere, vt, qui deſiit poſſidere, poſſidere non deſierit. in pactis factum verſatur, in ſtipulatione ius. *l.ſi vnus.27.de pact.* Igitur factum illud conſtituit exceptionem:

idem

idem etiam constituit naturalem obligationem. *l. nec seruus* 41. *de pecul.* Ergo quia in pacto factum versatur, & quidem solum spectatur, ex pacto exceptio nascitur, & obligatio naturalis. Cæterum quia ius deest pacto, hoc est, quia pactum non est iuris, ideo pactum actionem non constituit, sed exceptionem tantum & naturalem obligationem, quæ sunt facti, deficiente Iure Ciuili. Verum rei impossibilis neq; stipulatio vtilem seu efficacem actionem facit, neq; pactum vtile factum, hoc est vtilem exceptionem, vel obligationem naturalem. Hac ratione videtur inutilis stipulatio ædilitia: furem non esse vespillonem, *hoc est* sepulchri violatorem. Nam vel est fur, vel non est. Si non est, frustra stipulamur: vel si est, impossibile est, vt non sit. Si fecit furtum, impossibile est, vt non fecerit. Item, inutilis videtur stipulatio, *ne facias furem*, quia non videtur hoc præstari posse, vt, qui sit fur, non sit fur. *dict. l. aliud.* 174. & qui est fur, fieri non potest, vt non sit. Igitur videtur inutilis ea stipulatio. Verum vtilis fiet, & vtile pactum *d. l. si ita quis* 31. *de euict. & d. l. non impossibile. de pact.* quia hac stipulatione non agitur, vt factum infectum fiat, & quod est non sit: sed quanti interest, furem non esse, præstari, vel quanti interest furem non fieri; atque omnino vtilem actionem efficiet. *Cuiac. in Recitat. posth.*

Lex

Lex 32. De ſeruis. De hominum æqualitate.

QVod attinet ad Ius ciuile, ſerui pro nullis habentur, non tamen & Iure naturali: Quia quod ad Ius naturale attinet, omnes homines æquales ſunt.

Ciuile] *l.* 41. *ff. de peculio l.* 38. §. 7. *de verb. oblig.* & quo ad ius quoque prætorium *l.* 20. §. 7. *ff. qui Teſtam.* & extraordinarium *leg.* 7. *de falſis.*

Pro nullis] *l.* 1. *de iure deliberandi*, id eſt nullius iuris habentur *l.* 3. *in f. ff. de capite minutis.*

Habentur] excipe *l.* 4. § 3. *de edendo. leg.* 53. *de iudiciis l.* 38. §. 7. *de verb. oblig. l.* 7. *de falſis. vid. Gothofr. ad leg.* 3. *in fin. de capit. minut. & ad l.* 209. *inf. eod.*

Naturali] ideoque ſolutum non repetitur. *l.* 13. *de condict. indeb. l.* 83. *de ſolutionibus.*

Æquales] natura eſt communis ſeruis *l.* 12. *in f. de accuſat.* Iure naturali omnes ſunt liberi. *Inſtit. de libert.* hinc ſeruitutem contra naturam eſſe dicimus *l.* 4. §. 1. *de ſtatu. Senec* 4. *Epiſtola* 32. Quid eſt eques Romanus, aut libertinus, aut ſeruus? nomina ex ambitione, aut ex iniuria nata. *Gothofr. hic.*

Seruo inſtituto oportet dominum adire, *l. nullo* 7. *de leg. Cornel. de falſ.* Seruus cum domino nullo modo conſiſtere poteſt. Idem fere eſt,

est, quod dicitur seruos pro mortuis haberi. *l. antepen. C. eod.* nulla in eos cadit obligatio: nullum arbitrii ius: ad solemnia testamenti non adhibentur: tabularii esse non possunt. Idem de seruitute receptum est. *l. cum hic status 32. §. si donator. 6. de donat. int. vir. & vxor.* Si vir mulieri donauerit, non valet donatio regulariter: si vir moriatur, valet eius morte, ex Constitut. Seueri: si seruus fiat, non valet. Denique seruus est in nullo numero & ex persona domini tantum stipulatur. *Instit. de stip. seruor. in princip.* Cum stipulatur seruus, domino stipulari videtur. Iure tamen naturali, vt subiicit I C. pro nullo non habetur, quia Iure naturali omnes homines sunt liberi. Seruitus contra ius naturale est. Hinc vero fit, vt seruus, qui iure naturali incognitus est, obligetur naturaliter tantum, non etiam ciuiliter. *l. nec seruus. 41. de pecul.* cum dicimus Seruum debere, factum demonstramus, non ius, *l. eo tempore 50. de pecul. l. atqui natura 19. de negot. gest.* Regulariter igitur seruus iure naturali obligatur. Excipiuntur tamen certi casus, quibus etiam naturaliter non obligatur. Iure Gentium non obligatur: si seruus vtroque iure nullus est, neutro obligatur iure, neque Gentium neque Ciuili; etsi ex diuerso liber homo, qui cum seruo contrahit, obligatur naturaliter & Ciuiliter, vt & dominus, non ciuiliter tantum. *d. l.*

nec

nec seruus. Nam absurdum esset, si in vno esset naturalis & Ciuilis obligatio, in altero naturalis tantum; & qui debet Iure Gentium, plerumque etiam debet Iure Ciuili. *l. 1. de pact.* Interdum quod Iure Gentium debetur, non debetur Iure Ciuili, vt pupillus, qui pecuniam mutuam accepit sine tutoris authoritate, si factus sit locupletior ex ea, iure Gentium debet, iure Ciuili non debet, nisi hodie ex Constitutione D. Pii. Qui iure naturali non debet, plerumque etiam non debet Iure Ciuili. Verum vtraque obligatio, Iuris Gentium & Iuris naturæ inhibet condictionem indebiti, *hoc est*, qui altero iure obligatus soluit, non condicit. Hic est effectus obligationis vtriusque; qui soluit, quod debet iure naturæ vel Gentium, non condicit. Item vtrique obligationi accedunt fideiussio & pignus. *l. si pœna* 19. *l. si non sortem* 26. §. *libertus* 12. *de condict. indeb. leg.* 2. *de fideiussor.*

Lex 33. De Actore & Reo.

IN eo quod vel is qui petit, vel is à quo petitur, lucri facturus est, durior causa est petitoris.

Coniunge *l.* 125. & *l.* 128. *cum ibi notatis.*

Lucri] lucri causa *Pac.* Duobus de lucro certantibus, deterior est actoris conditio, 2. *Eclog.* 3. *cap.* 33. nisi alterius causa tempore pen-

deat *l.* 98. *inf. eod.* De lucro adde *l.* 41. *in fin. l. vnic. vers. lucratiua C. de imponend. lucrat. descript. lib.* 10. *tit.* 35.

Petitoris] *l.* 154. *infr. eod.* econtrario melior est possessoris *v. l.* 126. *inf. l.* 128. *l.* 154. *inf. eod. l.* 41. *l.* 48. *ff. de re iudic.*

Hæc regula est eadem cum ea, quam Vlpian. constitui t in *l. nemo* §. *vlt. infr. h. t.* Cum de lucro quæritur duorum, hoc est, actoris & rei, melior est causa possidentis *l. in pari* 128. *hoc tit.* in pari caussa potior possessor habetur. *Theoph. in* §. *æque. Instit. de act.* §. *retinendæ Instit. de interdict.* Petitor probare debet, quod intendit, ideoque est melior causa possidentis; nisi probet, possessio manet in prima causa. Nam possessori non incumbit onus probandi; imo cum est obscurum, quod in iudicium erat deductum, semper iudicatur contra petitorem. Nam debuit secum diligentius considerare, antequam ageret. Qua de causa actio de dolo est temporaria, exceptio perpetua. *l. vlt.* §. *penult. de doli except. l.* 1. *de Saluian. interdict.*

Lex 34. De Interpretatione Contractuum.

SEmper in stipulationibus & in cæteris contractibus id sequimur quod actum est, aut, si non appareat quod actum est, erit consequens, vt id sequamur quod in regione, in qua actum

actum est, frequentatur. Quid ergo si neque regionis mos appareat, quia varius fuit? ad id quod minimum est, redigenda summa est.

Semper] quoties scilicet constat de voluntate. Alias si nullis signis extrinsecis voluntas scripto manifesto contraria declaretur, scripturæ stabitur. *l. 19. ff. de vsu. legato. l. 112. l. 126. §. 2. inf. de verb. obligat. l. 68. §. 1. ff. de fide iussoribus l. vlt. C. comm. vtriusque iudicij.* Est enim scriptura mentis & animi testimonium ac indicium, eam tamen ex communi vsu interpretamur. *l. 7. §. 2. in fin. ff. de supellect.* aut certo iudicio prudentum *l. 125. ff. de verb. significat.*

Actum] *v. l. 52. ff. de verb. oblig. 2. Eclog. 3. cap.* 34. quod agitur *l. 3. ff. de reb. creditis.* actum opponitur dicto. *l. 6. §. 1. ff. de contrah. empt.* Actum igitur est mens contrahentium ac voluntas *leg.* 219 *ff. de verb. signif. l. vlt. C. quæ res pign.* Res *l. 41. ff. de Iure dotium*; Veritas *l. 1. l. 3. C. plus valere quod agitur.*

Aut] quod si non apparet: alias, vnde si non apparet. *Pac.*

Id] id est, consuetudinem regionis sequimur *Eclog. ib. v. l. 50. inf. de legatis* 1. *adde l. 3. in fin. ff. de testib. leg. 21. §. 1. in fin. Qui Testament. adde leg. 37. ff. de legib. l. 3. l. 7. §. 2. in fin. ff. de supellect. l. 14. §. 2. de alim. l. 17. §. 1. de aqua pluu.* & ideo conducere, cōcedere, cōtrahere, & quiduis agere, pro more regionis in dubio præsumitur

mitur: vide *Decium hic.* Nam sicut natura non separatur à subiecto, ita nec à consueto. Quod est de consuetudine, habetur pro pacto. *Gothofr. hic.*

Minimum] *Eclog. ib. v. l. 9. ff. eod.*

Redigenda] ne alioquin actus pereat, cuius conseruatio, quantum fieri potest, attenditur. *l. 80. ff. de verb. obligationib.*

In omnibus contractibus in primis id sequimur, quod actum est; vt in bonæ fidei contractibus veniunt vsuræ, de quibus actum est; & si non appareat, quid actum sit, veniunt vsuræ, quæ in ea regione frequentantur, in qua contractum est *l. 1. pr. l. 37. de vsur.* Et si hic mos varius sit, veniunt vsuræ leuiores. In contractibus stricti iuris veniunt hæ, quæ in his constitutæ sunt. Denique nullæ debentur, nisi certæ in stipulationem deductæ sint: vt, *Centum, & vsuras promittis?* Si non appareat conuentio vsurarum, nullæ debentur, *l. quod in stipulatione 31. l. tutor. 41. §. vlt. de vsur.* In contractibus vero bonæ fidei veniunt ex officio iudicis. Potest etiam exemplum poni de emptione, venditione, & euictione *l. 6. de euict.* Vt rursus, si incertus sit mos regionis, dicamus potius conuentum esse de simpla, quam de dupla, de qua non cauetur, nisi ex conuentione vel more regionis. Si conuentio desit, simplum compelletur venditor exsoluere: sic etiam

iam ſi mos non appareat, ſimpla tantum præſtatur. Itaque ſemper in obſcuris ſequimur, non quod minimum eſt, ſed *primo*, quod actum eſt: *deinde* conſuetudinem: *tertio* demum quod eſt minimum. Sed hoc extremum fit non tantum in contractibus; ſed etiam in aliis rebus & cauſis æſtimatio eius, quod intereſt, ad exiguam ſummam reducitur *l. vlt. de pretor. ſtipul.* Et ſi iudices plures damnauerint diuerſis ſummis, nullam ſententiam ſpectamus: ſed id quod minimum eſt, ſequimur. *l. inter pares 38. de re iud.* Nam inter pares ſententias potior eſt ſententia, quæ pro reo pronuntiatur, quod ius eſt vetuſtiſſimum, vt apparet ex *Auguſtino lib. 7. de Ciuitat. Dei.* Hodie non pronunciatur pro reo in pari cauſa, ſed aſſumuntur alii iudices, qui hanc diuerſitatem dirimant. Hoc etiam quod dicitur in *hac l.* Accurſ. transfert ad nummos promiſſos indiſtincte, & ita vtimur, vt exiguiores debeantur. *Cuiac. in Recit. poſth.*

Ad Leg. 35. Quibus modis tollitur obligatio.

Nihil tam naturale eſt, quam eo genere quicque diſſoluere, quo colligatum eſt. Ideo verborum obligatio verbis tollitur: Nudi conſenſus obligatio, contrario conſenſu diſſoluitur.

Ex *l. an inutilis. de accept.*

Naturale] hoc fallit in matrimoniis. *v. l. 8. C. de repud.* & bonorum possessione *l. vlt. Cod. qui admitti.*

Eo] id est, eadem fide, alio pacto, altero consensu, aliis verbis *v. §. 1. Inst. quib. mod. toll. oblig.*

Quidque] quodque *vulgat. Hal.*

Dissoluere] *l. 100. l. 153. infr. eod. v. l. 80. ff. de solutionib. cap. 1. extr. eo. §. vlt. Instit. quib. mod. toll. oblig. l. 1. C quando licet ab empt.*

Colligatum est] ex necessitate scilicet, non ex superfluo. ideo Testamentum ad pias causas factum coram septem testibus, tollitur per secundum factum coram duobus testibus. *Decius hic num. 5. Gothof.* Huic l. iungi potest *l. 8. §. penult. de acceptil.* quæ ostendit, obligationem verborum etiam tolli verbis, *hoc est* acceptilatione, quæ & ipsa fit solemnibus verbis. Sic consensus contrario consensu tollitur, res re. *l. prout* 80. *de solutionib.* Sed non est existimandum, sic solummodo solui, sed & aliis modis, vt verborum obligatio solutione, nouatione, confusione, & aliis quibusdam. Pacto non tollitur obligatio, nisi per exceptionem. Certis modis contrahitur obligatio & dissoluitur *l. exceptiones. 7. §. 1. de except. l. obligamur. 52. de obligat. & act.* Pactum semper valet ad exceptionem. Regula hæc tantum est de obligatione ex contractu tollenda ipso iure. *Cuiac. in Recit. posth.*

Lex

Lex 36. De Culpa.

CVlpa eſt, immiſcere ſe rei, ad ſe non pertinenti.

Culpa] *c. non eſt ſine culpa.* 19. *de regulis in ſexto.*

Eſt] mulieri *l.* 8. §. 1. *ad L. Aquil.* artifici. *l.* 9. §. 5. *l.* 13. §. 5. *ff. locati:* obſtetrici *l.* 9. *ad L. Aquiliam. l.* 3. §. 2. *de ſicariis:* medico *l.* 6. §. 7. *de offic. Præſid.* §. 7. *Inſtit. de L. Aquil.* adſeſſori *l.* 2. *quod quiſque iur.* iudici. *l.* 5. §. 4. *de obligat. l.* 6. *de variis & extraordinariis. Inſtit. de obligat. ex quaſi delict. in pr.*

Rei] id eſt negotio.

Nihil pertinenti] id eſt, cuius eſt ignarus ac imperitus *d.* §. 1. *d.* §. 5. quæ eſt aliena *l.* 19. *in fin. de Nouationib. l.* 4. *C. de actuariis,* in qua nullum ius habet aut intereſſe *l.* 71. *l.* 181. *de verbor. ſignif. Gothofr. hic* Exemplo ſit. Cum vellem rem vindicare, quam meam eſſe exiſtimabam, quidam ſe obtulit defenſioni rei, & litem conteſtatus eſt, & cauſa cecidit: negat ſe poſſidere? hic condemnatur omnino, quod eſt in *l. qui ſe liti* 45. *de hæred. petit. & l.* 25. *de rei vind.* quoniam ſuo nomine rem defendit, nec poteſt dici geſtor, nec voluntarius procurator, aut amicus, vt dicitur apud *Cicer. in Brut.* Huic regulæ etiam poteſt eſſe locus in procuratore voluntario. Nam etſi voluntarii procuratoris officium lau-

detur, non culpetur, nonnunquam tamen hoc ei imputatur, cur se immiscuerit rei ad se non pertinenti. Nam si minoris 25. annis causam susceperit, & damnatus sit, ipse solus iudicati actione tenetur, nec regressum aduersus minorem habet. *l. eum qui. 46. de minorib. l. iam tamen* 5. §. *nunc videamus.* 3. *iudicat. solui.* Nam hic accessit ad rem ad se non pertinentem. Quidam fideiussit pro alio iudicatum solui, hic promittit quantitatem certam, nec etiam defensionem suscipit. Sed quid si defensionem subeat vltro, & condemnetur? Repetet quidem, quod soluit, à reo principali, sed non sumptus litis. Nam accessit ad defensionem, cui non erat adstrictus. Laus igitur est interdum, immiscere se rei amici, & culpa nonnunquam.

Ad leg. 37. De condemnatione & absolutione.

NEmo qui condemnare potest, absoluere non potest.

Coniunge *l. eum qui. de iurisdict. l. si locus. de iud. l. si iudex. de re iud.*

Nemo] cui condemnandi potestas non competit, is absoluere non potest *l. 6. in fin. principii. ff. de off. procons.* & è contra *l. 3. de re iudic.*

Condemnare] condemnare non potest vulgata.

Po-

Potest] excipe *l.3.§.2.C.vbi senatores.* Hæc lex repetitur in *l.3.de re iud.* pertinet ad veterem formulam iudicum datorum, quæ erat *Condemna eum iudex, si pareat,* &c. Quæritur, an is possit absoluere? Ita, quia & condemnare & absoluere potuit. *Cuiac.in Recitat.*

Lex 38. De herede.

SIcut pœna ex delicto defuncti, heres teneri non debet; ita nec lucrum facere, si quid ex ea re ad eum peruenisset.

Coniunge *l.12.de oblig.& actionib.*

Pœna] 2.E*cl.3.cap.37.v.l.33.de obligat.*

Ex] Recte ait lex, *Ex delicto.* Nam ex contractu hæres tenetur in solidum *l.ex deposito 12. de oblig.& act.* Ex delictis defuncti, hæredes tenentur de eo, quod ad ipsos peruenit. *l.3. de vi, & vi arm.* Ex contractibus in solidum. *l.hoc iure 152.& vlt.h.t.* quæ lex tota pertinet ad titul. vnde vi. In omnibus contractibus, *inquit*, in quibus inest doli præstatio vel bona fides, agitur de dolo in solidum aduersus heredem: quod repetitur *l.ad ea.157.§.vlt. hoc tit.* Denique ex contractibus actiones de dolo in heredes dantur in solidum: actio illa extraordinaria in solidum non datur de dolo. Ab hac sententia qua dicitur dari actionem ex contractu in solidum, excipitur actio depositi, incendii, naufragii, tumultus causa; qui ex his causis negat depositum, tenetur in duplum, hæres autem in sim-

plum tantum, siue peruenerit, siue non. Nam videtur esse ex delicto. Denique ex contractu est actio pœnalis plerunque in defunctum. Excipitur ab hac regula actio de precario, quæ est ex quasi contractu & tamen in hæredes ea nõ datur ob dolum malum, nisi quatenus peruenerit. *l. quæsitum 8. §. vlt. de precar.* quia precarium hæredem non sequitur; alii contractus sequuntur hæredes, qua de causa in solidum tenentur. *Dices:* soluitur morte societas: sociis tamen in solidum datur. *Resp.* Etsi societas non sequatur hæredem, sequitur tamen lucrum *l. nemo. 35. l. verum 63. §. in hæredem. 8. pro socio.* Ex precario nullum potest præstari emolumentum hæredi: vt, si quis vsus sit veste aliena precario, nullum transit commodum in hæredem. Itaque à definitione excipe actionem depositi, quam nominatim excipit *Bulg. in l. in depositi 9. depos.* Et ad eas actiones referendus est *§. Alioquin. Instit. de perpet. & tempor. act. Cuiac.*

Delicto] Delicti nomen latissime accipe pro omni maleficio. Nam hoc nomine non tantum priuata delicta veniunt, *vt* furtum, iniuria, rapina, damnum iniuria datum, sed & dolus, & metus, & iniqua distributio, ob quam comparatur actio tributoria, ex qua non tenetur hæres, nisi ex eo, quod peruenit dolo defuncti, *hoc est,* quod ait *l. toties. 44. h. t.* quæ lex perti-

pertinet ad actionem illam tributoriam. Eadem eſt conditio omnium actionum in factum, quæ dolum coercent, vt in actione, quod falſo tutore autore geſtum eſſe dicetur, & in edicto, ſi menſor, & in edicto, de eo per quem factum erit: Illis edictis punitur dolus, nec datur iis edictis actio in heredem, niſi peruenerit aliquid ad eum.

Delictum intelligitur etiam de quaſi delicto, qua actione nihil heres præſtat, niſi inceperit à teſtatore *l. vlt. §. vlt. naut. caup. ſtabularii*, &c. *l. 5. §. hæc autem. de iis qui effud. vel deiec. Cuiac. in Recit. poſth.*

Lucrum] *l. 5. de calumniatoribus l. 1. in f. l. 3. de vi & vi. l. 26. de dolo l. 3. §. 12. de peculio leg. 14. §. 5. inf. leg. 19. quod metus cauſa leg. 35. de obligat. leg. 2. in fin. vi bonorum l. 1. de priuatis delictis l. 2. C. vnde vi.*

Ad eum] idem eſt in pupillo *leg. 3. §. 1. de tributoria. v. l. 1. l. 5. de autoritat. tut.* in Eccleſia, & bonæ fidei poſſeſſore. *Decius hic.* Gothof.

Hæres ex delicto defuncti, pœnali actione non tenetur; neque pœnam fert, neque lucrum, niſi de eo, quod ad eum peruenit. h. & *l. pupillum* 111. *§. in hæredem infr. h. t.* Pœna eſt accipienda latiſſime. Nam non ſolæ pœnales actiones, ſed & mixtæ veniunt; quæ habent hoc commune, vt morte rei pereant: vt, furti actio non datur in hæredem, etiamſi quid ad eum

eum peruenerit, quia mere pœnalis est. Serui corrupti actio, & arborum furtim cæsarum, & damni, & metus causa in heredes dantur de eo, quod ad eos peruenit, ne lucrum ferant ex delicto defuncti, quod turpe est. Excipitur tantum actio vi bonorum raptorum, quæ mixta est, & non datur in hæredem. *l. 2. §. vlt. vi bon. rapt.* & tamen cæteræ omnes mixtæ actiones in hæredem dantur de eo, quod ad eum peruenerit, quia vt ea lex ostendit, eo nomine est propria plerumque actio in hæredem. Mixtis actionibus insunt actiones ex delicto, quæ rei persecutionem habent, quibus nihil persequitur actor: nisi quod ad rem attinet. Hæ actiones non dantur in hæredem, nisi de eo, quod peruenit; cuiusmodi est actio *de dolo*, & *condictio rerum amotarum.* Excipitur sola *condictio furtiua*, quæ datur in hæredem in solidum *leg. in condictione 9. de condict. furt.* Leuius est *submouere* quam *surripere.* Ex iis constituimus omnes actiones ex delicto morte interire, excepta condictione furtiua. Quod quamuis dissuadere videatur *l. 9. §. vlt. & l. 10. de tut. & rat. distrahend.* quæ leges videntur condictionem furtiuam numerare inter eas actiones, quæ morte intereunt. Omnino tamen eam distinguere oportet à cæteris actionibus; & quidem furti & damni iniuria dati actio interit morte: condictio vero furtiua non

ia non interit. Itaque separari debet à cæteris actionibus. Rursus ita constituimus ex superioribus, omnes actiones, quæ rem, aut vtrumque persequuntur, dari in heredem de eo, quod ad eum peruenit, excepta actione *vi bonorum raptorum.* Quæ vero meram pœnam persequuntur, nullo modo in hæredem dantur. Eadem est conditio actionis iniuriarum. *Cuiac. in Recitat. posth.*

Lex 39. De eo quod per alium fit quo minus fiat.

IN omnibus causis pro facto accipitur id, in quo per alium mora fit quo minus fiat.

Accipitur] cur ita? *v. l. 155. h. t.*

In quo] in quo quis alium perhorrescit, quo minus fiat. *vulgat. Pac.* vt sit sensus, Pro facto haberi, quod fieri propter metum non potuit. *v. l. 22. C. de iis quæ propter metum.*

Mora] mora est *Hal.* Si creditor aut actor est in mora, debitor fecisse videtur *l.* 1. §. 3. *de eo per quem. l.* 17. §. 3. *ff. de vsur.* adde *cap. mora* 25. *de regul. in 6. Gothof. hic.*

Certum est, conditionem haberi pro completa, si per debitorem fiat, quo minus impleatur conditio. *l. in exsecutione* 85. §. *vlt. de verb. obligat.* Quidam promisit sub conditione, & curauit ne conditio existeret: *lex ait*, Eum teneti, per-

ri, perinde ac si impleta esset. Idem est in *l.* 24. §. *Iulianus de condit. & demonstrat.* Quid dicemus, si non per contrahentes fiat, quo minus conditio impleatur? Puto etiam hoc casu conditionem haberi pro completa, si per alium, in cuius persona erat implenda, fiat, quo minus impleatur. Finge ab hærede mihi legatum relictum, *si Gaio decem darem*, Gaius non vult accipere? non ideo minus petam legatum. Per alium non videtur mora fieri, nisi factum in eius personam sit collatum. Aliud est *moram facere*, aliud *obstare conditioni*, vt si ita sit conditio, *si decem dederis Gaio:* si te volentem dare, vel accipientem quis prohibeat, dicitur obstare: si Gaius nollet accipere, dicitur per illum mora fieri. Quid vero si per extraneum impediatur conditio? videtur hoc casu non haberi pro impleta, imo defecisse *l. inde Neratius* 23. §. *idem* 2. *ad L. Aquil.* Species est: heres esto, si seruum Stichum manumiserit. Stichus occiditur ante aditam hereditatem. Mors Stichi obstat conditioni: nec poteris adire hereditatem, sed habebis æstimationem serui occisi ex lege Aquilia, quo seruo manumisso tibi adquisiisses hæreditatem. Itaque si extraneus sit impedimento conditioni, non habetur pro impleta. Obstat *l. quæ sub conditione* 8. §. *mortuo autem* 7. *de condit. institution. & l. impia* 45. *de legat.* 1. In quibus hæres ita institutus, si seruum manu-

manumiſerit, ſeruo occiſo adit hereditatem. Reſpondeo *in l. inde Neratius* 23. conſiderandum eſt, ſeruum fuiſſe occiſum poſt mortem teſtatoris, quo tempore iam debuerat manumitti ſeruus. At in *l. quæ ſub condit.* 8. ſeruus eſt mortuus viuo teſtatore, nec poterat manumitti conditionis implendæ cauſa. *Cuiac. in Recit. poſth.*

Lex 40. De furioſo & prodigo.

FVrioſi, vel eius cui bonis interdictum ſit, nulla voluntas eſt.

Coniunge *l.* 20. *de aqua pluu. arc.*

Vide *l.* 5. *ff. h. t.* vbi hæc lex expoſita eſt.

Furioſi] ac dementis *leg.* 17. *ff. Qui Teſtam.* Quod ad furioſos attinet, diſtinguendum eſt; alii ſunt in continuo furore, alii interuallatum habent furorem. Priores ne quidem adquirere poſſunt: alii poſſunt in iudicio, Teſtamento, tutela & ſimilibus. *vide Hotom.* 3 *obſ.* 29. *Adde notata ſup. ad l.* 5. *h. t.*

Eius] maſculi vel mulieris. *l.* 15. *ff. de curat. furioſ.*

Cui bonis] *id eſt* prodigi *leg.* 1. *ff. de curat. furioſ.*

Interdictum] à iudice *ſcilicet*, idque non perfunctorie, ſed vel ex officio, de induſtria: aut prodigi agnatis, aut amicis petentibus. *Decius hic.*

Nulla]

Nulla] in amittendo & alienando *l. 26. ff. de contra. empt. l. 18. ff. qui testam. l. 12. ff. de vsurpat.* non in adquirendo. *l. 5. in f. ff. de acquir. hæred. l. 6. ff. de verb. obligat. l. 3. ff. de nouationibus. l. 18. §. 2. ff. de castrensi peculio.*

Nulla est] Hinc colligit Clarus, Prodigalitate pœnam eleuari. *5. sentent. §. vlt. quæst. 60. n. 6.*

Lex 41. De Actore & reo. De re obscura.

NOn debet actori licere, quod reo non permittitur.

Actori] & accusatori.

Reo] *v. l. 125. h. t. cap. non licet 32. de regul. in sext.* vbi vide *Dynum:* ad 'e *l. 17. l. 25. ff. de procuratoribus.* Nota de argumento à reo ad actorem *l. 9. §. 6. ff. de iureiurand.*

Duæ hic sunt regulæ. *Prima* exemplum est: Reo non licet mutare procuratorem post litem contestatam. idem ergo est in actore. *leg. quæ omnia 25. de procurat.* Vulgo dicitur: *Quod licet actori, licet & reo:* qua de causa Ioannes scribit, reo licere in se onus probandi transferre, cum id actori liceat. Secundum Ioannem igitur multo magis reo constat morem esse gerendum probare volenti.

Secunda regula. Notissimum est ei, qui soluit

uit ſciens, non competere condictionem indebiti. Is ergo qui ignorans ſoluit, habet condictionem indebiti, & ſic repetitionem quæ fit per condictionem indebiti. *tot. tit. de condict. indeb.* Si dubitetur, an quis ignorans vel ſciens ſoluerit, præſumitur ignorans. *l. ſi non ſortem.26. §. ſi quis falſo.2. de condict. indeb.* Sic in obſcuro potius fauere debemus condicenti indebitum, quam reo contendenti ſibi donatum eſſe. Poteſt obiici *l. idem eſt.17. de reb. dub.* cuius hæc eſt ſententia: Vir & vxor ſimul deceſſerunt: repetentne dotem hæredes vxoris, quaſi præmortuo viro, an vero mariti hæredes quaſi præmortua vxore retinebunt? Fauebitur hoc caſu potius hæredibus mariti, quam iis, qui repetunt quaſi præmortuo marito? Species hæc non conuenit huic regulæ, quia dos quam retinet hæres mariti, non eſt lucrum aduentitium, ſed rei iam quæſitæ retentio. Itaque ea nihil obſtat. *Cuiac. in Recitat.*

Ad §. 1.

Repetitioni] magis ei fauetur qui repetit, quam qui de lucro captando certat. Imo magis fauendum minori qui alienum accepit & dilapidauit, quam minori ſuum repetenti *l. 11. §. 6. ff. de minorib.* Ea res *Gothofr.* mouet, *vt hîc* putet, non inconcinne legi, retentioni in *l. 91. §. 3. in fin. ff. de verb. obligat.*

Lucro] 2. *Eclog. 3. cap. 40. l. 33. ff. eod. l. 14. §. 1. ff. de religiosis.*

In re obscura melius est fauere Gaio sortem repetenti, quam Titio vsuras petenti: & faueatur actori potius, quam reo, quia actor de damno, reus de lucro certat. *l. vlt. §. si omnes. de iure deliberand.* Cum vterque certat de damno, vel lucro, fateor faueri reo, hoc est, in pari causa. Dispar autem est causa, si actor de lucro, de damno reus disceptet. In dispari causa ei, qui de damno est sollicitus, potius fauemus. Præsumitur igitur potius ignorans soluisse quam sciens.

Ad Leg. 42. De Ignorantia.

QVi in alterius causam succedunt, iustam habent causam ignorantiæ, an id quod peteretur, deberetur. Fideiussores quoque non minus quam hæredes iustam ignorantiam possunt allegare. Hæc ita de hærede dicta sunt, si cum eo agetur, non etiam si agat. Nam plane si agat, certus esse debet, cum sit in potestate eius, quando velit, experiri, & ante debet rem diligenter explorare, & tunc ad agendum procedere.

Alterius] alieni facti ignorantia excusat. *l. 11. ff. ad Velleianum. l. 21. §. 1. ff. de act. empt. l. vlt. in f. ff. pro suo.* non proprii, ac muneris. hinc illud, *Non potest esse pastoris excusatio, si lupus oues comedit,*

*medit, & pastor nescit.*cap *quamuis.*20. *extr.de reg.iuris.*

Iustam] An venia dignam & immunem à pœna? vtique. Imo, non vtique *l.9.ff.de nautico fœnore.l.77.ff.de verb.obligat.*solue. Non vtiq; stricto iure: aliud ex æquo dicimus. adde dict. *cap.*14.

Causam]*l.*19.*ff.eod.* adde *l.*49.§.2.*ff.de verb. obligat.cap.cum quis* 14.*de regul.in sexto.*

Ignorantia]ea cessat in iis quæ in Testamento continentur.*l.*12.*ff.de transactionib.*

Peteretur]aliud erit, si ipsi petant. *infr.h.t.& l.*49.§.2.*ff.de verb.oblig.*

Fideiussores] l.59.ff.de condict.indeb.*v.l.8.§.* 8.*l.29.in princ.& §.2.ff.mandati.*

Non etiam] *d.§.2.& l.37.ff.de arbitris* : nisi iusta causa aliud suadeat.

Cum sit] *l.5.in f.ff.de except.doli l.6.Cod.de temp.in integ.*

Eius]aliud in reo *l.2.C.de dilationibus.*

Hæres iuste ignorare potest negotia defuncti: quamobrem si heres soluerit, potest ei dari condictio indebiti, quæ non datur ob supinam ignorantiam. Eadem ratione hæredi eius, cum quo contrahitur, non potest iusiurandum deferri: quia contractum defuncti potest ignorare. Itaque recusabit iusiurandum. *Paul. lib.2. Sentent.tit.*2. Fideiussori quoque iusta est ignorantia: si fideiussor conuentus ex causa fideius-

 sionis,

sionis, omiserit exceptionem pacti, vel non numeratæ pecuniæ, & cum eam ignoraret, soluit, nihil ei imputatur, & repetet solutum actione mandati à reo principali. Idem est, si, cum debitor soluisset, fideiussor ignarus soluerit; nam repetet fideiussor solutum. *l. si fideiussor. 29. mandati.* Quod diximus hæredis esse iustam ignorantiam, hoc procedit ita, si heres conueniatur ex contractu defuncti: Non si agat. Nam si agit, paratus debet venire ad agendum, hoc est, diligenter explorato iure defuncti. Itaque non est iusta ignorantia hæredis agentis: sed eius cum quo agitur, qui plerumque incogitanter accedit ad causam. *l. pure. 5. §. penult. de dol. except. l. 2. C. de dilation.* Præterea, hæc ratio efficit, vt reus qualiter qualiter instructus veniat ad iudicium. *l. 1. de edendo*, vt constet de re vel qualitate, quæ petitur. Nam edita actio debet comprehendere non tantum genus actionis, sed & rei qualitatem, idque propter periculum plus petitionis, vt scribitur constit. *Hermog.* Cæterum hæres si petit, iustam ignorantiam non allegat: imo si plus petat, causa cadit iure antiquo, vel iure nouo in pœnam incidet ex causa iusta. Nam debuit rem diligentius explorare, quando vellet agere. *Cuiac. in Recitat. posth.*

Ad L.

Ad L. 43. De concurrentibus de- fenſionibus.

NEmo ex his qui negant ſe debere, prohibetur etiam alia defenſione vti, niſi lex impedit.

Prohibetur] niſi mentitus ſit. *l.* 1. §. 15. *ff. ſi quadrupes l.* 21. §. 2. *l.* 22. *in fin ff. de noxalib.*

Alia] *v. l.* 5. *l.* 8. *ff. de except. cap. nullus pluribus* 20. *de regulis in ſexto.* 2. *Eclog.* 3. *cap.* 43.

Eiuſdem] 2. *Eclog.* 3. *cap.* 43. nam variarum rerum nomine, varias ſimul actiones edi poſſe conſtat. *l.* 11. *ff. de iuriſdict. l.* 35. §. 1 *ff. locati.*

Vna] vna tantum Pac. In realibus actionibus *Hotomannus* 27. *illuſtr.* id admittit *arg. l.* 3. *l.* 5. *l.* 6. *l.* 7. *ff. de except. rei iudicat.* in perſonalibus negat. *l.* 130. *h. t. l.* 14. §. 2. *ff. de except. rei iudic. l.* 60. *de obligat. vide Hotom. ibid.*

Debet] & poteſt, non modo poſt vnius actionis damnationem *l.* 93. §. 1. *ff. de legat.* 3. *l.* 28. §. *vltimo ff. de liberat.* verum etiam poſt vnius victoriam *l.* 10 *ff. de act. empt. l.* 18. *ff. de obligat.* interdum eandem inſtaurare ac referre certis de cauſis, veluti ob iuſtum errorem *l.* 13. *ff. de inſtit. l.* 1. §. *vltimo ff. quando de pecul. l.* 4. §. *vltim. ff. quod cum eo. vide Hotomannum ibidem.*

Duæ hîc proponuntur regulæ, vna de reo, altera de actore. Vtraque coniunctâ efficies, plus reo permitti quam actori. Reo permitti-

tur pluribus exceptionibus vti, etiam diuersis. *l. is qui dicit. 5. l. nemo. 8. de exceptio.* & negare potest se accepisse pecuniam, & præterea opponere pacti exceptionem. Actori autem non permittitur pluribus actionibus vti eadem de re simul ad eundem finem. *l. plura 53. de obligat. & act.* vt legatorum nomine non potest legatarius vti variis actionibus, *l. cum filius.* 76. §. *penult. de legat.* 2. Et si commodatarius rem deteriorem fecerit, ei qui commodauit competunt duæ actiones, commodati & legis Aquiliæ: sed vna tantum debet esse contentus. De re etiam furto sublata est actio in rem, & actio furti; vna tantum debet esse contentus. Sed addit in hac lege, nisi lex impediat. Hanc interpretationem recipit *ex Nouell.* 18. *de trient. & semiss.* §. *studium.* ex qua forsitan hæc verba adiecta sunt, vt similia verba *l. 1. Cod. de reb. cred. propter l. vlt. eod.* Ea Nouella continetur, vt reus conuentus rei vindicatione, qui negauit rem esse actoris, postea conuictus, non possit allegare contra, sed transferre debet rem in actorem. Cæterum cum initio negauit rem esse actoris, non debet transfugere ad hypothecam de actione conuentionali. Cauetur autem ea Nouella vt is, qui negauit se debere, non possit postea dicere, se soluisse. Nam iterum soluit, qui negauit se debere, Hæc est pœna inficiatio-

nis:

nis: & ita lex impedit, ne reus vtatur pluribus exceptionibus. *Cuiac. in Recitat. poſth.*

Ad Leg. 44. De herede.

TOties in heredem damus actionem de eo, quod ad eum peruenit, quoties ex dolo defuncti conuenitur, non quoties ex ſuo.

Hæc lex ſupra expoſita eſt *in l.* 38.

Damus] damus actionem *Pac.*

Quod] *v. l.* 37. *h. t. l.* 33. *de obligat.*

Ex dolo] de dolo. *Pac.*

Suo] *l.* 9. *in f. ff. de tributoria.* 2. *Eclog.* 3. *cap.* 44. tunc enim in ſolidum tenetur. *Gothof.*

Ad Leg. 45. De conuentionibus.

NEque pignus, neque depoſitum, neque precarium, neque emptio, neque locatio rei ſuæ conſiſtere poteſt.

Pignus] *l.* 29. *ff. de pignorat. act. v. l.* 30. *in fin. ff. de except. rei iudic. Adde* 2. *Eclog.* 3. *cap.* 45.

Depoſitum] *v. l.* 15. *ff. depoſiti.*

Precarium] *v. l.* 1. §. 11. *ff. de itinere actuque, l.* 4. §. 3. *ff. de precario.*

Emptio] *l.* 16. *ff. de contrah. empt v. l.* 4. *C. de contrah. empt.*

Locatio] *v. l.* 20. *C. de locat.* adde nec vſusfr. nec ſeruitus.

Rei] proprietatem proprietarius emere non potest, sed possessionem, & econtra *leg. 28. de acquir. possess.*

Huius regulæ multi sunt effectus, ad id vt interpelletur vsucapio; si rem, quam cœpi vsucapere, domino locauerim. Idem est, si eam rem domino vendidero, vel pignori obligauero. *l. ei, à quo* 21. *l. non solum* 33. §. *si rem tuam* 5. *de vsurpat. & vsucap.* Et si dominus ignorans rem suam emerit, pretio soluto indebiti condictionem habet, quia emptio rei meæ non consistit, *leg. sua rei* 18. *de contrah. empt.* Qui rem suam conducit, non tenetur locati; qui rem suam apud se deponi patitur, non tenetur depositi. *l. qui rem suam* 15. *depos.* Postremus effectus huius regulæ est, vt pignus tollatur adquisitione dominii, licet non semper actio hypothecaria tollatur. *l. pen.* §. *vlt. de except. rei iudic.* in cuius specie sublata hypotheca comparatione dominii, non tollitur hypothecaria actio *l. 25. de noxal. act.* Male Accursius ad *d. l. penult.* coniungit *l. debitor* 59. *ad Senatusconsultum Trebellianum.* Quæstio legis penultimæ est, an sublata hypotheca, tollatur actio hypothecæ? Recte ait Iurisconsultus, REI SVÆ, hoc est proprietatis: nam possessionis & precarium & venditio potest consistere. *l. si aliquam rem* 28. *de adquirend. possess. l. si in emptione* 34. §. *rei sua, de contrah. empt.* Si rem

meam

meam mihi reddi ſtipuler, valet ſtipulatio: ſi dari, non valet *leg.* 4. §. *Labeo*, *de doli except.* Rurſus hæc non valent, ſi fiant pure, ſi ſub conditione, valent. Item, rem meam recte emo ſub conditione. *l. exiſtimo* 98. *de verborum obligat.* Præterea quædam ex iis negotiis inter ignorantes non recte contrahuntur, inter ſcientes recte. Sciens dominus à ſciente domino recte conducit: vt ſi fundum meum poſſideas, ego recte à te conducam, cum rem poſſidere videar iure conductionis. *l. quædam* 77. *de rei vindicat.* Re, quam volumus alienare, conducta, vel in ea relicto vſufructu, videtur vſusfructus ab eo conſtitui. *Cuiac. in Recit. poſth.*

Ad §. 1.

De poſteriore ſententia huius legis dictum eſt *in l.* 27. *h. tit.*

Ad Leg. 46. De pœna.

QVod à quoquam pœnæ nomine exactum eſt, id eidem reſtituere nemo cogitur.

Repetere] pœnæ depenſæ, repeti non ſolent. *l.* 19. *l.* 42. *ff. de condict. indeb. leg.* 22. *ff. de pignorat. adde leg.* 52. *in fin. Pro ſocio. leg.* 74. *de ſolut.* In *l. pœna* 42. *de condict. indeb.* ICTus ait: Non ſolent repeti pœnæ quæ depenſæ ſunt. Verbo Solent ſignificatur eſſe regulam,

vt in l. pupillum h. t. & comprobatur *l. 1. ad L. Iul. de ambitu.* Si damnatus de ambitu in integrum restituatur, restituitur famæ suæ, sed non petet pœnam 100. aureorum, licet res redierit ad causam indebiti. Idem probatur *in leg. 3. §. & si sub conditione 14. de tab. exhibend.* Quidam legatarius est sub conditione, ea pendente sibi vult exhiberi tabulas: feret pœnam contumaciæ heres, nisi exhibuerit: ablata pœna contumaciæ, deficit conditio. An cogitur pœnam restituere? minime. Pœnæ enim non solent repeti quæ depensæ sunt. Lex ait, eidem, hoc est, à quo pœna exacta est. Comprobatur hæc regula *in l. si debitor. 79. de furt. & l. id quod 74. de solution.* Interdum fit furtum rei suæ. Quod si creditor furti actionem aduersus debitorem habuerit, an in sortem computabitur pœna? Minime, sed cedet lucro creditoris. In conductore & commodatario id fit, vt, qui rem conduxit, si rem surripuit, locatori teneatur locato. *l. 6. locati. leg. vlt. §. fin autem C. de furt.* Namque magna est differentia inter creditorem, conductorem, locatorem, commodatarium. *Cuiac. in Recitat.*

Ad Leg. 47. De consilio, & sociis.

Consilii non fraudulenti nulla obligatio est: cæterum si dolus & calliditas intercessit, de dolo actio competit.

Ex

Ex *tit. mand. v. l.* 2.

Conſilii] 2. *Eclog.* 3. *cap.* 46. *c. nullus* 62. *de reg. in ſexto l.* 2. *in f. ff. mandati.*

Fraudulenti] Nam fraudulentum obligat. *v. l.* 8. *ff. de dolo. l.* 1. §. 3. *ff. de ſeru. corrupt. l.* 43. §. 3. *ff. de furtis l.* 20 *C. eod. l.* 16. *ff. de pœnis:* & ſi alter ſine conſilio noſtro id non erat facturus. *leg.* 6. §. 5. *ff. mandati.*

Socius] 2. *Eclog.* 3. *c.* 47 *l.* 19. *l.* 20. *ff. pro ſocio.* dic idem in liberto liberti *l.* 105. *ff. de verb. ſignif.* & vaſallo mei vaſalli, & colono mei coloni (ratione tamen alterius, non eiuſdem prædii, quod à me vaſallus habet.) Non idem in amico inimici mei. *leg.* 1. §. 10. *ff. de off. præf. vrb. l.* 3. *ff. de teſtib. l.* 4. §. 3. *ff. de legationibus: v. l.* 28. *C. de inoff.* & in fideiuſſore fideiuſſoris mei *l.* 27. § 2. §. 3. §. 4. *ff. de fideiuſſorib.*

Duæ ſunt ſententiæ huius legis. Prima pertinet ad negotium mandati, vt docetur *l.* 2. §. *vlt. mandati.* Mandatum non contrahitur tua tantum gratia, vt ſi ego mandem tibi, vt pecunia tua fundum potius emas, quam fœnus contrahas, hoc non eſt mandatum, ſed conſilium, quod nempe ſuadet, vt potius in eam rem conuertas pecuniam, quam in aliam; tu debes explorare, an conſilium tibi expediat. Itaque ex conſilio nemo obligatur. Aliud eſt mandatum, aliud conſilium. Ex mandato eſt obligatio, ex conſilio bona fide dato, non item;

item; ex consilio mala fide dato, est actio de dolo. Mandaui procuratori meo, vt vteretur consilio Sempronii, qui adhibitus, suasit, vt pecuniam meam fœnori collocaret: quo consilio vsus est Procurator, & res male cecidit, nam eam male collocauit? Sempronius non tenebitur, nisi dolo suasit: tunc enim tenebitur de dolo malo, non mandato. *l. idem quaero §. si quis ea. 7. mandati.* Nunquam ex consilio est actio mandati, sed de dolo. Malum consilium coercetur in maleficiis, propriis actionibus, vt actio ex ope consilioque datur in duplum, *l. vlt. C. de noxal. actionibus.* Est etiam actio serui corrupti *l. 1. l. persuaderi. de seruo corrupt.* Ait Prætor, teneri hac actione dupli eum, qui persuasit seruo alieno. Persuadere, est cogere sibi parere, illud certe plus est quam compellere, hoc est valde compellere. Sed inquit *dict. l. 1.* Persuadere est verbum commune. Nam suadet is & qui bonum consilium & qui malum dat. Ideoque Prætor adiicit, MALO CONSILIO. Posterior sententia legis sumpta est *ex l. nam socii 20. pro soc.* Species sumitur *ex l. qui admittitur 19. eodem.* Finge. Ego & tu sumus socii, ego admisi in societatem Titium; qui mihi tantum erit socius, non tibi, cum societas tantum contrahatur consensu, & eum, quem admisi ego, tu non admiseris; & dices: Socii mei socius, non est meus socius. Si ergo ha-

habeam duos ſocios, cum mihi ſint ambo ſocii, an ideo inter ſe cenſebuntur ſocii? Minime: fieri enim poteſt, vt ego cum iis contraxerim, ii tamen inter ſe non contraxerint, *Cuiac.*

Ad Leg. 48. De calore iracundiæ, & de Diuortio.

QVicquid calore iracundiæ vel fit vel dicitur, non prius ratum eſt, quam ſi perſeuerantis apparet iudicium animi fuiſſe: ideoque breui reuerſa vxor, nec diuortiſſe videtur. *Ex tit. de diuort.*

Dicitur] in contractib. *l. 9. ff. de publicanis*: in voto, *Dec. hic num.* 3. in iuramento. *l. 2. C. ad L. Iul. Maieſtat.* confeſſione, *Decius hic, numero* 4. at non in delictis. *qua de re v. l. 5. C. de iniuriis.*

Perſeuerantia] perſeuerantis *Pac.* animi perpetuitate *l. 3. ff. de diuortiis*: & merito. Nam ex perſeuerantia animi deliberatio præſumitur *l. 38. §. 6. ibi, & ideo abſtinenti ff. de adulter.*

Breui] *v. l. 33. ff. de ritu.*

Vxor] id ampliatur ad fugitiuum & bannitum *Gothofr. hic.*

Diuortium eſt, quod animi perpetuam diſſenſionem habet: quod fit calore iracundiæ, non eſt diuortium. Ex qua ſententia multa ſequuntur, vt *l. quod ſi 31. de Iur. dot.* hoc caſu dotem non nouam cenſeri, ſed eiuſdem matrimonii

monii manere: vel etiam vt donatio facta interim non valeat, sed vt confirmetur morte, vt omnes donationes inter virum & vxorem. Et vocatur iurgium, non diuortium. Hæc sententia pertinet etiam ad eum, qui inconsulto accusauit, vel peierauit per Principem. *l. 2. ad L. Iul. maiest.*

Ad Leg. 49. De circumuentione.

ALterius circumuentio, alteri non præbet actionem.

Ex *tractatu de Tutelis.*

Alterius] puta serui *l. 24. ff. de acquir possess.* procuratoris. *l. 6. §. 2. ff. de condict. indeb.*

Actionem] & lucrum *v. l. 206. h. t. leg. 3. §. 12. de peculio l. 14. ff. de condict. indeb.* vel damnum *v. l. 155. h. t.*

Ambigua est oratio. Nam verbum circumuentio hic ambiguum est: & ex inscriptione, certa interpretatio duci non potest. Bulg. & Accurs. ita deducunt. Tutor circumuenit eum, cum quo contrahebat nomine pupilli: hæc tutoris circumuentio non efficit, vt pupillus habeat actionem *l. 4. §. illa etiam quæstio. 23. de doli except. l. sed & 15. de dolo.* Idem Bulgarus statuit in curatore & procuratore. Et quidem præbet Procurator domino non raro actionẽ, sed non ex dolo factam. Bona fides nobis sæpe

parat

parat actionem, dolus non parat. Si ministerium alterius bona fide interuenerit, sæpe præbet actionem, dolus nunquam. Verum ex suo etiam dolo nemo sibi parat vtilem actionem. Cur ergo ita de alterius dolo constituimus, cum de suo quisque dolo ita debeat constituere? Dolus meus non præbet mihi actionem. Nam si dolus interuenerit, non habeo actionem. *l. & eleganter. 7. de dolo.* vt ex alieno dolo, sic nec ex suo quis lucrari solet, *l. vlt. §. 3. de eo, per quem factum erit*, &c. Aut, si præbet, inutilem præbet propter exceptionem doli mali? Qua de causa Ioanni potius assentior, qui circumuentionem passiue accipit. Dominus seruum emit per procuratorem; deceptus est procurator, quia nesciebat esse morbosum? Dominus non est deceptus, sed deceptus est procurator. Quoties autem Procuratori competit actio redhibitoria: sane ex sua persona non competit, si sciens emit: nec ex domini persona, quia altero circumuento alter qui circumuentus non est, non habet actionem. Circumuento tamen domino habet actionem Procurator. *l. cum mancipium 51. de ædilitio edicto.* Recte ait, alii, vel alteri. Nam ei, qui circumuentus est, circumuentio præbet actionem: atque ita in hac significatione recte regula constituitur de alterius tantum dolo. Recte etiam Ioannes *ad d. l. & eleganter. 4. de dolo*, negat do-

lum

lum mediatoris seu proxenetæ, qui induxit contrahentes ad contrahendum, dantem causam contractui, vitiare contractum. Dolus contrahentium vitiat contractum, *vt in specie d.l. & eleganter.* Dolus serui, quo inductus dominus est, vt venderet eum bonæ fidei emptori, non vitiat contractum: si dolo emptoris sit circumscriptus, vt venderet, non valet venditio. Proxeneta qui aliquid dolo facit, tenetur de dolo *l. 2. de proxenet.* Proxenetæ igitur dolo non vitiatur contractus: nam cessaret actio de dolo, quæ tum cessat, cum aliud est remedium seruandi sui. Cum ergo sit actio de dolo in proxeneta, apparet vtiliter contractum esse, nec obstat regula: Alterius circumuentio alteri non præbet actionem. Nam circumuentio hîc actiue non capitur, sed passiue. In actiua significatione regula accipitur de eo, qui contrahit dolo malo, vt posuimus exemplum de curatore, procuratore, tutore. Proxeneta non contrahit, nec eius interuentu præbetur actio: quia non ipse negotium gerit. Itaque falsum est, quod vulgo existimant, contractum vitiari dolo proxenetæ: sed est in eum actio de dolo, *dict. l. 2.*

Ad Leg. 50. Carere culpa.

Culpa caret qui scit, sed prohibere non potest.

Ex tit. de Noxalib.

Qui ſcit] *l.109.h.t.l.33.in fin.ff.locati.l.1.§.18.l.3.ff.de Silaniano.*

Prohibere] Proditionis ſpecies eſt, delictum futurum non detegere. Ideoque ſubditus qui conſilia aduerſus Principem inita non detexit, punitur *l.5.C.ad L.Iul.maieſt.*

Non poteſt] alias colonus *l.13.§.7.ff.locati.* ſeruus *l.1.§.18.ff.de Silaniano:* dominus *l.2.§.1.ff. de noxalib.l.6.ff.de iure patronatus:* qui non prohibet cum prohibere poſſet, tenetur. Eſt enim ſpecialis ac mutua inter huiuſmodi perſonas connexio. An idem in aliis perſonis? quidam aiunt voluntatis ac officii magis eſſe quam neceſſitatis, alteri benefacere *l.17.§.3.ff.commodati.* Sic ſentit *Gothofr. hic.* Hominis intereſſe hominem beneficio affici *l.7.in fi.ff. de ſeruis exportandis:* ideoque eum iuſte puniri, qui cum lacertis aut telo armatus, aggreſſorem facile poterat propulſare, & paſſus eſt inermem interfici. *Seneca in Troade act.2.* Non patiar, in me culpa cunctorum redit. Qui non vetat peccare, cum poſſit, iubet.

Si domino ſciente ſeruus noxam committat, dominus tenetur in ſolidum ſuo nomine. Excuſatur tamen, ſi dominus ſciuerit, & non potuerit prohibere; quod demonſtrat *l. in omnibus 3. & l. in delictis 4. de noxal. actio.* Interdum enim dominus non poteſt prohibere: vt,

si seruus proclamat ad libertatem, vel domino trans flumen existente seruus aliquid faciat, quod prohibere non possit dominus cis flumen existens. Ad hanc speciem pertinet hæc regula de noxalibus actionibus l. 9. Sed extendi potest ad alia multa, *secundum l. sæpe. 63. de re iudic.* Quæritur: an res inter alios iudicata aliis noceat? Nocet, si potuerit prohibere agentem: non nocet, si non potuerit prohibere. *v. l. fluminum* 24 §. *quanquam. 6. de damn. infect.* Species eius est. Quidam promisit damni infecti; opus factum est ab alio eo nesciente, non tenetur: at eo sciente tenetur, nisi non prohibere potuerit: nec cogitur promissor probare factum, quod prohibere non potuerit. Ex regulis ius non est constituendum. Pater, qui filium patitur bina sponsalia contrahere, vel ducere vxorem, quæ nondum expleuit tempus luctus, notatur infamia: hoc ita, si patitur pater, hoc est, si non prohibuerit, cum prohibere potuit. Et generaliter, nullum patitur crimen, hoc est nullum crimen fert patienter, & tolerat is, qui non prohibet, cum prohibere non potest. Huc pertinet *l. si quis seruo 20. C. de furt.* Cuius species hæc est. Seruus domino sciente nec contradicente, cum prohibere posset, suasu alterius fecit furtum? Dominus habebit furti & serui corrupti actionem aduersus eum, qui suasit. Et nullum crimen patitur, qui prohibuit,

buit,

buit, cum prohibere posset. Lege Cornelia de falsis & ille qui nummos adulterinos fecit, punitur, imo & qui non prohibuit conflari, cum prohibere posset. *l.9.§.1.de leg. Cornel.de fals. Et Agellius l.7.inquit:* Solent puniri, qui morituris auxilium non ferunt. *Cuiac.*

Ad Leg.51. Non capere.

NOn videtur quisquam id capere, quod ei necesse est alii restituere.

Ex tit.de bon.possess.supr.in l.13. est explicata. Restituere] *v.2.Eclog.3. cap.52.l.49 ff. de donationib.int. vir.l.42.ff. de legat.2.l 16.§.15.ff.ad Trebellianum.l.3.§.4.ff.de legat.præstand.l.71. ff. de verb.signif.* multo minus is cepisse videbitur, qui à re petenda exceptione remouetur *l.13.ff. eod.* Idem in eo qui tantum erogat, quantum accipit *l.122.in f.ff.de legat.1.* aut qui alii administrat *l.10.in fin.ff.de inoff.* aliud erit si ex longo interuallo quis cogatur restituere, & medio tempore vtilitatem perceperit. *l.49.ff.de donat. int.vir.l.45.l.73.§.4.ff.ad L.Falcid.l.22.§.2.ff.ad Trebell. Gothof.hic.*

Ad Leg.52. Non defendere.

NOn defendere videtur, non tantum qui latitat, sed & is qui præsens negat se defendere, aut non vult suscipere actionem.

Non] latitare, negare defensionem, nolle suscipere actionem, paria sunt. *Gothof. hîc.*

Defendere] defendere quid, *v. l. 35. §. 3. ff. de procuratorib. l. 21. in fi. ff. Ex quib. caus. maior.*

Non tantum] non tantum qui præsens negat s.d.a.n.u.s. actionem, sed & is qui latitat. *Faber 1. semest. 23.* & recte Est enim à verioribus & confessis ad difficiliora progrediendum.

Latitat] Non recte defendit, qui latitat. *v. l. 5. §. 3. ff. Quibus ex caus. in possess.* Quid sit latitare *v. l. 3. ff. de iudiciis. l. 1. l. 28. ff. de fideicom. libertat. l. 7. §. 4. ff. quibus ex caus. in poss.*

Negat] *l. 11. §. 4. ff. de interrogat.*

Hæc regula pertinet proprie ad actionem Fauianam, de qua in tit. si quid in fraud. patroni. Actione Fauiana [illegible] ocatur, quod libertus alienauit in fraude m patroni. Paulianæ locus est, si quis conuentus rem suam non defendat. *l. 3. Quæ in fraud. creditor.* Ex eadem causa Fauianæ locus est, si libertus se non defendat. *l. 1. §. quid si in lite 7. si quid in fraud. patr.* Nunc dicamus, quando videatur rem non defendere. Primo non defendit, si latitat, hoc est, turpiter se occultat *l. Fulcinius. quib. ex caus. in possess. eatur.* Si quis igitur latitat, ille non defendit rem suam. Deinde non defendere etiam dicitur, qui præsens est in iudicio, & patitur se vinci, aut qui vltro se patitur damnari ex contumacia. Igitur libertus; qui rem

rem suam non defendit, his modis, si data opera aliquid admisit, actione Fauiana restituitur patrono. *Cuiac. in Recitat. posth.*

Ad Leg. 53. De solutione indebiti.

CVius per errorem dati repetitio est, eius consulto dati donatio est.

Ex tit. si quid. in fraud. pat.

Consulto] qui dat indebitum per errorem, repetit: qui consulto, donare intelligitur; ideoque non repetit *l. 1. in f. ff. de condict. indeb. v. l. 9. C. de condict. indeb.*

Donatio est] dummodo alieno nomine non detur. *l. 19. § 1. ff de condict. indeb.*

Hæc quoque lex pertinet ad Fauianam actionem: idque constat *ex l. tenetur, 5. si quid in fraud. patron.* quæ est *ex lib. 42. ad edict.* quo tractauit Paulus de Fauiana actione hoc modo. Si libertus sciens indebitum soluerit, vt minueret bona patroni, actione Fauiana reuocatur, & donasse videtur in *l. qui fundum 9. §. seruus meus 2. pro emptore.* Et ita in *l. 6. si quid in fraud. patron.* si libertus, cum fraudare patronum vellet, filiofamilias contra Senatusconsultum pecuniam crediderit, non erit inhibenda actio Fauiana: quia libertus donasse magis in hunc casum intelligendus est in fraudem patroni: quam contra Senatusconsultum credidisse. Id verum est, si sciens hoc fecerit: si ve-

to per errorem soluerit, tunc cessat Fauiana, & competit condictio indebiti. *Cuiac. in Recitat.*

Ad Leg. 54. De Iuris translatione.

NEmo plus iuris in alium transferre potest, quam ipse habet.

Ex *tit. vnde legit. Paci.*

Nemo] *l. 120. h.t. 2. Eclog. 3. cap. 35. c. nemo. 79. de regul. in 6. v. l. 20. ff. de adquir. rer. dom.* excipe procuratorem §. 42. 43. *Inst. de rer. diuis.* tutorem, curatorem *l. 22. C. de administr. tut.* executorem iudicii §. *vlt. Instit. de off. iud.* malæ fidei venditorem & creditorem (cui licet rem debitoris interdum alienare *l. 46. ff. de adquir. rerum.*) censitorem, flumen, imperatorem. *vide Dynum ad d. cap. 49. adde tit. quibus alienare non licet. Instit.*

Plus iuris] sed idem, puta idem dominium *l. 11. §. 2. ff. de act. empt.* eaidem seruitutes, causas, iura: eadem onera & vitia *l. 1. C. sine censu.* Lex autem inquit plus iuris; *l. nemo. 120. h. t.* plus commodi. Nemo plus dat iuris, quam habet *l. 59. h. t.* heres actionem habet, quam habuit defunctus, & pleniorem nonnunquam *l. reperitur 84. ad L. Falcid. leg. si per imprudentiam 51. §. non mirum 3. de euictionibus.* Eandem habet hæres. Sed aliquando plus veniet, quam veniret viuo testatore, ob accidentia.

Eadem

Eadem igitur eſt actio: ſed aliquanto eſt plenior. Excipiuntur actiones, quæ defuncto, non hæredi, competunt: actio de calumniatoribus, actiones populares, & actio iniuriarum, & quæ vindictæ, non pecuniæ habent perſecutionem, de quibus *in l.* 38. Excipiuntur etiam vſus, vſuſfructus, habitatio, priuilegia perſonalia, quæ hæres non habet. Iura autem hæreditaria ſequuntur hæredem, nempe omnia incommoda & commoda; & actio quæ cœpit in defunctum, in hæredem tranſit: leuior tamen nonnunquam *l.* 4. *de magiſtr. conueniend. leg.* 1. C. *de hæred. tut.* Et quod dicitur, heredem ſuccedere in omne ius defuncti, tam actiue quam paſſiue accipitur: vt hæredi proſit, quod defuncto profuit: & noceat, quod defuncto nocuit. *leg. cum heres* 11. *de diuerſ. & temp. præſcript.* Mala fides, quæ obſtat defuncto ne vſucapiat, obſtat etiam hæredi eius; & eſt ſucceſſor vitii defuncti: ſuccedit etiam in malam fidem defuncti, licet ſit bonæ fidei poſſeſſor. Diuerſa cauſa eſt eorum, qui in rem ſuccedunt: quoniam hi certo iure non habent actiones, niſi illis cedantur. Non etiam ſuccedunt in vitia *l. an vitium* 5. *de diuerſ. & tempor. præſcript.* cuiuſmodi ſunt legatarii, emptores, &c. Emptor bonæ fidei poteſt vſucapere rem emptam, licet venditor non potuerit. Eadem cauſa eſt legatarii & donatarii *dict. l. an vitium.*

In hæredibus ratio diuersitatis est manifesta; quia sunt vniuersi iuris successores, & vicem defuncti sustinent. Sed quod ad hanc regulam attinet, pertinet ea ad quosuis successores. Si is qui vendidit & tradidit, dominus fuerit, transferet dominium; si dominus non fuerit, non transferet dominium in emptorem, sed possessionem solum transferet *l. traditio* 20. *de acquir. rer. dom. l. aliud est vendere* 160. *h. t.* Id tamen vitiatur nonnunquam. Nam creditor distrahendo pignus, dominium transfert pignoris, quod non habet. *l. non est nouum* 46. *de acquir rer. dom.* Cuius rei rationem adfert Iustinianus, quia distrahit ex voluntate debitoris, atque adeo nihil mirum, si transferatur dominium, distrahente eo. Sed creditor potest pignus distrahere contra conuentionem: scilicet debitore admonito, & non luente pignus. Verum hoc casu videtur distrahere ex tacita voluntate debitoris, cum debitor pignus non luat, quando ei denunciatum est. De omnibus tam rei quam iuris successoribus etiam est, quod dicitur *l. inuitus* 156. §. *cum quis* 2. *h. t.* Plerumque emtoris eadem esse causa debet circa petendum & defendendum, quæ fuit auctoris. Et quod proponitur in *l. qui in ius* 177. *h. t.* qui in ius dominiumve alterius succedit, iure eius vti debet. In ius, vt si à non domino; in dominium, vt si à domino,

no, vel potius, in ius, hoc eſt nomen: in dominium, vt ſi rem emerit, *leg. ſicut* 37. *de action. emt.* Lex ait, *dolum emptori non nocere, nec prodeſſe: quia non ſuccedit in vitia venditoris.* Eodem ergo iure non vtitur emtor; nec nocet emtori, quod venditori. Non eodem iure eſt emtor, ſcilicet paſſiue: quia non patitur dolum venditoris: ſuccedit tamen emtor in ius & conditionem, quæ rei adhæret. *l. apud* 4. §. *de auctoris* 27. *de doli exceptio.* vt ſi res ſit furtiua, emptor non vſucapiet: ſi res ſit pignori obligata, emtor tenebitur actione hypothecaria: ſi res ſit aliena, emptor tenebitur vindicatione: & ſi peruenerit ad dominum res, & velit agere Publiciana, repellitur *l. penult. de Publ. in rem act.* Beneficium venditoris prodeſt emptori: dolus ſi non prodeſt venditori, & emptori non prodeſt; atque ita cum emtor lucrum capiat ex dolo venditoris, eodem iure vtimur: ſubmouetur enim, vt ſi emptor velit acceſſione temporis, & perſona venditoris ad vſucapiendum vti, ſane vtetur cum ſua cauſa, eiuſque vitiis. Si initium ſit vitioſum in perſona auctoris, erit etiam in perſona emptoris. *d.* §. *de auctoris. l. Pomponius* 13. §. 1. *de adquir. poſſeſ.* atq; ita mala fides venditoris non prodeſt emptori. Sed ſi emptor nolit eo tẽpore vti, hoc eſt, acceſſione temporis, & velit tunc primum vſucapere, iure vſucapit, nec oberit vitium aucto-

ris, si ipse bonæ fidei emptor fuerit. Eadem distinctio adhibenda est *l. in his* 175. §. *vltim. h. t.* Non debeo melioris esse conditionis, quam autor meus à quo ius in me transiit. Mulier intercedit pro alio, munitur Senatusconsulto Velleiano. Intercedit varie fideiubendo, pignora dando. Finge; pignus dedit creditori, & is vendidit pignus bonæ fidei emptori: mulieri datur repetitio rei suæ etiam aduersus bonæ fidei emptorem, ne melioris sit conditionis: & venditur res cum sua causa. Sic igitur dicemus: in eo iure quod transit ab autore in emtorem, non est melior conditio emptoris, eodem igitur iure vti debet. Potest eadem causa esse, & tamen melior potest esse conditio emptoris in eo, quod sibi parat: vt bonæ fidei emptor potest sibi vsucapere, quod venditor propter malam fidem non potuit. Nam hoc ius vsucapiendi non transit ab autore in emtorem, vel *vt Accurs. recte ait*, emptor non à venditore, sed à se ius vsucapiendi habet. Nam non ab autore, sed à legibus vsucapio relinquitur. Igitur mala fides autoris non perfringit bonam fidem emtoris: qua in re emtor, & cæteri, qui huiusmodi ius habent, distant à donatariis & legatariis, qui lucratiuam tantum causam habent. Hi exceptionem doli patiuntur ex persona donatoris vel testatoris, non emptor ex persona venditoris. *d. l. apud* 4.

§. *si*

§. *ſi quis. de doli except.* In vſucapiendo nulla eſt differentia inter eos. Nam & emptor & legatarius bona fide vſucapiunt, quod defunctus vel autor non potuit. Sed in exceptione doli, quæ illis agentibus obiicitur, eſt differentia inter eos, qui ſuccedunt ex cauſa lucratiua, & eos qui ſuccedunt ex cauſa non lucratiua. *Cuia. in Recitat. poſth.*

Ad Leg. 55. De eo qui ſuo iure vtitur.

NVllus videtur dolo facere, qui iure ſuo vtitur.

Ex *titul. ſi quis omiſſ. cauſ. teſtament. Paci.*

Suo iure] *v. l. 129. h. t l. 26 ff. de damno. & leg. 3. §. 7. ff. de incendio. adde l. 9. §. 1. ff. de condict. cauſ. data. l. 13. §. 1. ff. de iniuriis:* & ita tollendo ædes vicini quis poteſt obſcurare intermiſſo legitimo ſpatio. *l. 9. l. 14. ff. de ſeruitut. vrb. l. 26. ff. de damno l. 8. C. de ſeruitutibus*: niſi ſola malitia (cui non eſt indulgendum) id fiat. *l. 61. h. t. l. 38. ff. de rei vindicat. l. 1. §. 12. ff. de aqua pluu. 2. Eclog. 3. c. 60. Gothofr. hic.*

Exemplum tale eſt. Is qui prætermiſit cauſam Teſtamenti, vel aditionem hæreditatis ex cauſa teſtati; (qua in re fraudantur legatarii) adit hæreditatem ab inteſtato, quia erat proximus hæres, & hoc erat in eius poteſtate. Hic incidit in edictum; *Si quis omiſſa cauſa Teſtamenti*: proinde tenetur legatariis, atq; ſi adiiſſet

isset ex Testamento, quia dolo id facit. Sed non videtur dolo id facere; & ideo non incidit in edictum illud, si suo iure vtatur, vtpote si facultate vtatur à testatore sibi concessa. Quare si testator permiserit electionem, hoc est, vt si hæres esse nollet ex Testamento, veniret ab intestato, iure suo vtitur *l. 1. §. si proponatur. l. quia 6. §. plane 1. si quis omiss. caus. testam.* Et ad hanc speciem hæc lex proprie pertinere videtur, vt argumento est inscriptio. Sed porrigi etiam posset ad aliam vt *l. 3. §. is qui 6. de lib. homin. exhib.* vbi non videtur dolo malo facere, qui suo iure vtitur. Species est aperta. Eadem est regula *l. nihil dolo 129. h. t.* Sed alio pertinet, maxime ad edictum, quæ in fraudem creditorum, siue actionem Paulianam, qua tenentur, qui fraudant. Sed finge. Quidam creditor sibi vigilauit, & occupauit suum petere: non videtur fraudare ceteros, nec fraudat qui suum colligit, hoc est repetit, exigit *l. 6. §. apud. quæ in fraud. cred.* Creditores accipe, quibus ex quacunque causa actio in fraudatorem competit, etiamsi sub conditione competat; dummodo conditionis euentus exspectetur, *leg. si cum fideicommissa 16. §. ne quis 2. & §. penult. qui & à quibus manum.* Adiungenda etiam est *l. factum cuique suum 155. h. t.* Hæc lex nostra, in qua versamur, est de iure, *l. factum 155.* pertinet ad interdictum *Vnde vi*; cum quæ-

quædam vis fiebat, ex veteri formula agebatur, vindicabatur, adhibebatur vis quædam ciuilis, quæ non coërcetur interdicto *unde vi*. Qui manum conſerit ex iure, non videtur vim facere: ſed interdicto *unde vi* coërcetur vis, quæ fit contra ius. *Cuiac. h.*

Lex 56. De dubiis.

SEmper in dubiis benigniora præferenda ſunt.

Benigniora] τὸ φιλανθρωπότερον 2. *Eclog.* 2. *cap.* 57. *adde l.* 168. *h. t. l.* 18. *ff. de legibus l.* 4. *ff. mandati l.* 24. *ff. de reb. dub. leg.* 5. *in fin. ff. de lega.* 1. humanius, *l.* 3. *in fin. ff. de his quæ in teſtam.* quod eſt minus ſeuerum. *leg.* 42. *ff. de pœnis:* quale eſt fauere liberationi. *l.* 47. *ff. de oblig.* libertati, reo, ei quod minus eſt. *l.* 38. *ff. de re iudic. Gothofr. hîc.*

Eadem eſt regula *l. ea quæ in partes* 192. §. *ult. h. t.* & ad eam legem conſtat apponi exemplum in *l.* 3. *de his quæ in teſtament. del.* Id autem eſt de legatis: qua de cauſa exemplum videtur aptandum eſſe ad hanc regulam: quod tale eſt. Teſtator induxit nomina heredum, cetera non deleuit. heredibus ſuccedit fiſcus, quia videntur remoti q. indigni. Sed *quæritur*, An fiſcus præſtare debeat legata, quæ non ſunt inducta? Et à Fiſco eis deberi, in dubio dicimus. Hoc enim eſt benignius, & benigniorem inter-

terpretationem sequi oportet. Et est vsus huius regulæ frequens in foro: & sunt similia exempla in *l. 2. de his quæ in test. del. l. cum inter.* 14. *C. de fideicom. libert. l.* 5. *C. de bon. quæ liber.* Et generaliter capienda est occasio benignioris responsi *l. capienda* 168. *h. t.* In pœnalibus causis benigniora præferenda sunt. *leg. factum cuique* 155. §. *vlt. h. t.* quod & ostenditur in pœnis *l. perspiciendum* 11. *l. interpretatione* 42. *l. si prases.* 32. *de pœnis.* Sed ad hanc *leg. factum cuique suum*, pertinet species *leg. si prases.* 32. quæ tota est de vi. Itaque ad §. *in pœnalibus* pone exemplum ex *l. si prases.* Vim fecisse videris, neque constat, de qua vi senserit iudex. Iam sententiam tacite sequitur ipso iure pœna, quæ est iure constituta. *Quæritur*: Is qui damnatur ita, qua pœna est plectendus? *Lex ait*, mitiore. Itaque priuatam vim fecisse existimabitur. *Accurs.* ad hanc *l.* 56. *& ad l. nullus*, non male ponit exemplum ex *l. merito* 51. *pro socio*: cuius species est: socius amouit rem communem, an tenebitur furti? videndum quo animo amouerit. Si amouerit lucri faciendi causa, tenebitur lucri causa; si amouerit dolo, furti tenebitur; si amouit suo iure furtum non facit aut dolum, qui suo iure vtitur. In dubio itaque benignior interpretatio recipitur. Si igitur dominus furtum non facit; credendum est potius in re dubia, eum qui partis dominus est, potius suo

ſuo iure vti voluiſſe, quam furtum feciſſe. In dubio itaque benignior interpretatio recipitur. *Cuiac. in Recitat. poſth. h.*

Lex 57. Ne bis exigatur.

BOna fides non patitur, vt bis idem exigatur.

Bis idem] *l. 26. ff. de peculio. l. 51. ff. de re iudic. l. 3. §. 18. ff. de tab. exhib. l. 34. ff. de oblig. v. Hotoman. 5. obſ. 18. vid. l. 130. infr. eod.*

Hæc ſententia non tantum in bonæ fidei iudiciis locum habet, ſed etiam in ſtrictis. Nam & ibi bona fides locum habet, licet maxime in bonæ fidei iudiciis dominetur, quod conſtat ex multis legib. *l. venditor 21. de hær. vel act. vend. l. ſi quis dolo. 31. de re iud.* Is autem qui iterum exigit, modo repellitur ipſo iure, modo per exceptionem doli mali. Plerunque ipſo iure, quia ſolutione tollitur obligatio ipſo iure: nonnunquam oppoſita exceptione doli mali *l. pupillo. 15. l. 3. §. vlt. de tab. exhib.* Quidam pupillo ſoluit ſine tutoris autoritate: ſalua eſt pecunia penes pupillum: pupillus ſi interim petit, non repellitur ipſo iure; quia ſoluta eſt pecunia tutore abſente; ſed per exceptionem doli. Interdum tamen ſoluti recte fit exactio, *Nou. 18. cap. 8.* coercendæ inficiationis cauſa. Is qui ſoluerat pecuniam debitam, conuentus ex chirographo, negauit ſe ſcripſiſſe chirographum, & pecuniam acce-

accepiſſe: conuictus eſt mendacii, an poterit poſtea allegare ſe ſoluiſſe? *Minimè*. Cur enim verum non ſtatim protulit? Ergo bis exigitur idem; hæc eſt inficiationis pœna.

Lex 58. De peculio.

EX pœnalibus cauſis non ſolet in patrem de peculio actio dari.

Ex *titul. de peculio*.

Ex pœnalibus] *l. 1. §. 7. ff. de his qui deiecerint. l. 6. §. 2. ff. rer. amotar.*

Actio de peculio, eſt in ſolidum peculium: pater ipſe tenetur nonnunquam in ſolidum pro filio: interdum omnino non tenetur: vt ſi peculium nullum ſit rei iudicatæ tempore, omnino non tenetur. Interdum non tenetur in ſolidum: ſed in id tantum, quod verſum eſt in peculium, vel in rem ſuam: interdum etiam nec de peculio tenetur: ex contractu filii pater tenetur de peculio filii, etiamſi nihil in peculium verſum ſit. Caſus quidam ſunt, quibus etiamſi actor rem perſequatur, in patrem tamen ea eſt de peculio: ſed pro modo tantum eius, quod in rem patris verſum eſt. Nam clauſula *de in rem verſo*, ineſt actioni *de peculio*, atq; nonnunquam comprehendit vtrumque. Id accidit his caſibus, vt: ſi agatur filii impuberis nomine, nam tunc tenetur tantum de eo, quod verſum eſt in rem patris. Nam nec impubes

bes tenetur, nisi quatenus locupletior est factus, & nisi in id, quod versum est in rem eius, *l.1.§.si cum impubere 4.de peculio*.Item si agatur condictione furtiua, vel rerum amotarum in patrem in solidum.*l.3.§.penult. de pecul.l.30. de act.empt.* Idem est, si repetatur quod filius lucratus est alea: nam eius repetitio est. Itaque si repetatur actione *de peculio*, petetur tantum de eo, quod versum est in peculium *l.1.de aleator.* Iam si quæras: cur hæ actiones, condictio nempe furtiua, rerum amotarum, & aleatoria, non dentur in solidum peculium, cum tamen rem persequantur? dicam : etsi rem persequantur, tamen videntur esse ex maleficij causa, & proprie non sunt ex maleficio: nam non sunt noxales. An igitur dicemus, dari in solidum? *Minime*: sed mediam viam sequemur, & dicemus, actionem dari in id, quod peruenit in peculium. Aliis autem casibus, vt ex causa mutui, nullo modo pater tenetur de peculio. *l. vlt. ad SCT. Macedon.* Si credatur pecunia filiofam. non tenetur filiusfamilias, nisi habeat castrense: sed nec pater, etiamsi peruenerit. Ex pœnalib. etiam causis pater non tenetur de peculio: sed post condemnationem pater tenetur actione iudicati *l. & si condemnatus.35. de noxal. actionib.l.3.§ idem scribit.11.de peculio*.Imo vero & post litem contestatam mortuo filio, ex causa pœnali transfertur iudicium in patrem

 de pe-

de peculio. *l. tam ex contractibus. 57. de iudiciis.* Id omne mirum videri non debet: nam fit exemplo hæredis, de quo regula est: hæredem non teneri pœna ex delicto defuncti. Eadem regula est de patre. Sed hæres tenetur post condemnationem, hoc est, condemnato defuncto, ex causa peculii hæres tenetur iudicatum facere. Sic etiam post litem contestatam pater tenetur de peculio *l. omnes. 26. & l. constitutionib. 33. de oblig. & act.* Similiter hæres non tenetur mera actione pœnali, nisi de in rem verso. Hæres tenetur actione mixta, vel rei persecutoria in id, quod peruenit. Sic pater tenetur actione, quæ rem persequitur in id, quod peruenit. Idem in noxali actione tenendum est, & *in l. Aquilia*, quæ sunt mixtæ, & pater tenetur actione mixta in id, quod peruenit. Deniq; eadem est causa hæredis & patris. *Cuiac. h.*

Lex 59. De hærede.

HÆredem eiusdem potestatis iurisque esse cuius fuit defunctus, constat.

Hæc lex s̄ *in l. 54. exposita est.*

Hæredem] priorem, non hæredem hæredis. *Castr. Consil.* 197. *Decius hîc num.* 7. *in fin.* & quidem adita hæreditate cum effectu: alias improprie est hæres *l. 3. §. 2. ff. de hæred. instit. l. 23. ff. de vulg. l. 4. ff. de condit. & demonstr. l. 3. §. 11. ff. de statuliber. l. 18. ff. de stipul. seru.*

Eius-

Eiuſdem] *l.* 156. §. 2. *leg.* 177. *h. t. l.* 37. *ff. de adquir. hæred.* 2. *Eclog.* 3. *cap.* 61. non melioris *l.* 54. *ff. h. t. leg. vlt. ff. ſi familia*: interdum deterioris, nec in eum tranſit poteſtas reuocandi, infirmandi, & ſimilium *l.* 3. *ff. de ſeru. exportan. l.* 13. *ff. ſoluto. l.* 30. *C. de inoff. leg.* 1. *C. de priuileg. dot. l.* 1. *in fin. leg.* 7. *in fin. l. vlt. C. de reuocand. donat.*

Defunctus] cum teſtaretur, cum contraheret, cum paciſceretur *l.* 9. *in fin. ff. de probat.* aut quid tale faceret *l.* 14. *C. de rei vindicat. Decius hic. num.* 34. adde *Dynum cap.* 9. *de regulis in* 6. *nu.* 19. 20. *Gothofr. hic.*

Ad Leg. 60. Mandati.

SEmper qui non prohibet pro ſe interuenire, mandare creditur: ſed & ſi quis ratum habuerit quod geſtum eſt, obſtringitur mandati actione.

Qui non] qui præſens patitur ſuo nomine aliquid fieri, nec id prohibet, mandare videtur, *l.* 156. *in fin. h. t. leg.* 1. §. 5. *ff. de exercit. leg.* 6. §. 2. *l.* 18. *ff. mandati l.* 2. *in fin. C. de adquir. poſſeſſ.*

Ratum] *v. l.* 16. §. 1. *ff. de pignoribus. leg.* 12. *in fin. ff. de ſolutionibus. cap. ratihabitione* 10. *de regulis in* 6.

Habuerit] agnouerit, comprobauerit, *l.* 12.

§. 1. *ff. ratam rem*: verbis vel facto *l.* 5. *C. ratam rem.* intra legitimum tempus *leg.* 24. *ff. ratam rem*: sic qui fructus percipit, possessionem: qui censum, contractũ: vt & is qui agit ex cõtractu, ipsum cõtractum approbare intelligitur. Item, qui ratione administrationis exigit, gestionem approbat: & breuiter, per ratihabitionem actus attribuitur ratum habenti *Dec. hic num.* 10. *Gothofr.* Actus tamen ipso iure nullus, ratus quidem haberi potest; sed nunquam retrotrahitur; cum tantum valeat ab ipso ratihabitionis tempore. *Dec. h. n.* 16. Si mandatum pro forma à lege vel statuto requiratur; ratihabitio non sufficit. *Deci. h. numer.* 17. *Gothofr.*

Is qui pro alio fideiussit, habet aduersus eum pro quo fideiussit, actionem mandati, & hoc, si eo mandante fideiusserit. Idem est si eo præsente & tacente. Nam taciturnitas imitatur mandatum; atque ita mandatum contrahitur tacito consensu. *l. si remunerandi* 6. §. *si passus* 2. *l. qui fide* 53. *mandati l.* 6. *C. mandati.* Is demum non tenetur mandati, pro quo inuito fideiussit quis vel ignorante. Inuitum accipimus eum, qui contradixerit, non qui latet. Non tenetur actione mandati is, pro quo alter fideiussit donandi animo: item, pro quo absente fideiussum est, non tenetur: at pro quo præsente, nec prohibente, fideiussum est, contra

tra

tra eum est actio mandati. Ratihabitio etiam hic mandato comparatur: vt si quis pro Titio absente fideiusserit & ignorante; is vero postea ratum habuerit, tenetur mandati fideiussori. Denique mandati actione tenetur, qui tacuit aut ratum habuit. Posui exempla hîc in fideiussore: sed patet latius hæc regula. Nam interuenire dicitur non tantum qui fideiubet, sed etiam qui intercedit, qui rem obligat pro alio, vel iudicium suscipit; quod ostenditur in Velleiano. Igitur quod dicitur de fideiussore, idem dicatur de omnibus interuenientibus. Sed obstat huic sententiæ *l. si pupilli 6. §. item quæritur 9. & §. seq. de neg gest.* Species *hæc est*, Quidam accepit meo nomine pecuniam à Titio, quam mihi non debebat, sed alii, itaque alienum negotium gessit proprie, sed non tenetur mei contemplatione: *Quæritur*, an sit vltro citroque actio negotiorum gestorum, & possim petere pecuniam eam? videtur non esse: quia alienum est negotium. Ratihabitio tamen facit, vt videatur negotium meum gestum,& erit mutua actio negotiorum gestorum. Verum est, esse negotiorum gestorum actionem, si ratum habuero: sed tentari potest, esse etiam mandati actionem. Nam ratihabitio duplicem vim habet: vt alienum negotium eius faciat, & habeat etiam vim mandati: & hæ actiones ambæ sæpe etiam concurrunt; &

aget ex contractu & quasi contractu. In hac specie actionem mandati habet, quia ratam rem habuit gestam à præsenti, quia præsentia facit, vt ratihabitio sit mandatum. At in *l. 6.* res gesta ab absente rata habita est; hæc simplex ratihabitio eandem vim non habet. Itaque si res est gesta ab absente, vt alienum negotium faciat nostrum, non habet mandati actionem. His addatur *l. hoc iure.* 152. §. *in maleficio 2. h. t.* quæ tamen pertinent ad aliam speciem, nempe ad id quod est scriptum in *l.* 1. §. *deiecisse.* 12. *de vi & vi arm.* Videtur deiecisse is, qui ratum habuit. Qui pro tacente fideiussit, tenetur quoque mandati: quia ratihabitio tum pro mandato habetur. Opponit Accurs. *l. si cum pecuniam.* 3. *C. de contrah. stipul.* vbi ex ratihabitione datur actio negotiorum gestorum: cum tamen hic detur mandati. Non sunt leges hæ contrariæ. Nam quæ dat negotiorum gestorum actionem, non denegat mandati: & contra. Et qui tenetur ratihabitione, tenetur mandati: quia eâdem de re alterutra competit. *l.* 5. *de except. rei iudic. leg. cum mancipium. de ædil. edict.* Nam ratihabitio maxime per Sabinum comparatur mandato. *l.* 1. §. *deiecisse.* 12. & §. *seq. de vi & vi arm.* Ideoque, vt ait *Vlpianus,* recte in maleficiis ratihabitio mandato comparatur, *scilicet,* si meo nomine aliquid commissum sit, & rem eam ratam postea habuero:

vt si

vt ſi quis vicinum meo nomine deiecerit, idque ratum habeam, ipſe videor mandaſſe *d.§. deieciſſe*: quia alter deiecit meo nomine, & in rem meam *d.l.hoc iure*, 152. *h.t.* Certum eſt, mandatorem cædis puniri æque, atque eum qui fecit.*tit.de ſicariis.*Sed ſi quis occiderit,non mandato meo, nec poſtea ratum habuero,an teneor?*minime*: at ſi in rem meam factum eſt, & poſtea ratum habuero,teneor *d.l.hoc iure* §. *deiicit.h.t.*in illa ſpecie.Idem etiam *Vlp.*admiſit in aliis multis:vt exemplum eſt in *l.verum* 12.*in fin.de ſolut.* cui iunge *l.licet* 56.*de iudic.* Species hæc eſt. Si non vero procuratori meo pecuniam ſoluat debitor mihi debitam, & ratum habuero, debitor liberabitur; nam ratihabitio videtur mandatum.Diuerſum exemplum adducit *Vlp.in l.quid ergo.*12.*de his qui not.infam.* vbi ratihabitio non comparatur mandato. *Cuiac.in Recitat.h.*

Ad Leg.61. De refectione domus.

DOmum ſuam vnicuique reficere licet, dum non officiat inuito alteri, in quo ius non habet.

Coniunge *l.*2.*de ope publ.*

Reficere] & ſic *aliud* eſt reficere, & ad priſtinam formam reducere, *aliud* de nouo facere. *l.*3.§.15.*ff.de itin.actuq.priuato*:iuſte tamen agere poſſum. Nam ſi reficiendo officere vicino

inuito non licet, multo minus nouum opus inchoando.

Officiat] ideo officere non intelligitur, qui iure seruitutis sibi adquisito vtitur, aut qui citra seruitutem iusto spatio, aut altitudine legitima ædificat, id est, qui soli & cœli mensuram analogicam seruat *l.21.§.2 ff. quod vi.*

Iunge *l.7. de offic. Præs.* Hæc verba non sunt pro regula. Nam non tantum licet, sed etiam interdum cogitur. Igitur hæc regula est: ita quis debet domum reficere, ne vicino noceat. Præses cogit dominos reficere domos, quia ruinæ ædificiorum ciuitatem deformant, & aduersus detrectantem, competenti iudicio deformitati remedium adfert, at, vt ait lex, causa cognita. Nam interdum non cogor lapsas ædes reædificare: licet aream in hortum commutare secundum morem ciuitatis, si talis sit mos *l.3. C. de ædif. priua.* Refectio ædium pertinet ad curatorem reip. *l. ad curatoris 46. de dam. infect.* Scribunt de Vespasiano, eum vicinas areas occupare & ædificare, si domini cessassent, cuique permisisse. Ita coercentur cunctatores *l. vlt. C. de Iur. Reip. l.11.* Lex autem hæc scribit, quomodo refectio fieri debeat; vt ne quid noceat vicino. Itaque cauere debet vicino, ne quid immittat, si non habet ius, *l. sicut 8. §. Aristo. 5. si seruit. vind.* Idem est, cum in publico aliquid fieri permittitur: id enim faciendum

dum eſt ſine iniuria. *l.* 2. §. *merito. ne quid in loco publ.* Vnde quæritur: an qui ſuas ædes reficit, poſſit luminibus officere, aut proſpectui vicini? Diſtinctio hæc habetur: qui reficit, ſi ſeruat priorem formam ædificii, poteſt officere, ſicut antea; at non ſeruata priſtina forma; ſi ædes altiores faciat, non poterit obſcurare lumina. *l. qui luminibus.* 11. *de ſeruitut. vrb. præd. & in Conſtit. Zenonis C. de ædific. priuat.* vbi nominatim vtitur ea diſtinctione Iuſtinianus, & ſecundum hanc Conſtitutionem, niſi ſeruet & intermittat ſpatium duodecim pedum, officerit luminibus: at ſi velit impedire proſpectum maris, debet intermittere centum pedes. *Nou.* 63. quod Harmenop. etiam producit ad proſpectum montium *li.* 2. *Epitom.* & citat ex Papin. *lib.* 3. *quæſt.* hæc verba: *proſpectum in montes meos prohibere potes*: qui locus Papiniani notandus eſt; alibi enim non inuenitur. *Cuiac. in Recitat. poſth.*

Ad Leg. 62. *De hereditate.*

HEreditas nihil aliud eſt, quam ſucceſſio in vniuerſum ius, quod defunctus habuit.

Ex titul. de petit. hered. Coniunge *l. ei qui eod. tit. & l.* 24. *de verb. ſign.*

Nihil aliud quam] quam vniuerſum ius quod defunctus habuit, & cui ſuccedi poteſt. hæc definitio conſtat ſuo genere, & tribus differen-

tiis. Antequam autem quis succedat, hereditas est quasi domina, & vicem, locum, ac personam defuncti repræsentat. *v. l. 31. in fin. ff. de hered. instit. l. 13. §. 5. in fi. ff. quod vi. l. 1. §. 1. ff. si is qui testam.* Respectu heredis, vacua, iacens, & vacans dicitur. *l. 1. ff. de successorio:* nullius *l. 13. §. 5. ff quod vi:* Adita, iuncta est heredi. *l. 10. §. 12. ff. de vulga. l. 59. in fin. ff. de acquir. hered.* fitque eius patrimonium *d. §. 2. Socinus ad l 1. §. 16. ff de adquir. possess.* Itaque, si filia, patris hereditati renunciauit, non excluditur à fratris hereditate. *Dec. hîc num. 6.* Superiorib. adde quæ tractat Michael Grassus *in §. hereditas, quæst. 1.*

Successio] vt *l. 2. C. ad L. Iul de vi.* Hinc colligunt, hereditatem non deferri, nisi iure successiuo, omnemque defuncto succedentem, heredis locum habere. *v. l. 128. in f h. t.*

In vniuersum] *l. 24. ff. de verb. sig.* ὁλόκληρον *Eclog. 3. cap. 61. v. l. 9. §. 12. ff. de heredib. instit. adde l. 6. ff. de except. l. 11. ff. de diuers. & tempor.* & ita rei particularis non est hereditas. *ex l. 7. ff. eod.*

Defunctus] *l. 50. ff. de hered. petit.*

Habuerit] habuerit tempore mortis. *Pac.*

Hereditas est successio iuris. *l. cum heres 11. de diuers. & temp. præscriptio. l. heredes. de acquir. hered.* quod scilicet quis cum moritur, habuerit; vel contra, Hereditas est ius vniuersum successionis, verbis immutatis *l. hereditas. supra tit. prox.* vbi dicitur, Hereditatem significare quan-

quandam vniuerſitatem. Hereditas igitur eſt nomen iuris, hoc eſt, ius ſignificat, *l. hereditas de petit. hered.* Eſt res incorporalis, quæ nec tangi nec cerni poteſt. *Inſtit. de reb. corp.* Cic. *in Top.* definit, eſſe pecuniam, hoc eſt, rem corporalem. Non eſt ita; ſed nos pro iure accipimus, & omnia fere vocabula ſic accipiuntur. Sic peculium eſt ius peculii : ſic dos eſt nomen iuris: nonnunquam etiam fundus. *l. cogi. 16. §. inde quæritur. 3. ad Trebell.* Hereditas ius eſt, non corpus. Nam plerumque ſunt hereditates ſine corpore, vt quæ conſiſtunt in iuribus: quædam damnoſæ ſunt, quæ damnum adferunt, non lucrum. Et quidem cum dicitur, hereditas eſſe ſucceſſio in vniuerſum ius, ſiue vniuerſi iuris, accipitur actiue & paſſiue : hoc eſt damni & commodi. Id autem aduertendum eſt, hanc definitionem complecti vim poſſeſſionis : & dicitur ſæpe in Cicerone poſſeſſio hereditatis: plerumque tamen bonorum poſſeſſio dicitur. *d. l. 3. in princ.* Bona etiam ſolemus dicere, ſed hereditatis appellatione continetur bonorum poſſeſſio. Videtur etiam fideicommiſſarias hereditates continere, poſt Senatuſconſultum Pegaſianum maxime, quandoquidem Senatuſconſulto in heredem fideicommiſſarium tranſeunt actiones omnes, & intendit omnes actiones: ante id Senatuſconſultum conſtitutum ſecus erat. *Cuiac. in Recit. poſth.*

Ad Leg. 63. De Mora.

QVI sine dolo malo ad iudicium prouocat, non videtur moram facere.

Sine dolo] id est qui iuste *l. 21. & 24. ff. de vsuris.* Iuste etiam dicitur prouocare, qui id facit quod communiter fieri solet *leg. 16. ff. de rei vind.* qui iusta ignoratione ducitur, quod in fure non est *l. vlt. ff. de condict. furtiu.*

Debitor eo ipso, quod non soluit pecuniam, non statim facit moram, etiamsi interpellatus fuerit. Definitio moræ incerta est: modo fit sine interpellatione, modo cum interpellatione. Nam qui dicit, se paratum esse actionem suscipere, is non est in mora; quia putat se iustam habere causam litigandi. *l. si quis solutioni 34. in pr. de vsuris.* Si igitur dicat, se non soluturum, quoad sit condemnatus, non facit moram, cum scilicet existimat, se habere iustam causam litigandi: cuius opinionis fur esse non potest. Nam etiamsi paratus sit condictionem furtiuam suscipere, non purgat moram. *l. vlt. de condict. furtiu.* offerendo rem, purgat: non autem ad iudicem prouocando. Nam scit se non habere iustam causam litigandi. Huc pertinet *l. non potest 99. h. t.* ad quam regulam recte apponitur exemplum *ex leg. residuum. de distra. pign.* Quidam petit residuum debiti: debitor ignorat quid sit in residuo, petit

tit arbitrum, qui excutiat rationes, an videatur moram facere, an recte distractum sit pignus? Minime: non potest enim esse in mora, qui petit arbitrum rationibus excutiendis. *Cuiac. in Recit. posth. h.*

Ad Leg. 64. De raro contingentibus.

EA quæ raro accidunt, non temere in agendis negotiis computantur.

Raro accidunt] *v. l. 114. h. t. l. 4. 5. & 6 ff. de legib. l. 3. in f. ff. si pars. Nouell. 94. c. 2.*

Non] quæ raro fiunt non sunt sub lege. Quæ specialiter euenire possunt, non attenduntur: Interdum iusta de causa computantur, velut ea quæ fiunt à natura, licet raro *l. 12. C. de legitim. hæred.* §. 21. *Inst. de rer. diuis.* Hinc etiam colligunt, temerarium actorem non audiri *leg. 41. ff. de fideiussoribus*. Item Raro, & Nunquam, non esse paria. *Gothofr. hic.*

Non computantur] id est non habetur ratio eorum.

Igitur illud primum constat, eorum quæ raro accidunt in iure constituendo rationem non haberi. Alioqui nullum ius certum posset constitui: nam obstarent, quæ possent accidere. Leges fiunt ex iis, quæ sæpius fiunt & eueniunt; non habetur autem eorum ratio, quæ

quæ fiunt raro, vt in hac specie. Quidam decessit intestatus, relicto filio & vxore prægnante: quæritur, pro qua parte filius sit heres? Id constituere, ne plus petat, difficile est: quia fœtus fortasse sunt in vtero duo, tres, quatuor, vel quinque. Nam tot possunt edi. Vt quatuor aut quinque nascantur, est rarum; non est rarum, vt tres nascantur. Itaque dicimus, filium interim petitionem quartæ habere. *leg. antiqui* 3. *si pars hered. petat.* Exemplum etiam est *in Nouell.* 94. Mulieres quæ iurant se iterum non nupturas, raro seruant, sed sæpe violant iusiurandum; inspecto eo, quod nō fit crebro; melius est non excipere tale iuramentum, ne via periuriis aperiatur. *l.* 2. §. *vlt. C. quand. mul. tut. off. fung.* Sciendum autem est, interdum legem fieri de eo quod fit raro. *l. si maior.* 12. *C. de legit. hæred.* Fingitur patri heres ex matre quinquagenaria, fiunt leges de successione: ita de incestuoso partu leges sunt scriptæ. Sed obseruandum est, ius commune constitui ex iis, quæ fiunt sæpius. *Cuiac. in Recit.*

Ad Leg. 65. *De Cauillatione.*

EA est natura Cauillationis, quam Græci σωρείτην appellant, vt ab euidenter veris, per breuissimas mutationes ad ea, quæ euidenter falsa sunt, perducatur.

Cauil-

Cauillationis] *l. 177. ff. de verb. ſignif. adde l. 88. ff. ad leg. Falcid.*

σωρείτην] σόφισμα *Hal.* σοφιστικὴν *Pac.*

Breuiſſimas] & ſubtiles. Hinc nota ſubtilitatem nimiam à iure reprobari.

Mutationes] cuiusmodi interrogationes ad inueſtigandam veritatem iudicibus permittuntur. *Dec. num. 6.* Placet potius quod ait *num. 3.* ſubtili reſponſione, malitioſam interrogationem retundi poſſe: ideoque, eum qui in veritate mutuum reddidit, poſſe cum iuramento affirmare, ſe nihil à creditore habuiſſe. Placet etiam quod negat, rectè eum condemnari, cui confitenti promiſſa fuerit impunitas. *num. 7. 8. Gothofr. hic.*

Definitio eſt Soritis, ad quam Bulgar. hoc vtitur exemplo: Res ſacra nullius eſt in bonis: quod nullius eſt in bonis, occupanti conceditur: igitur res ſacra occupanti conceditur. Falſa eſt concluſio. Neque enim res ſacra occupanti conceditur. Sic argumentabimur mutato ordine in prima figura.

Quod nullius eſt in bonis, occupanti conceditur:

At *res ſacra nullius eſt in bonis.*

Ergo *res ſacra occupanti conceditur.*

Sorites eſt propter homonymiam vitioſus. Propoſitio vera eſt & aſſumptio. Concluſio falſa. Quia in argumento Bulgari, idem non ſigni-

significat, Nullius, in assumptione, quod in propositione. Itaque est homonymia in propositione. Res sacra nullius est, hoc est non potest in commercio hominum esse. In assumtione vero nullius in bonis est, quod non est quidem extra commercium hominum, sed domino & possessore vacat: Et quod ita nullius est, conceditur occupanti, vt feræ bestiæ. Verum de hoc sorite non agitur hoc loco. Nam in exemplo allato nullæ fiunt breuissimæ mutationes, sed sola homonymia vtrumque corrumpit, syllogismum & soritem: Si nulla fuerit homonymia, necessario res sequitur, valebitque Sorites: vt

Omnis contractus est obligatio,
Omnis obligatio parit actionem,
Ergo omnis contractus parit actionem.

Differentia est in ordine propositionum in syllogismo: etiam differentia est in eo, quod in Sorite vox, à qua desinit propositio, inchoat assumptionem: Vt in argumento Bulgari propositio desinit in voce nullius, quæ eadem vox inchoat assumptionem. Hoc vero non cernitur in syllogismo, si eum ita concipias; *Quod nullius in bonis est, occupanti conceditur: Nullius in bonis est res sacra.*

Ergo, &c.

Sed de hoc genere Soritis hic non agitur. Id genus, de quo hic agitur, per breuissimas mutatio-

tationes, & per gradus, & per minutas interrogationes conficitur, vt in hoc exemplo: an duodecim oues gregem faciant? Sic ſane. An non etiam vndecim? Sic ſane. An decem? Et hoc quoque verum eſt. *l. vlt. de abigeis.* Ergo cur nouem gregem non faciunt? Hoc vero eſt falſum: atque ita rem paulatim diſputando deducis à vero ad falſum. Emphyteuticarius ſi dominus eſt, ſicut ſuperficiarius: cur non imponat ſeruitutem fundo, vt ſuperficiarius? vel opus nouum non nunciabit? quæ omnia veriſimilia ſunt. Cur non etiam dicam: Emphyteuticarium videri à ſuperficiario diſtingui non poſſe. Igitur ad extremum dicam, ne internoſci quidem: quod falſum eſt: & id eſſe non dicendum, verum eſt. Igitur hæc ſententia per breuiſſimas mutationes, hoc eſt gradus euidenter veros ad id, quod euidenter falſum eſt, perducit. Breuiſſimas mutationes Cicero vocat minutas interrogatiunculas. Et Hieron. *aduerſus Ruffinum*: Soritæ ſunt q. interrogatiunculæ argutæ. De ψευδομένῳ etiam tractant ICTi in *l. qui quadringenta*, 88. *ad L. Falcid.* quod eſt argumentatio quæ ſeipſam deſtruit. Species autem legis hæc eſt. Qui habebat in bonis quadringenta, trecenta legauit, & legauit Titio centum, quæ reſtabant, ſub conditione, ſi legi Falcidiæ locus non eſſet. Quæritur, an valeat legatum Titii? Iureconſul-

sultus ait, quæstionem esse τῶν ἀπόρων, hoc est, inexplicabilium. Nam si constituas legatum valere, legi Falcidiæ erit locus: atque imo non valebit legatum deficiente conditione. Si constituas, legatum non valere, legi Falcidiæ non erit locus: atque ita existente conditione, legatum valebit. Huic etiam simile est illud Epimenidis Poetæ, qui scripsit, Cretenses esse mendaces. Si verum est, quod scripsit, esse mendaces, per eandem causam falsum est, Cretenses esse mendaces: quia Epimenides etiam Cretensis, verum dixit. Si dicas, non esse mendaces Cretenses, non est verum: nam Epimenides Cretensis falsum dixit. Hoc modo si quis dicat se mentiri: aut vero mentitur, aut non mentitur: mentitur eo ipso, quod non mentitur. Similes argutiæ occurrunt sæpe. *Cuiac. in Recit. posth.*

Ad Leg. 66. De exceptione.

MArcellus ait: Desinit debitor esse is, qui nactus est exceptionẽ iustã, nec ab æquitate naturali abhorrentem. (ait) in notis scilicet ad Iulianum. *Cuia. h.*

Desinit] id proprie desinere dicitur, quod cœpit. *l.* 208. *h. t.*

Exceptionem] 2. *Ecl.* 3. *cap.* 64. Nulla est actio, quæ exceptione repellitur. *l.* 7. §. 8. *ff. de dolo l.* 13. *ff. h. t. l.* 112. 115. *in fin. h. t. adde l.* 118. *ff. de verb. signif. Gothofr.*

Qui

ui nactus est exceptionem, iure Ciuili de-
esse non desinit, iure tamen naturali de-
sse debitor: & ita accipiendam puto hanc
im: vt ad ius naturale respiciat, non ad
:. Nam falsa est regula, si ius Ciuile spe-
Qui nactus est exceptionem, legibus &
turali congruentem, vt est pacti, quod
contra bonos mores aut leges. *leg. 1. de Stichum 95. de solutionib.* Hanc exce-
m pacti, qui nactus est iure naturali,
uo liberatur ipso iure, & si soluerit, per
ionem pacti cum esset tutus, condicit:
luerit per errorem, habet condictio-
quia soluit quod iure & natura non de-
Denique constat, pactum tollere natu-
obligationem: ciuilem non ipso iure:
c parit actionem. Eadem est causa ex-
is iurisiurandi, doli mali, Senatuscon-
lleiani. Hæ exceptiones naturali æqui-
untur: qui has nacti sunt, hi iure natu-
rantur. Diuersa est causa exceptionis
sconsulti Macedoniani, vt, si filiusfam.
m acceperit, tam patri quam filio datur
o aduersus creditorem, sed non ratio-
lam naturali, quasi plane non teneatur
.cui credita est pecunia, sed odio quo-
œneratorum & pœnæ causa: qua de re
scuntur sæpe infinita. Et ideo qui hanc
nem nactus est, ne iure quidem natu-

K 2 tali

tali liberatur: quia non eius causa datur exceptio, sed odio creditoris. Ac si soluerit per errorem, non repetit, quia soluit natura debitum, *l. qui exceptionem 40. l. si pœnæ 19. de condict. indebiti l. sed et si pater famil. in fin. & l. seq. ad Senatusconf. Maced.* Exceptio igitur Macedoniani abhorret ab æquitate naturali: Vnde consequens est, eum, qui soluit ex causa naturali, non repetere. Eadem est causa exceptionis, quæ datur ex edicto, *Quod quisque iuris*, &c. vt scilicet, quod ius iniquum per te statutum est, id etiam contra te constituatur *l. 3. §. vlt. quod quisque iuris in alter. statu.* Creditor agit aduersus debitorem: debitor eum potest repellere exceptione ex illo edicto: quoniam forte ille creditor, qui agit cum suo debitore cum esset in magistratu, in iure simili actionem eiusmodi denegauit: qua de causa æquum videtur, vt ei etiam denegetur, si tu creditori actionem in casu simili denegasti, tibi etiam denegari debet. Et finge, debitor vnde petebatur, quasi nesciret pactum, non est vsus exceptione illa, & soluit. Quæritur: an possit condicere? Et placet, illi condictionem non dari, quia illo edicto non tollitur obligatio naturalis, & exceptio datur non tantum eius causa: *Quod quisque iuris*, &c. sed & pœnæ causa *d. l. 3. §. 1. quod quisque iuris.* Datur aduersus eum, qui in alium iniquum ius dixit & impetrauit: similis est exceptioni Macedo-

cedo-

niani. Vtraque abhorret ab æquitate na-
; Itaque & qui hanc & qui illam eſt na-
ure naturali non liberatur. Eadem eſt in-
etatio Bulgari, niſi quod notat, eum et-
eſinere eſſe debitorem, qui nactus eſt ex-
onem rei iudicatæ. Male. Conſtat enim,
atam rem non tollere naturalem obliga-
m, *l. Index.* §. *Iulianus. de condict. indeb.* Ita-
iudicatum ſoluerit, non condicit. *Cuiac.*
it.

Ad Leg. 67. De ſermone ambiguo.

Voties idem ſermo duas ſententias ex-
primit, ea potiſſimum accipietur, quæ rei
dæ aptior eſt.

cipietur] excipiatur. *Gothofr.*
æ] iuri & rei, τῷ δικαίῳ καὶ κυνηγῷ (?) 2. *Eclog. 3. 6.*
. de verbor. obligat.
gerendæ] puta contractui. *l. 15. §. 4. ſupra*
Subiectæ materiæ. *l. 4. ſupra de vſur.* natu-
as, iuri communi. *l. 30. ſupra de damno:*
rum proprietati. *Gothofr.*
idem ſermo duas ſententias exprimat,
ibologia eſt: ſi eadem vox duas ſignifica-
habeat, homonymia eſt. Itaque reſtrin-
s hic totus locus eſt Accurſ. Quæ aptior
c eſt, quæ rem perficit & ad rem perti-
t ſi actor ambigua oratione vtatur, cuius
ntentia actioni ſeruiat; altera non, ea ac-

cipitur, quæ magis conuenit, *l. si quis intentione. 66. de iudic. l. in contrahenda in fin. hoc tit. Cuiac. in recitat.*

Ad Legem 68. De beneficiis.

IN omnibus caussis id obseruatur, vt, vbi personæ conditio locum facit beneficio, ibi deficiente ea, beneficium quoque deficiat: vbi vero genus actionis id desiderat, ibi ad quemuis persecutio eius deuenerit, non deficiat ratio auxilii.

Vbi persona] Id est, indiuiduo alicui, non speciei: puta Titio, vt Titio: non Titio, vt minori. hæc enim ad hæredes transeunt *l. 6. supra de in integr. l. 18. in fin. sup. de minorib.* Idem dicendum in priuilegio dignitati concesso *l. vlt. supr. de decurion.*

Deficiente] Persona deficiente, personalia extinguuntur *l. 196. inf. eod. 2. Eclog. 3. cap. 66. l. 13. supr. soluto. l. 7. sup. de except. c. 7. de reg. in 6. l. 28. sup. de legat. 2. l. 1. sup. de iure immunit. Gothofr.*

Genus] exemplum est in minorum restitutione. *d. l. 6. d. l. 18.* dolo. *l. 13. sup. de dolo.*

Primum submoueatur quod Bulg. ait: beneficium vel priuilegium esse, vt vsuræ veniant ex mora, sicut veniunt in actionibus bonæ fidei. Hoc enim non est beneficium, sed ius commune, quod porrigitur etiam ad actiones

quas-

quaſdam ſtrictas, ad actionem legatorum & fideicommiſſorum: nec mirum, ſi ea actione vtantur hæredes. Deinde ponatur exemplum ad hanc legem, quod inſcriptioni conueniat, quæ eſt de dotis repetitione. Priuilegium habet mulier, quæ dotem repetit, & vir à quo repetitur, priuilegio vtitur: mulier, vt præferatur omnibus creditoribus: vir, vt in id quod facere poteſt, condemnetur. Vtrumque perſonale eſt, & ideo ad hæredem non tranſit: hæres mariti damnatur in ſolidum: hæres vxoris non præfertur creditoribus *l. maritum & ſeq. 12. & 13. ſolut. matrim. l. vn. C. de priuileg. dot.* Igitur actio de dote non eſt priuilegiata, ſed perſona mulieris. Idem de actione tutelæ eſt dicendum. Pupillus qui agit actione tutelæ, præfertur aliis, ſed non hæres. Actio igitur tutelæ non eſt priuilegiata, ſed perſona. *l. 1. §. idem 11. de Lege Corn. de falſ.* Quædam ſunt actiones priuilegiatæ, quæ in hæredem tranſeunt cum priuilegio, vt actio funeraria datur hæredi eius, qui funus fecit, vt Accurſ. ſcribit. ſed male hoc probat *ex l. ſi filiusf. 1. §. vlt. de relig. & ſumpt. fun.* Lex ait; funerariam actionem dari hæredibus eius, qui funus facit. Is qui funus facit, habet quidem actionem priuilegiatam, ſed vt probes, eius hæredem quoque habere eiuſmodi priuilegium, male colligis: Actio funeraria datur hæredi. Ergo & priuilegium. Falſa eſt conſequentia.

Constat tamen, funerariam actionem esse priuilegiatam: non enim persona, sed causa funeris extorsit beneficium: vnde sequitur; beneficium in hæredes transire. Sic etiam seruitutes personales cum persona extinguuntur; at reales manent cum hærede. Eadem in immunitatibus ratio seruatur. *l.2. de cens.* Eadem distinctio est in iure, quod Princeps dedit. Multum enim interest, an dederit personæ, an prædio *l.1.§. permittitur. de aqua quotid. & æstiua.* verum finge: Princeps concessit ius aquæ personæ, veluti duobus sociis. Vtraque mortua ius extinguitur: quod est personale: at vel vno superstite, integrum ius manet. Frontinus de aquæductu. Itaq; beneficium personale quod duobus datur, non desinit, quamdiu vnus superest. Hæc lex repetitur *in l. priuilegia inf. hoc titul. Cuiac. in Repetit.*

Ad Leg. 69.

INuito beneficium non datur.

Inuito] *l.156. inf. eod. l. vlt. supra de vsu & habitat. l.19.§.2. supra de donat. vide l.62. sup. de verb. oblig. Gothof.*

Beneficium] *l. vlt.* defensio. *d. l.156.* donatio. *d.§.2.* societas *l.26.§.4. supr. de condict. indeb.* adrogatio. *l.5. & 24. sup. de adopt.* Sic libertas inuito filio (aliud in seruo. *l. vlt. C. de testam. manumiss.*) non datur. *v. l.5. C. de emancip. v. reliqua in l.62.*

l.62.ſup.de verb.oblig. multo minus damno afficetur inuitus *l.25.§.1.in fine ſup. ſoluto*: obligabitur, de domo ſua extrahetur *l.103.inf.eod.l.18.ſup.de in ius*: Sic quæ diuertit, vt inuita ad virum reuertatur, cogi non poteſt *l.7. C.de repud. Gothof.*

Non] Imo datur *l.32.ſup.de acquir.rer.§.3. Inſtit.per quas perſonas cuique. Goth.*

Datur] Poteſt enim quilibet ſuo iuri renunciare *l.41.ſup.de minorib.* & ſuſpectus eſt qui operam inuito ingerit *l.25.de procur.* Expoſita eſt quoque hæc *l.ſup.in l.61.*

Ad Leg.70. De poteſtate coercitionis.

NEmo poteſt gladii poteſtatem ſibi datam, vel cuiuſuis alterius coercitionis ad alium transferre.

Nemo] Coniunge *l.ſolet.de offic.præt.*

Gladii] *l.6.ſup.de offic.proconſ.*

Poteſtatem] animaduertendi in facinoroſos *l.5.§. 8. ſup. de offic.præſ. v.l.3. ſup. de iuriſd.* Gladii poteſtas eſt vitæ ac necis authoritas.

Coercitionis] Ius puniendi, τὸ δίκαιον τοῦ τιμωρεῖν. *2.Eclog.3.c.67.*

Merum imperium, eſt gladii poteſtas *l.3. de iuriſd.om.iud.* Gladii poteſtas eſt ius vitæ adimendæ. *l. Reſpiciendum de pœn.* quod etiam in illa lege verba illa ſignificant: aut animaduerti in facinoroſos, hoc eſt puniri. Nam animaduer-

 tiis

ti is dicitur, qui punitur gladio. *d. l. Respiciendũ & l. seq.* Vel animaduerti, hoc est, capite puniri, & lex eos, in quos animaduerti iubet, statuit, seruos fieri pœnæ. Sed merum imperiũ cõtinet etiam multa alia: nempe ius damnandi ad bestias, cõfiscandi, relegandi, deportandi. *l. Merũ. de Iurisd. om. iud. l. 1. de off. eius, cui mand. est iurisd.* Datur aũt hæc gladii potestas: non .n. eam quisquam, magistratus iure arrogat, sed accipit à lege. Lege igitur conceditur merũ imperium, & dicitur ex aduerso mixti. Mixtũ sequitur magistratum, & iurisdictioni cohæret. Merum imperium separatur à iurisdictione, hoc est, non cõpetit iure magistratus, sed lege datur, modo magistratui, modo priuato. Præfecto vigilũ datum est ius verberandi, non ius gladii. *l. 3. §. 1. l. 4. de offic. præf. vigil.* Et modo datur merum imperium in omnes personas, modo in certas tãtum: vt præfecto vigilum datur ius verberandi incendiarios, fures, effractores, & tales, *vt in tit. de offic. præf. vigil.* Itaq; priuatus habet merũ imperium. Pręsidibus prouincię datum est ius gladii, non deportandi, nõ confiscandi. Nõ datur cuilibet magistratui: vt Prætor vrbanus nõ habuit merũ imperium: & ideo si incidit aliquid apud Prætorẽ, quod exigit maiorem coërcitionem, tunc remitti debet ad Præfectum vrbis, qui sibi vindicat omnia crimina, & cui datum est plene imperium. *l. 1. §. Item solent. de offic. præf. vrbi.*

vrbi.l.1.in fine.l.2.de suspect.tut. Sic præfectus vigilum, cum res superat legem meri imperii, remittit ad Præfectum vrbis *l.3. & 4. de offic.præf. vig.* Sic olim etiam curatores viarum & regionũ, imperium merum habuerunt, & potestatẽ aliquam, sed non grauissimã coercitionẽ. Itaq; cur omnes magistratus hoc merum imperium non habent? Quia hoc tantum est legis. Quia vero imperium merum lege datur, cõsequens est, vt id non possit mandari alteri, & ea quæ iurisdictionis sunt, non possunt mandari. Nemo tutores dare potest, nemo magistratus, nisi cui lege datum est. Potest tñ priuatus dare lege 12. tab. scil. pater: cui hoc lex permisit. Eadẽ est causa cognitionis, transactionis alimentorum, quæ à lege datur *l. cum hi.* 8. *de transact. l. cum alimenta C. eod* & ideo non mandatur *d. l. cum hi. §. Sed nec mandare.* 18. Quæcunq; igitur lege dantur, non transferuntur in alium. quæ sunt meri imperii, danda sunt nominatim. Merũ imperium qui habet, nõ habet suo iure. Hæc sententia repetita est *in l. solent 16. de Iurisd.* Mixtũ imperiũ mandatur & iurisdictio, quia suo iure hæc magistratui cõpetunt, nec nominatim aut specialiter hæc fuerunt eis cõcessa. Huic regulæ opponitur: Eum cui Proconsul suã iurisdictionẽ mãdauit, custodias audire *l.6. de offic. procons.* Videtur igitur mandari imperium merũ: ꝙ est negãdum. Nam auditio datur ei tantum propterea, vt præ-

vt præanditos remittat ad Proconsulem, vt ipse puniat aut liberet, aut animaduertat, aut absoluat reũ. Hoc genus mandati est extraordinariũ. Nam non potest mandari legato, vt animaduertat aut absoluat reum, quia nec reus potest accusari apud legatum, sed apud Proconsulem: at interim audiri potest ante damnationem à legato, voluntate Proconsulis. Rursus obiici solet: legatum Proconsulis, cui mandata est iurisdictio, posse cognoscere de crimine suspecti tutoris. Eundem igitur habere merum imperium. Hoc negatur. Nam cognitio suspecti tutoris non pertinet ad merum imperium, nec ex eo crimine datur grauis coercitio. Infamia est maxima, crimen tamen non semper, sed infamiæ irrogatio non pertinet ad merum imperium. Actio depositi est infamis, an ideo necesse est, eum, qui cognoscit de deposito, merum imperium habere? Minime. Sed causa suspecti interdum exigit grauiorem pœnam *l.1. de suspect. tut.* & tũ remittitur ad præfectum vrbis puniendus, *d. l. 1. in fine.* Igitur & tunc legatus mittet ad Proconsulem *l. si quid erit. 11. de offic. procons.* Præterea verum est, cognitionem suspecti dari lege. Igitur non est existimandum, legatum proconsulis hanc cognitionem habere ex mandato: sed posteaquam ei mandata est generalis iurisdictio; quomodo comprehenduntur tantum ea, quæ possunt mandari.

Cum

Cum igitur de ſuſpectis tutoribus poſſit cognoſcere, ex oratione Seueri & Antonini hoc habet. *l.* 1. §. *damus. de ſuſpect. tut.* Sic legatus poteſt tutorem dare, non quia ei datur iuriſdictio, ſed quia ei D. Marcus hoc ſpecialiter dedit. *l.* 1. *de tut. & curat.* Sic habet ius dandi iudicem ex *l. cum prætor.* 12. *de iudic.* non tamen merum imperium. Sed quæcunque lege dantur, non niſi ſpecialiter mandari, & in alium transferri poſſunt. *Cuiac. in Recitat.*

Ad Leg. 71. Quæ per libellum expediri nequeunt.

OMnia quæcunque cauſæ cognitionem deſiderant, per libellum expediri non poſſunt.

Omnia] coniunge *l. Nequicquam*, §. *vbi decretum. de offic. proconſ.*

Cognitionem] Aliud in iis, quibus ſemiplena ſufficit.

Deſiderant] vt alienatio bonorum minoris *l.* 2. *ſup. de officio eius cui mand. l.* 5. §. 9. *ſup. de reb. eorum.* alimentorum tranſactio *l.* 8. §. 19. *ſup. de tranſact.* ſecundum decretum. *l.* 1. §. 18. *ſup. de ſeparat.* aliud in reſtitutione. *l. vlt. C. vbi & apud quos.* & iis quæ officio iudicis mercenario & iure actionis expediuntur. *l.* 1. §. 14. *ſup. de vent. in poſſeſſ. l. vnic. C. Qui pro ſua iuriſdict. Gothof.*

Per

Per libellum] *l. 105. inf. eod. v. l. 9. § 1. sup. de offic. procons.*

Sententia hæc est: Ea quæ desiderant causæ cognitionem, siue decretum: per libellum, siue de plano expediri non possunt, sed pro tribunali. Exempla hæc sunt: Alienatio prædiorum minoris non fit sine decreto Prætoris vel præsidis, quo permittatur alienatio nominatim: nisi causa cognita, etiam secuto decreto, subscriptione ad libellum, non permittitur alienatio. Nam non per libellum, sed pro tribunali expediri debet. *l. minorum 6. C. de præd. minor.* Sic etiam dilatio litigatoribus non datur de plano, hoc est in transitu extra tribunal, dum magistratus iter facit, dum redit domum, aut abit in forum: quia dilatio exigit causæ cognitionem, ideoque petenda est à Iudice sedente pro tribunali, non stante. *l. à procedente 4. C. de dilation.* Sic etiam bonorum possessio decretalis Carboniana datur non per libellum, aut de plano, sed pro tribunali. *l. 3. §. si causa 8. de bon. poss. l. 2. §. dies. quis ordo in bon. possess. seruetur.* Idem dicendum est de in integrum restitutione *l. omnes 3. de restit. in integ.* Idem in abolitione criminum. Hæc sententia repetita est ex *l. 9. §. 1. de offic. procons.* Cui apte conuenit exemplum *l. Excusare 25. de excusat.* quæ ait: Excusare se tutor per libellum non potest, hoc est; Excusatio tutoris disceptatur & deciditur pro tribu-

tribunali, quia decreto eſt opus *l. ſi cum ipſe 39. de excuſ.* valde obſtare videtur *l. 13. §. ſcire autem 8. & ſeqq. de excuſat.* cuius ſententia hæc eſt: Tutor debet ſe excuſare intra dies 50. alioqui non recipitur. Poteſt autem conteſtari excuſationem, *vt ait lex*, ſiue ſpeciem excuſationis, vel in iure apud tribunal Prætoris, vel de plano per libellum. Igitur tutor ſe poteſt excuſare per libellum. Dicendum, ad præſcriptionem 50. dierum tollendam, conteſtationem excuſationis vel per libellum factam ſufficere. Male in *d. l. 13.* legitur, *Supplices libellos*, ſed interpretandum; de plano. Male Accurſ. vt conciliet *d. l. 13. cum d. l. excuſare*, ait, Tutor ſe non poteſt excuſare per libellum; Tutor abſens, inquit, ſe non poteſt excuſare; præſens poteſt per libellum, quod falſum eſt. Nam quid vetat, cauſam abſentis per procuratorem agi, vt in manumiſſionibus. *l. Etiam 15. §. abſens 3. de manumiſſ. vind.* De crimine etiam non agitur: de quo tamen conſtat, abſentes audiri per procuratorem. E. & cauſa excuſationis per procuratorem agi poteſt. Cum vero negatur agi quid poſſe per libellum, non præſentia exigitur, ſed tribunal. Nam pro tribunali, & per libellum, opponuntur *l. 2. C. quemadmod. teſtament. aper.* per libellum & in præſentia, non opponuntur. Huc pertinet *l. vbicunque 105. ...ſ. hoc tit.* Vbicunque cauſæ cognitio eſt, Prætor

tor desideratur, hoc est: Vbi decreto opus est, id debet interponi à Prætore in vrbe, à Præside in prouincia, qui tribunal habent: non à Iudice datur, qui de plano iudicat: non à municipali magistratu, qui etiam tribunal non habet. Et est referenda ad edictum de damno infecto, sicut etiam *l. Nemo.* loquitur de damno infecto, *vt constat ex l. 4. in fine de damno infecto*, in qua l. vtraque sententia est expressa, sed ab Vlpiano, non à Paulo. Verum est, fateor, quod Vlpianus tractauit *lib.* 1. *ad edict.* ex quo sunt dictæ leges, *l. nemo & l. vbicunque.* Sententia est; vicinus non cauet damni infecti: iubebit Prætor possidere me, quod fit causa cognita. Ergo decretum interponitur à Prætore, non à municipali magistratu. Denique quæ decretum exigunt, debent expediri per Prætorem vel præsidem prouinciæ pro tribunali, non de plano. Quædam tamen sunt, quæ de plano Prætor exequitur, vt seruum de plano manumittit: bonorum possessionem dat de plano: excepta decretali, *d. l. 3. de bon. poss. l. 9. de offic. procons. leg. vnius §. vlt. de quæst. Cuiac. in Recitat.*

Ad Leg. 72. De iure pignorandi.

FRuctus rei est, vel pignori dare licere.

Fructus] Coniunge *leg. vlt. supr. de vsur.*

Eum

ım fructum mihi is eripit qui impedit, quo
nus rem meam pignori dare poſſim. hinc il-
l, Non valere pactum, ne creditori liceat pi-
ora vendere. *l. 4. ſup. de pignorat. Goth.*
Repetita eſt ex *l. vlt. de vſuris.* Sententia eſt.
ſſeſſor cum quo agitur rei vindicatione, in
ctus damnatur, & olim in duplos, ob ma-
n fidem, quod hodie ſublatum eſt. In fru-
numerantur multa, & inter cætera, quod
e pignori data actor mutuā pecuniam acce-
ſet, ſi habuiſſet. Poſtulat igitur, vt eius ra-
habeatur. *leg. videamus 38. in fine de vſuris.*
cte igitur Ioannes: ſi quando in petitione
fructuum ratio habenda ſit, vtilitas, quam
or habuiſſet, ſi rem pignori dare licuiſſet, æ-
nabitur. *Cuiac. in Recit.*

Leg. 73. 1. De tutela & hæreditate. 2. De vi & clam. 3. De his quæ in teſtamento intelligi non poſſunt. 4. Extraneo caueri non poſſe.

Vo tutela redit, eo & hæreditas peruenit,
niſi cum fœminæ hæredes intercedunt. 1.
Nemo poteſt tutorem dare cuiquam, niſi
quem in ſuis hæredibus, cum moritur, ha-
, habiturusve eſſet, ſi vixiſſet. 2. §. Vi fa-
n id videtur eſſe, qua de re quis, cum pro-
L hibe-

hibetur, fecit. Clam, quod quisque, cum controuersiam haberet, habiturumve se putaret, fecit. 3. §. Quæ in testamento ita sunt scripta, vt intelligi non possint, perinde sunt, ac si scripta non essent. 4. §. Nec paciscendo, nec legem dicendo, nec stipulando, quisquam alteri cauere potest.

Quo] Eo tutela redit, quo hæreditas peruenit, ita restituit *Hotom. 5. obs. 26.* est enim tutela hæreditatis consequentia. *l. 3. sup. de legitim. tut.* §. 1. *Instit. de leg. patron.* Hotomanni opinionem confirmat *Nouella* 118. *c. 5. & Graci 2. Eclog. 3. c. 73. Gothofr.*

Redit] Redire dicitur, quod lege destinatum est. *l. 11. sup. de test. tut.*

Peruenit] *l. 1. sup. de legit. tut. & Instit. de leg. patron. tut. in fine. 2. Eclog. 3. c. 73. Cur. ita? v. l. 65. sup. pro socio.*

Fœminæ] *l. minores. l. vlt. C. de legit. tut.*

In suis] *l. 1. sup. de testam. tut.*

Habiturusve] §. *vlt. Instit. de tutel.*

Vi] *v. l. 1.* §. 5. *sup. quod vi aut clam.*

Clam] *v. l. 3.* §. 7. *sup. quod vi aut clam.*

Vt intelligi] *l. 62.* §. 1. *sup. de hæred. instit.*

Nec paciscendo] 2. *Eclog. 3. c. 71. l. 38.* §. 17. *sup. de verb. obligat.*

Cauere] multo minus nocere. *l. 74. inf. eod. Gothofr.*

In hac lege quinque sunt regulæ. Prima est:

Quo

tutela redit, eo hæreditas peruenit. quæ ſe-
dum Placent. ita potius conſtitui debet;
hæreditas redit, eo & tutela peruenit. Hæc
la eſt de hæreditate legitima & tutela, non
a quæ teſtamento defertur. Hæreditas
m legitima dicitur redire: quia repetit fa-
am. *l. 3. ſi quis omiſſ. cauſ. teſtam.* Proinde
legi recte ſubiicitur exceptio, *Niſi cum*
inæ hæredes intercedunt. Tunc enim non
int eſſe tutrices: quoniam hæreditates ve-
it ad fœminas, tutelæ non item. *l. 1. de le-*
ut. At neutro loco legitur hæc exceptio:
minores 25. annis hæredes intercedant: quia
inc non poſſunt eſſe tutores. Valde nota-
eſt hæc exceptio, & tamen non eſt addita
loco; quia ante teſtamentum minor ætas
excuſabat tutelam: ſeruitus tamen excu-
t. In locum vero minorum 25. annis da-
ır curator, nec deſinebant illi eſſe tutores
de tut. & rat. diſtrah.

Ad §. Nemo.

ecunda regula eſt de teſtamentaria tutela.
mo poteſt teſtamento tutorem dare, niſi liberis
& poſthumis: hoc eſt, iis, qui ſunt in vtero,
es ſint, vt nati videantur. *l. 16. de teſtam.*
Ergo tutela teſtamentaria mandatur iure
iæ poteſtatis. *leg. impuberi 40. de adminiſt.*
Pater emancipato filio non dat tutorem te-
L 2 ſtamen-

stamento quia non est suus. Mater filio non potest dare *l. peto. 69. §. mater. 2. de leg. 2.* quia filius matri non est suus hæres, sed legitimus. Illa est inutilis ratione pupilli: hæc ratione testatricis. *l. 1. de confirm. tut.* Datus tamen à patre emancipato confirmatur sine inquisitione: non idem in matre, sed confirmatus etiam tutor est datiuus *d. l. 1. de confirm. tut. & l. 4. de testam. tut.*

Ad §. Vi factum.

Regula tertia pertinet ad *l. 1. §. quid sit. quod vi aut clam.* Opus vi factum videri in solo, quod quis, contra quam prohiberetur, fecit. Itaque si ita fecit, tenetur interdicto, Quod vi aut clam. Tenetur etiam eo interdicto, qui fecit clanculum, cum timeret controuersiam cum vicino aut cum alio: aut iam habet. At contra vi facit, qui, cum prohiberetur, fecit. Alia est definitio eius, qui clam, aut vi fecit. *l. 3. in princ. & §. 1. de itinere act. priuato.* Vbi is, qui prohibetur via vti, & vtitur, clam vtitur. Resp. ex sententia Ioannis: qui prohibenti resistit, hoc est, qui eo vetante facit, vi facit. Qui autem prohibenti acquiescit, sed postea ignorante eo, qui prohibuit, pergit opus facere, clam facit: & ita accipe *d. l. 3.* Quidam prohibiti faciunt, & hi non clam, sed vi faciunt.

Ad §. Quæ in testamento.

Quod non intelligitur in testamento, non scriptum videtur. *l. 2. de his, quæ pro non script. hab.* Effectus regulæ est, vt, quod videtur obscurum, apud hæredem sine onere maneat. Ergo incertæ personæ legatum relictum non valet: incertæ rei legatum non valet. *l. cum post. 69. §. gener. de iure dot.* Ademptio etiam obscura legati nō valet. *l. 3. §. si duobus 7. de adim. & transf. leg.* Legauit duob. Titiis separatim: postea ademit Titio: quæritur cui ademerit? hoc est incertum vtrinque. E. legatum debetur. Huic sententiæ vehementer refragari videtur *l. si fuerit 10. de reb. dub.* Cuius hæc sententia est. Testatur duobus Semproniis legatum reliquit; vni ademit: neutri debetur legatum. Resp. si separatim duobus Titiis legatum est: vni cum vellet ademptum inutilis erit ademptio, vt in specie *sup. d. l. 3. de admend. leg.* Secus si coniunctim duobus Semproniis legatum fuerit relictum, vni namque in hac specie adempto legato alteri quoque ademptum censetur, quia quos testator coniunxit in dando, videtur coniunxisse in adimendo.

Ad §. Nec paciscendo.

Vltima & quinta regula est: *Nemo potest alteri stipulari, pacisci, legem dicere.* Vocat autem legem pactionem illam, quæ contractui adiicitur ex continenti. Addit speciale genus

 pacti

pacti, legem dicendo, Hæc lex est pactum, actionem formans, id quod pactorum natura alias non admittit. Pactum enim non solet formare actionem, sed pactio, quæ ex continenti adiicitur, format actionem, vt lex commissoria, & resoluit contractum, pretio non soluto ad diem, & ita res committitur venditori. *Cuiac. in Recit.*

Ad Leg. 74. Ne cui per alterum iniqua conditio inferatur.

NOn debet alteri per alterum iniqua conditio inferri.

Iniqua] Iurando. *l. 1. sup. si mulier ventris nomine.* nouum opus faciendo. *l. 5. §. 5. sup. de operis noui nunc.* vim inferendo. *leg. 2. sup. quod vi.* paciscendo *l. 27. §. 4. in fine sup. de pactis.* diuidendo. *l. 17. C. famil. ercisc.* exhæredando. *l. 33. C. de inoff. testam.* puniendo *leg. 22. C. pœnis. Gothofr.*

Regulæ siue legis huius exemplum sumi potest *ex l. 1. §. vlt. & leg. 4. quod vi aut clam.* cuius hæc species est. *Vim facit, qui, cum prohibetur, facit.* Quanquam & is vi faciat qui, licet prohibitus non sit, modo à sciente domino se prohibitum iri sciens, quid fecerit, vt, cum te prohibere volentem, quo minus prohibeas, deterreo. Tunc enim pro prohibito censebor, & pe

per conſeq. vi feciſſe videbor. Verum fingamus. Opus aliquod inſtitueram: aduerſarius prohibiturus me cum venire vellet, ſine dolo malo à Titio fuit detentus, ita, vt me opus facientem prohibere non poſſet, quæritur an vim feciſſe videar? Reſpond. quod non, ne ſit in poteſtate alterius meam conditionem deteriorem facere. Hoc vſque adeo verum eſt, vt ne quidem ſeruo iniqua conditio inferri per dominum poſſit. *l.5.§.ſiſeruum 4.de his quæ vt indig. aufer.* Legatarius qui falſum teſtimonium dicit, nec obtinet in quæſtione falſi, amittit legatum, & redigitur in Fiſcum. Nunc ſeruo alieno relicta eſt libertas fideicommiſſaria & legatum ei relictum: dominus falſum teſtimonium dixit, nec obtinet: an ideo ſeruus legatum & libertatem fideicommiſſariam amittet? Minime. Imo ſeruus à Fiſco vindicatur, vt ei reſtituatur legatum, & obtineat libertatem. *Cuia. in Recit.*

Ad Leg. 75. De mutatione conſilii.

NEmo poteſt mutare conſilium ſuum in alterius iniuriam.

Nemo] Coniunge *l. nonnunquam. de collationib. bonorum. Pac. h.*

Mutare] *c. quod ſemel placuit* 21. *cap. mutare conſilium* 33. *de reg. in* 6. *l.* 20. *ſup. de arbitris. l.* 14. *ſup. de ſeruit. ruſtic. præd. Gothofr.*

L 4 Con-

Consilium] vt & sententiam. *v. l.* 42. *l.* 55. 56. *sup. de re indicata. v. l.* 1. *in fin. sup. de quaestion. l.* 27. *sup. de poenis. v.* tamen *l.* 6. *C. quomodo & quando Iudex*: confessionem legitime factam *v. l.* 13. *C. de non numerata.* contractum. *v l.* 5. *C. de obligat.* Electionem. *v. l.* 20. *sup. de opt. vel. elect. leg.* aditionem hæreditatis *v. l.* 4. *C. de repud. hared.* iusiurandum delatum. *v. l.* 11. *C. de reb. cred.* actum irreuocabilem. *v. tamen l.* 27. & quæ ibi dicam de clausula derogatoria. *C. de testamentis. Goth.*

Iniuriam] quoties sc. ex consilio iam obligati sumus, & alteri aut nobis obligatio est quæsita: tunc enim totum repudiare aut agnoscere tenemur. *l.* 27. *sup. de procurat. l.* 11. *sup. de vsur. l.* 16. *sup. de admin. st. tut. l.* 7. *in fin. sup. de damno.* alias re integra, consilium, vt & mentem reuocare possumus. *l.* 22 §. *vlt. supr. mandati.* vt & in re alternatiue debita. *l.* 21. *in fine. sup. de act. empt. l.* 14. *sup. rerum amot. l.* 28. §. *vlt. sup. de liberat. l.* 8. *sup. de collat.* & prius testamentum. *l.* 6. §. 2. *supr. de iure Codicill. l.* 12. §. *vlt. sup. de leg.* 1. *l.* 22. *sup. de leg.* 3. Igitur in voluntariis consilia in melius mutare possumus, & ita variauit Papin. *l.* 6. *in fi. sup. de seruis export. l. vlt. C. de furt.* variauit & Iulianus *l.* 19. *in fine. sup. ad Vellei. l.* 1. *C. de emend. serv.* variauit Scæuola. *l.* 23. *in fine. sup. de acquir. rer. dom.* Mæcianus: quin & ipsi Impp. *l.* 17. *ibi: Sed & cum Maciano, & aliis amicis nostris iurisperitis adhibitis plenius tractaremus, magis visum*

m eſt. ſupr. de iure patron. adde Cuiacium 4. *ad ſic. ſol.* 39. *in fine. &* 2. *obſ.* 37. Hinc illud: Sano ›nſilio vtitur, qui malum conſilium reuocat. *othof.*

Ex eo libro eſt *l. ſi filius* 32. *de minor.* in qua tenditur, Filium emancipatum præteritum, gato agnito, non poſſe in fraudem *credito- m* hæredum, bonorum poſſeſſionem contra b. petere. Eodem modo venditor, qui agit ege commiſſ. dicens, malle ſe rem venditam petere, pretio non ſoluto ad diem: poſtea in- to emptore non poteſt mutare ſententiam, pretium repetere. Mutare poteſt quiſque nſilium ſuum, dum non officiat alteri. *l. ſi ndus* 4. §. *eleganter. de L. Commiſſoria.* Ex eo- m lib. eſt *l. nonnunquam* 8. *de bon. collat.* quæ commode huic l. adaptari poteſt. Certum t, ex illo edicto filium emancipatum præte- um concurrere cum fratribus, qui non ſunt nancipati, & petere bon. poſſeſſ. contra tab. ſcil. ſi conferat bona propria. Conferuntur tem bona dupliciter, aut re, aut cautione. uod ſi igitur filius emancipatus propria ſua na conferre recuſet, tunc transfertur pars us in ſuos, & aufertur ei beneficium bono- m poſſeſſionis contra tab. Nunc fingamus ium emancipatum noluiſſe conferre: quo ſu excluſus erit & eſt à beneficio bonor. poſ- ſionis contra tab. nunc vero mutato conſi-

lio vult conferre, oblata cautione, quo beneficio bonor. possess. contra tab. gaudere possit: An audietur? Sic sane. Et hanc, regulæ huius exceptionem, specialis fauor & æquitas, introduxit. *Cuia. in Repet.*

Ad Leg. 76. De his quæ animi destinatione agenda sunt.

IN totum omnia, quæ animi destinatione agenda sunt, non nisi vera & certa scientia perfici possunt.

Vera] Demus aliquid factum à priuato vel principe ex certa scientia: an id reuocari poterit? vtique. Cum huiusmodi clausula nihil operetur in iis, quæ apparent ignorata. *v. l. 57. sup. de oblig. & act. v. Dec. hic num.* 7. aliud puto, si quis sciens se non teneri, promiserit. Videtur enim donasse. *adde l. 15. sup. de verb. oblig. & quæ notaui ad l. vlt. §. penult. sup. de condict. indeb. Gothofr.*

In totum] hoc est generaliter, siue in toto iure. Animi destinatione, hoc est iudicio animi. Quæ animi certo iudicio fiunt, non fiunt, nisi à sciente, ac vere quidem ac certo sciente. Ignarus nihil animi iudicio facere videtur, cum de re ei non liqueat. Exemplum ponunt in hæreditate, & possessione, in hæreditatis aditione, & gestione pro hærede, quæ etiam ipsa

est ani-

eſt animi potius, quam facti. *leg. 20. de acquir. hæred.* Ita in agnitione bonorum poſſeſſionis, quæ quoque fit animi iudicio, ſcientia exigitur. hoc eſt, qui hæreditatem amplecti cupit, eum ſcire oportet, defunctum eſſe illum, cuius occupare bona cupit, ſibique hæreditatem eſſe delatam; alioqui nihil agit & rem non gerit animi iudicio. *l. qui hæreditatem 19. l. ſi is ad quem 22. de acquir. hæred.* Ergo pupillus, cum nihil ſciat, adire non poteſt: tutore tamen auctore adit. Nam quod deeſt animi iudicio, id ſuppletur ſcientia tutoris. Sic quoque in acquirenda poſſeſſione requiritur animus. Ergo & ſcientia eius, cui acquiritur poſſeſſio. Nam poſſeſſio plurimum animi habet, & animi genere quodam æſtimatur. Excipitur tamen cauſa peculiaris, in qua per ſeruum ignoranti domino acquiritur poſſeſſio. *l. peregre 44. §. quæſitum eſt 1. de acquir. poſſeſſ.* Ex his apparet, ea, quæ fiunt animi iudicio, non perfici niſi à ſciente.

Ad Leg. 77. De actibus legitimis. De tacito & expreſſo.

Actus legitimi, qui recipiunt diem vel conditionem, veluti mancipatio, acceptilatio, hæreditatis aditio, ſerui optio, datio tutoris; in totum vitiantur per temporis vel conditio-

ditionis adiectionem, nonnunquam tamen actus supra scripti tacite recipiunt quæ aperte comprehensa vitium afferunt. Nam si acceptum feratur ei, qui sub conditione promisit, ita demum egisse aliquid acceptilatio intelligitur, si obligationis conditio extiterit; quæ si verbis nominatim acceptilationis comprehendatur, nullius momenti facit actum.

Actus] *c. actus legitimi* 50. *de regul. in* 6. An sunt diuersi à legis actionibus? Hotom. *ait* 32. *illustr. fol.* 210. siquidem hæ etiam magistratuum communes omnes ex lege, & inter præsentes tantum fieri solent. In actibus legitimis secus. Cuiac. negat differre 15. *obs.* 16. *Gothofr.*

Actus] *coniunge l.* 8. *de tut. & rat. distrahendis. Pac.*

Legitimi] An ciuiles & solennes, vt vult Hotom. 32. *illust. fol.* 219. 220. an à quacunque iuris parte, vt Dynus? *ad d. c.* 50. An per legem inuenti, vt Zasius? *ad l. eum qui* §. *qui hominem num.* 3. *sup. de verb. oblig.* An qui mero iure radicantur, vt vult idem Zasius ad *leg. cum quid mutuum num.* 18. *sup. de reb. cred.* An qui iure finiuntur, vt emptio, locatio, societas, mandatum, stipulatio? An qui ex vsu solennis iuris? *Cuiac.* 15. *obs.* 16. *in fine.* vt sint formulæ rerum à priuatis agendarum extra rerum contrahendarum negotia à ICTis inuentæ, Hotom. ibid. Actum legitimum eadem significatione

viur-

vſurpari in *leg.* 21. *C. de hæret. ait Hotom.* 32. *illuſtr. fol.* 219. *Cuiac. negat* 15. *obſeru.* 16. *in fin. Gothofr.*

Legitimi] Alciat. *l.* 3. *parerg. c.* 4. & 5.

Qui] qui non recipiunt. vulg. Hal. Hæc particula, *inquit Hotom.* 32. *illuſt. fol.* 219. ſuum antecedens reſtringit, oſtenditque, quoſdam actus legitimos eſſe, qui diem vel conditionem recipiunt. Acceptilatio, & optio non recipiunt, vadimonium, comperindinatio, obuagulatio denunciandi teſtimonii cauſa, procuratoris datio recipiunt. *Cuiac.* 15. *obſ.* 16. Florentinam lectionem tuetur. Ideoque hæc verba, qui recipiunt, ita interpretatur, Quibus aperte adiicitur dies vel conditio: alias ſi tacite adiicitur, non vitiatur *Cuiacius ibid. Goth.*

Mancipatio] emancipatio vulgo Hal. Hotomannus *ibi fol.* 214. & 218. vtrumque admittit. Emancipatio actus ciuilis §. 11. *Inſtit. de hered. quæ ab inteſt.* inter legis actiones numeratur. *Paul.* 2. *ſent.* 25. §. 4. *Cuiac.* 15. *obſ.* 16. mancipationem mancipium dici ait.

Acceptilatio] ea per procuratorem fieri non poteſt. *l.* 13. §. 10. *ſup. de acceptil. v. Hotom.* 32. *illuſt. fol.* 120. *Cuiac. ibi in pr.* certis verbis fiebat. *l.* 18. *ſup. de accept.* ſine die & conditione *l.* 4. & 5. *ſup. de acceptil.* & merito, quia acceptilatio obligationi præſentem interitum affert.

Aditio] ea non fiebat per procuratorem *leg.* 80. §.

80. *sup. de acquir. hæredit.* certis verbis constabat, his puta, *Adeo, cernoque.* Vlpianus *c.* 22. §. 28. *l.* 51. *in fine sup. de acquir hæred.* sine die & conditione fiebat *l.* 54. *sup. de acquir. hæred.* non iterabatur. *l.* 80. *in fine sup. de acquirenda hæred. Hotom. ibi. Gothofr.*

Serui optio] certis verbis fiebat *l.* 20. *supr. de opt.* pure & semel *l.* 5. *&* 8. *sup. de opt. l.* 5. *sup. de leg.* 1. An per procuratorem fiebat? *Hotoman. ibi ait fol.* 221. *arg. l. pen. sup. de opt.* quod non admittit *Cuiac.* 15. *obs.* 15. *Goth.*

Datio] quæ à magistratu fiebat. §. 1. *Institut. de Attil. leg.* 6. §. 1. *supr. de tutelis.* non à defuncto *leg.* 8. §. 1. *&* 2. *supr. de testament. tutela. Gothofr.*

Suprascripti] suntne alii actus legitimi præter suprascriptos? *Cuiac.* 15. *obs.* 16. adiicit cessionem in iure & libertatis dationem. *Hotom.* 32. *illust. fol.* 218. iudicis addictionem, comperindinationem, vadimonium, denunciationem testimonii causa, quod Cuiacio d. loc. displicet. Idem Hotomannus *ibi fol.* 218. addit conuentionem in manum, repudium, diuortium *ibi. fol.* 212. numerat inter legis actiones appellationem, vocationem in ius, iusiurandum, tutoris authoritatem: quod eidem Cuiacio displicet. addit idem Hotom. adoptionem, emancipationem, manumissionem vindicta, cessionem in iure, litis contestationem,

no-

nominis in reos relationem, tutelæ ceſsionem, tutelæ abdicationem, arrogationem, ſatiſdationem, atteſtationem, mancipationem, nuncupationem teſtamenti, aditionem hæreditatis, noxæ deditionem. Quædam etiam Cuiac. d. loco adiicit, vt ſtipulationem, procuratoris dationem, vſurpationem.

Tacite] puta per relationem ad actum aut diſpoſitionem præcedentem. Nam debitum conditionale pure accepto ferri poteſt *inf. eod. & l.12. ſup. de acceptil. Goth.*

Comprehenſa] expreſſa nocent, tacita non nocent.

Vitium afferunt] quia huiuſmodi actus præſens factum continent, ideoq; conditione aut die ſuſpendi non poſſunt. *Goth.*

Qui ſub conditione &c.] actus legitimus, qui expreſſe non poteſt explicari ſub conditione, ſi differtur ad diſpoſitionem præcedentem conditionalem, tacite conditionem recipere poteſt. *Gothofr.*

Hoc loco actus legitimi referuntur quinque. Serui optio, intellige etiam, optio veſtis, vel alterius rei. Mancipationem accipio generaliter, *vt Vlp. in fragm. tit. 19. de dominio.* non pro ſola emãcipatione, per quam liberi exeunt de poteſtate patris, quæ legis actio eſt. *Nouel. 81.* Legis autem actio & actus legitimus idem ſunt: ſed emancipatio etiam fit ex teſtamento,

& ex

& ex causa donationis. Omnis mancipatio est legis actio, siue actus legitimus. Videamus an alii actus sint legitimi? Ita, adoptio & manumissio. *l. 2. & 3. de offic. proconsul. l. 4. de adopt.* Idem censeo de diuortio, quod constat fieri, non nisi ex L. Iulia: diuortium est actio L. Iuliæ. Idem censeo de conuentione in manum & cessione in iure, *de qua Apulei. lib. 2. de asin. aur.* Non est eadem ratio depositi & custodiæ. Depositarius est custos, vt vulgo existimatur: Custodiam tamen non præstat & latam culpam. Is, à quo custodia exigitur, præstat leuem culpam: quidam sunt custodes, qui non sunt depositarii. *l. 1. §. quod autem 33. de vi & vi armat.* vt custos domus. *l. 1. C. de repud. hæred.* Sic etiam custodiæ illius solennis genus non est depositum, sed actus legitimus. Conditio autem actuum legitimorum hæc est, i. vt fiant certis & solennibus verbis: Sic constat fieri emancipationem, sic aditionem hæreditatis, sic cretionem, sic acceptilationem, diuortium: sic cæteri omnes actus fiunt certis verbis. Sed hodie verba solennia non dicuntur, sed vt dicta accipiuntur. *l. manumissio 23. de manumiss. vind.* Etsi vero lex tantum loquitur de manumissis vindicta: tamen idem putemus dictum de cæteris actibus legitimis. Secundo requiritur, vt legitimi actus fiant testibus præsentibus, quorum plerumque sunt 7. Sic fit emancipatio, sic diuortium, sic aditio,

aditio, ſic cretio, & cæteri omnes actus legitimi. Tertio fere in omnibus actibus legitimis interueniunt ſymbola: vt in emancipatione æs & libra: in manumiſſione, alapæ, ſiue pulſatio frontis. In aditione, digitorum crepitus & percuſſio, quo ſymbolo ſignificatur, hæredem adire hæreditatem. Quarto vt actus legitimi non fiunt per procuratorem, ſic aditio hæreditatis non fit per procuratorem. *l. 90. de adquir. hæred.* Sic adoptio *l. poſt mortem 25. de adopt.* & vt generaliter definit *l. nemo alieno 123. infr. eod.* Actus legitimi, h. e. actiones legis, non perficiuntur per procuratorem. Quinto requiritur, vt non iterentur. Sic aditio hæreditatis fit tantum ſemel. *l. ſi ſolus 80. de acquir. hæred.* optio ſerui fit tantum ſemel. *l. 5. de leg. 1.* ſic adoptio & libertas iuſta non reiteratur, Dico *Iuſta.* Nam qui non erant iuſtam libertatem adepti, poterant iteratione ciues fieri Romani. Sic adoptio non iure facta cõfirmari poteſt. *l. adoptio 38. de adopt.* Teſtamento non fit adoptio, ſed apud Prætorem tantum vel Principem. Ita adoptatur quis teſtamento, cum nomen teſtatoris ferre iubetur: at hæc adoptio non valet. Nam confirmari debet à Prætore: ſi iuſta eſſet, non iteraretur. De optione ſerui ſtulte dubitant quidam, an ſit actus legitimus, cum nihil ſit certius. Nam legata optione ſerui, ea debet fieri ſolenniter à legatario, hærede præſente: & ideo non fit re-

ſte ante aditam hæreditatem: cum tamen legata ante hæreditatem agnoſcantur. *l.* 10. *de leg.* 1. *l. optione,* 16. *de opt. leg.* hærede inquam præſente & vniuerſa familia publice exhibita. *l.* 3. *&* 4. *de opt. legata. l.* 3. §. *item ſi optare* 6. *ad exhibendum.* Sic etiam legata optione veſtis, exhibenda eſt vniuerſa ſyntheſis veſtium. Igitur veriſimile eſt, optionem fieri teſtibus præſentibus, cum fiat publice, fit & plerunque ipſo prætore diem decernente. *l. mancipiorum.* 6. *de opt. leg.* Quæ ſeruantur in aditione, quæ actio legis, ſeruantur & in optione. Igitur optio eſt actus legitimus. Item ſicut filiusfam. non poteſt adire hæreditatem iniuſſu patris, ſic nec optare: cætera legata poteſt ſine iuſſu patris amplecti, *l.* 10. *de leg.* 1. Et hæc eſt vltima conditio actuum legitimorum, vt omnes fiant pure. Acceptilatio non fit in diem, vel ſub conditione. *l.* 4. *&* 5. *de acceptilat.* dilationem non patiuntur, ſed protinus exequuntur: ſic tutor non datur in diem. *l. muto* 6. *de tutelis.* Teſtamento quidem ſub die vel conditione datur tutor: ſed ea tantum datio eſt actus legitimus quæ fit à Iudice, inquiſitione facta in optimos viros, ex quibus datur vnus; quæ fit teſtamento non eſt actus legitimus. Sic emancipatio non recipit diem vel conditionem *in l. pen. C. pro ſocio.* dubitatur, an poſſit ſocietas contrahi ſub conditione: quia creditur facile interueniſſe mancipatio

ſeu

ſeu traditio. *l. 2. pro ſocio.* Atque ideo dominium mutat, aut commutatur, quod non fit in aliis contractibus in quibus facile intelligitur mancipatio interuenire. Mancipatio autem non fit ſub conditione, neque ſocietas, ergo. Merito igitur dubitatur: an ſub conditione poſſit fieri ſocietas? Reſpondeo poſſe: alia enim eſt cauſa expreſſæ, alia tacitæ mancipationis. Omnes actus legitimi non recipiunt diem vel conditionem expreſſam: tacitam recipiunt. Sic acceptilatio expreſſim non fit in diem vel ſub conditione: ſed ſi ego acceptum feram quod tu mihi debes ſub conditione, quæ nondum extitit, acceptilatio non eſt quidem pura, ſed ei tacite ineſt conditio, quæ tacite obligationi eſt appoſita. Nam acceptilatio non habet vires, priuſquam conditio extiterit. Et generaliter, vt oſtenditur *in l. expreſſa 195. hoc tit.* expreſſa nocent, non expreſſa non nocent. Expreſſi & taciti non eſt eadem vis. *l. nonnunquam 52. de condit. & demonſt. Cuiac. in Rec.*

Ad Leg. 78. De fraude.

GEneraliter, cum de fraude diſputatur, non quid habeat actor, ſed quid per aduerſarium habere non potuerit, conſiderandum eſt.

Non quid] non quid non habeat: Balduinus *in comment. ad L. Aquil.* & ita Græci. οὐ πολυπραγμονοῦμεν τί οὐκ ἔχει ὁ ἐνάγων. 2. *Eclog* 3. *c.* 76. 6. *Har-*

menop. 2. *in princip.* reprehensus à Roberto 1. *animad.* 15. Vtramque lectionem probat *Cuiac.* 15. *obs.* 19. *in princ.* & Antoninus Mercator, 1. *notar.* 15. Certe Græcam lectionem antepono, cuius ea sententia est. Id quod actoris interest, non æstimatur tantum ex eo, quod ei decessit, sed ex eo, quod ei adquiri potuit, vt non tantum damni, sed & lucri habeatur ratio. Actor proprie id non habet quod amisit, idque damnum est. Quod habere potuit, nec tamen habet, lucrum est proprie, non damnum. Ideoque fructus non tantum percepti, sed & ii qui percipi potuerunt venient. *l.* 62. *in fine supr. de rei vind. l.* 39. § 1. *sup. de leg.* 1. *l.* 33. *in fin. princ. sup. ad l. Aquil. l.* 22. §. 3. *sup. de action. empti. l.* 10. §. 19. 20. *l.* 25. §. 4. *sup. quæ in fraud. credit. l.* 13. *sup. ratam rem leg.* 1. *in fine* C. *de petit. hæred. l.* 5. *C. de rei vind. Goth.*

Ait lex; *generaliter*, cum agitur de actione fraudatoria, non quid habeat actor consideramus, sed quod culpa & fraude aduersarii ei abest: vt cuius rei venditioni creditor consensit, ea fraudatus non videtur, quia non abest ei aduersarii facto, sed sua voluntate *l. nemo videtur* 145. *infr. hoc tit.* Græci legunt in hoc loco: Non omne quod habet actor. Vulgaris scriptura nullum idoneum sensum habet. Forsan melius adhuc quam Græci, leges hoc modo: Non quid habeat aduersarius, sed quid actor per

per aduersarium habere non potuerit, considerandum est. Nam & ita in malæ fidei possessore, cum quæritur de fructibus, Papinianus ait, generaliter non considerari, quid malæ fidei possessor perceperit, sed quid ipse actor non perceperit. *l. si nauis 62. de rei vindicatione.* Idem traditur in interdicto vnde vi, fructus venire, non quos prædo percepit, sed quos actor per prædonem non percepit. Ita in fraudatoria actione nō est inspiciendum, quid habeat reus, sed quid rei causa actor non habeat. Fraudatoriæ actiones dantur duabus de causis: Ob fraudatos creditores, qua de causa est actio Pauliana, aut interdictum fraudatorium. Altera causa est ob fraudatum patronum, ex qua est duplex actio, Fabiana & Caluisiana. De Pauliana actione tractemus. Hac actione tenetur is, qui sciens aliquid gessit cum fraudatore, idque edicto cauetur de sciente. *l. 1. quæ in fraud. creditorum l. 10. eod.* proposito interdicto fraudatorio, dicitur causa cognita interdum in ignorantem actionem in factum dari, vt in eum, qui à fraudatore rem cepit ex causa lucratiua, est actio in factum, siue Pauliana, qua tenetur, in quantum locupletior factus est. *l. 6. §. simili modo 11. d. tit.* At is, qui accepit ex causa non lucratiua, vt emptor, Pauliana non tenetur, nisi sciuerit. Tenendum est, actione Pauliana teneri fraudatorem, vulgo

quidam putant, id colligi ex *l. 12. quæ in fraud. cred.* quod falsum est. Species hæc est. Pater dedit filio liberam administrationem peculii; an poterit filius in fraudem creditorum alienare? Minime. Creditores filii, sunt creditores patris. Sed quid si concessit pater alienare in fraudem creditorum? Lex ait, sufficere actiones in patrem competentes. Hoc ita accipiunt quidam: Pater qui fraudauit creditores, tenetur actione Pauliana, dum ait, sufficere. Sed non est necessaria actio Pauliana, cum eius dolo sit diminutum peculium. Hic ergo locus non probat, fraudatorem teneri Pauliana. Pauliana non competit, nisi post venditionem bonorum debitoris. Si ea bona non sufficiant creditoribus, datur eis Pauliana, quia fraudator siue debitor tenetur inquantum facere potest, vel dolo malo fecit, quo minus facere posset. Nam fieri potest, vt aliquid retinuerit, post venditionem bonorum. Ergo non tenetur in solidum: quia inhumanum est, eum qui est exutus bonis, damnari in solidum. § *vlt. Instit. de action.* Itaque fraudator hic non tenetur, nisi in quantum facere potest: sed non euitat pœnam carceris, quam euitat, qui bonis cedit. *l. 1. C. qui bonis ced. poss.* Ob priuata delicta nemo patitur carcerem. *l. 2. C. de exact. tribut.* Ergo fraudator, cuius bona distracta sunt, hoc habet priuilegium, vt non teneatur, nisi in quan-

quantum facere poteſt: alterum non habet, vt non euitet carcerem *l.vlt.* §. *vlt. quæ in fraud. credit.* Sententia hæc eſt. Ait lex: In fraudatorem dari Paulianam, hoc eſt veriſſimum, nam edicto probatur. Mela tamen non probauit. Ratio eſt, quia ſicuti ei nulla datur actio ex ante geſto, hoc eſt ante venditionem bonorum *l. pen. de curat. bon. dand.* Ita etiam in eum nunc nulla videtur eſſe actio danda, poſteaquam eſt exutus bonis omnibus. Sed non datur in eum actio, niſi in id, quod poſtea incipit facere poſſe, deductis alimentis: Et res etiam nonnunquam exigit, vt omnino in eum actio detur. Finge enim, eum conſcientia fraudis ita quędam diſſipaſſe, vt recuperari non poſſint. Æquius eſt, eum teneri Pauliana, licet actor nihil ab eo conſequi poſſit, quam, vt in carcerem includatur. Pauliana autem actione tenentur ambo ex ante geſto. *d.l. ait Prætor.* 10. §. *penult. eod.* Nunc ſciendum eſt, ſi agatur cum debitore ſiue fraudatore, in actione Pauliana rem & obligationem cum omni cauſa in reſtitutionem venire: Deinde non tantum fructus perceptos, ſed etiam qui percipi potuerunt à fraudatore. In fraude enim poſſeſſor ille eſt, qui ſcit, fraudari creditorem. Itaque fructus non veniunt, niſi poſt litem conteſtatam: veniunt tamen fructus, qui fundo cohærebant, *l. vlt.* §. *non ſolum* 4. *eod.* Eadem ratio

fructuum habenda est in actione Fabiana & Caluisiana: sed habetur ratio perceptorum & percipiendorum. *l. videamus* 38. §. *in Fabiana* 4. *de vsuris l.* 1. §. *vlt. & l.* 2. *si quid in fraud. credit.* quia Prætor omnem fraudem rescindere voluit. Cum agitur fraudatoria actione, vt fraus rescindatur, habenda est ratio fructuum, non tantum eorum quos percepit aduersarius, sed etiam eorum quos aduersarius percipere potuit, nec percepit.

Ad Leg. 79.

FRaudis interpretatio semper in iure ciuili, non ex euentu duntaxat, sed ex consilio quoque consideratur.

Semper] imo non semper ex consilio, sed ex euentu. *l.* 10. §. 1. *sup. quæ in frand.*

Ex euentu] Decipitur, vt ait Poëta, quisquis ab euentu facta notanda putat.

Ex consilio] Seneca 2. *de tranquillitate c.* 7. Potest aliquis nocens fieri, quamuis non nocuerit. Venenum dando quis scelere se obligat, etiamsi non nocuit. Non minus latro est, cuius furtum (*ita legendum, non, telum, idque confirmari potest l.* 6. *in fine supr. ad l. Iul. peculatus*) opposita veste elusum est. Omnia enim scelera & ante effectum operis, quantum culpæ satis est, perfecta sunt, *idem* 4. *controu.* 7. Scelera quamuis citra exitum subsederunt, puniuntur.

addé

adde l. 14. ſup. de ſicariis l. 18. ſup. de pœnis 2. Ecloɡ. 3. c. 77. 6. Harmen. 2. in princ. Goth.

Fraudaſſe non videtur, qui fraudauit re ipſa, niſi fraudandi animum habuerit. Duo exigimus: Euentum, & conſilium. Ita fraus accipitur *in l. Ælia Sentia in edicto Pauliano, & Fabiano l. ait Prætor* 10. §. *ita demum.* 1. & §. *illud* 7. *quæ in fraud. credit.* L. Ælia Sentia cauetur, vt libertates datæ in fraudem creditorum nullæ ſint. Idem eſt in libertatibus datis in fraudem patroni. *l. ſi pariter* 9. *de lib. cauſa.* Ergo libertates datæ in fraudem creditorum nullæ ſunt: cæteræ alienationes valent, non factæ in fraudem creditorum. In omnibus his legibus fraus ſignificat euentum & conſilium. Cæterum in legatis & fideicommiſſis, mortis cauſa donationibus, & libertatib. fideicommiſſariis, euentum tantum inſpicimus, etiamſi dolus abſit *l. vlt.* C. *qui manumittere non poſſ. l.* 4. §. *ſi quid. de fideic. libertat. leg.* 1. §. 1. *ſi quid in fraud. patron.* Sed hoc fit neceſſaria ratione. Nam legata & cætera non præſtantur ab hærede, niſi deducto ære alieno. *l.* 1. *ad L. Falcid.* In alienationibus, quæ fiunt inter viuos, euentus non ſufficit. Nam & dolus exigitur: alioquin ceſſant fraudatoriæ actiones. Eſt igitur hæc regula accipienda de fraudatoriis actionibus, vt non competant niſi ex euentu & conſilio. Fateor, quandoque culpam

coërceri, quæ caret dolo, *vt ait Accurs.* sed hoc nihil ad actionem fraudatoriam. Fateor etiam fraudem, quæ est in reipsa, prætorem amouere per exceptionem doli. Sed hoc nihil ad fraudatorias actiones. Fraus significat captionem, quæ est in re ipsa, & dolum ac fraudem habet. *Cui. in Recit.*

Ad Leg. 80. De Genere & specie.

IN toto iure generi per speciem derogatur: & illud potissimum habetur, quod ad speciem directum est.

In toto] in legibus & statutis. *l.15. l.16. sup. de legibus.* pœnis *l.41. ſ. de pœnis.* legatis *v. l.99. in fine sup. de leg. 3.* petitionibus ac sententiis. *l.7. sup. de except. rei iudic.* vltimis voluntatibus *l. 41. §. 4. §. 5. sup. de vulg.* in laudo, in rescriptis: non in priuilegiis, & mandato fiscali. *v. l.3. C. de conuen. fisci deb. libr. 10. tit. 2. & Decium hic num. vlt. Gothofr.*

Generi] *cap. generi 34. de reg. in 6. leg. 99. in fine supr. de leg. 3. leg. 41. supr. de pœnis 6. Harmenop. 2.*

Per speciem] Speciei vocabulo intellige etiam indiuidua, ad quæ significanda, ICti speciei vocabulo abutuntur, vt & generis voce ad species *leg. 54. leg. 83. §. 5. supr. de verb. obligat. Gothofr.*

Derogatur] siue genus speciem præcedat, siue se-

ne ſequatur. *arg. l. 6. in fine ſup. de nouat. l.* 27. *C. de pactis l.* ;. *C. de ædilit. act. Goth.*

Et illud] Idem *Cic. lib.* 2. *de inuent. Rhetorica*, dum de contrariis legibus diſſerit. *Pac.*

Vſus huius regulæ eſt frequens in iure. Finge, teſtator legauit generaliter omne peculium ſeruo: in peculio continentur vicarii ſerui, nam ii ſunt peculiares ſerui; at ex iis vnus, liber eſſe iuſſus eſt eodem teſtamento; an liber erit? Ita; eximetur hic ſeruus ex generali legato peculii. Species derogauit teſtamento *l.* 10. *de manumiſſ. teſtam.* vel finge: Teſtator mihi legauit ſeruos vernas, tibi ſeruos textores, qui etiam vernæ erant: ſed ſerui textores, qui tibi legati ſunt, eximentur de legato mihi relicto. Tale exemplum eſt in *l. ſanctio* 41. *de pœnis*. Sanctio eſt generalis pœna, quæ ſolet poni in nouiſſima parte legis. Nam leges habebant plura capita. Extremum caput erat ſanctio. Huic ſanctioni derogatur per ſpecialem pœnam, ſi nempe talis alicui capiti legis addita ſit. Sic in vniuerſum, quę generaliter tract ita ſunt, eis derogatur per ſpeciem.

Ad Leg. 81. Quæ dubitationis tollendæ cauſa inſeruntur.

QVæ dubitationis tollendæ cauſa contractibus inſeruntur, ius cōmune nō lædunt.

Quæ]

Quæ] non insolita, vitiosa tamen *v. Decimum hic num. 3. 4. & 5. Goth.*

Quæ] *Coniunge l. 66. sup. mandati. Pac.*

Dubitationis] *l. 56. sup. mandati. 2. Eclog. 3. cap. 79. 6. Harmenop. 2.* extrinsecus, puta ex abundanti. *l. 6. in fin. sup. de negotiis. adde leg. 69. sup. de verb. obligat. Goth.*

Contractibus] dic idem in vltimis voluntatibus *v. l. 17. C. de testam. Goth.*

Hæc regula repetita est *in l. qui mutuam 56. mandati.* Sciendum est, in creditoris arbitrio esse, quem velit conuenire, reum principalem, an fideiussorem, an eius mandatorem; an pignora velit distrahere, & vno electo, si solidum creditor non potuit impetrare, ad alium venire potest. *l. grege 13. §. etiam 4. de pignoribus l. 3. §. vlt. de duob. reis.* & hoc obtinuit ante Nouell. Iustiniani, ex qua electionem non habet creditor. Nam prius debet excutere reum principalem. Verum loquamur de iure antiquo. Paciscuntur inter se contrahentes, vt creditori liceat conuenire mandatorem omisso & inexcusso reo, & pignoribus distractis. Hæc conuentio est superuacua. Nam ipso iure hanc electionem habet creditor. Dubitationis tamen tollendæ causa hæc pactio interuenit. Sed ita conuento reo, potesne redire ad mandatorem pignoribus distractis? Ita sane per hanc nostram regulam. Nam ius commune seruabitur

non

non tantum in caſu expreſſo, ſed & omiſſo. Sumatur aliud exemplum *ex leg. 3. C. de fideiuſſoribus.* Sciendum eſt, ſi plures ſint fideiuſſores, ſingulos teneri in ſolidum: ſed habent beneficium diuiſionis ex epiſtola D. Hadriani. Nunc finge: conuenit, vt ſinguli fideiuſſores teneantur in ſolidum: nihil autem adiicitur in conuentione de diuiſionis beneficio ex Epiſtola D. Hadriani: an videbitur renunciatum beneficio diuiſionis? Minime. Et ſic in ſuperiore ſpecie creditor non videtur renunciaſſe electioni. Ergo hæ conuentiones ſunt ſuperuacaneæ, nec neceſſario inſeruntur contractibus. Ergo in caſibus omiſſis ius commune non lædunt. Ius commune etiam locum habet, fideiuſſore iuri communi renuntiante. Non enim dicemus, hac ratione iuri communi renuntiatum videri. Accurſius opponit *l. inter 26. §. cum inter 2. de pact. dotalibus. & leg. ſi cum dotem 22. ſoluto matrim.* Sed ſciendum eſt, ex *l. inter.* dotem profectitiam redire ad patrem, mortua in matrimonio filia, ſiue ſua ſit, ſiue emancipata, & ſiue mortua ſit ſine liberis, ſiue ſuperſtitibus liberis: Filiæ emancipatæ ſoli, diuortio facto, competit repetitio dotis. Si filia ſit in poteſtate, communis eſt actio, & voluntas vtriuſque, hoc eſt patris & filiæ exigitur. Ponamus ſpeciem. Pater ſtipulatus eſt, dotem ſibi reddi, ſine liberis mortua in matrimonio filia: hoc ita

ſe ha-

se habet ipso iure. Ergo secundum hanc regulam, etiam superstitibus filiis dos est reddenda patri. Attamen *d. l. inter*, ait superstitibus liberis, dotem non reddi patri. Sic respondeo: si pater stipuletur dotem sibi reddi, superstitibus filiis, mortua filia huic regulæ locus erit. Nam sine liberis mortua filia, dos ad patrem reuertitur, quia manifeste hæc conuentio interponitur dubitationis tollendæ gratia. Nam de eo magis dubitari poterat, an superstitibus liberis, dos rediret ad patrem, cuius dubii causa interponitur hæc conuentio. Sed si conuenerit, dotem reddi sine liberis mortua filia, quod nihil habet dubitationis, hæc conuentio non videtur poni, dubitationis tollendæ gratia, vt ita dos redeat ad patrem si filia, non extantibus liberis, mortua sit. Itaque liberis extantibus non redit. Quomodo si conuenerit; vt non aliter creditor veniat ad mandatorem, quam pignoribus distractis: vel si conueniat, vt non conueniantur fideiussores in solidum, secundum ius D. Hadriani. Sequitur quod actum est, nec derogatur iuri communi, quod permittit, vnumquemque iuri suo renuntiare. Et ita videtur pater renunciasse repetitioni dotis, *d. l. inter de pact. dot.* Nam verba, sine liberis, faciunt conditionem in specie *d. §. cum inter.* Ius commune erat, vt dos reuerteretur ad patrem, vel extantibus, vel non extanti-

tantibus liberis, ſic tamen, vt quintæ in ſingulos liberos retinerentur ex dote vxoris. *Vlp. in fragm. tit. de dote 6.* Retentio quintarum non eſt ſublata *l. vnica C. de rei vx. act.* Nam in eo §. loquitur tantum de retentione, quæ fit propter liberos diuortio facto, nos non loquimur de diuortio, ſed de morte. Itaque quintarum retentio non eſt ſublata. Pactio erat vulgaris olim, vt filiis ſuperſtitibus dos tota retineretur à patre, & ita pactum vulgare appellatur *in leg. Bæbius 30. de iure dot.* quod vulgo fiebat. Pactio pleriſq; locis in ius cõmune tranſiit, idq; patet ex multis locis, quibus oſtenditur, vulgaria pacta tranſire in ius commune Conuentio conditionalis in eo §. facit, vt redeat dos ad patrem, quæ erat vulgaris conuentio: ideoque ea verba, *ſine liberis*, accipiuntur pro vulgari pacto. Reſpondeamus *ad leg. ſi cum dotem. ſoluto matrim.* Sententia l. eſt. Si pater aut extraneus paciſcitur, ſibi dotem reddi in vnum caſum: duo ſunt caſus reddendæ dotis, diuortii & mortis. Si itaque in vnum caſum ſtipuletur tantum, in caſum non expreſſum erit actio propria mulieris. Hoc non pugnat cum hac regula. In extraneo certum eſt, non pugnare; Nam certum eſt in extraneo, qui dotem dat, hanc conuentionem non eſſe ſuperuacuam. Igitur ſi extraneus in vnum caſum pactus eſt, in caſum omiſſum actio erit mulieris, vel hæredum eius. Illa conuentio non eſt ſuperuacua: ipſo enim

enim iure repetitionem non habet. Hæc autem regula est de superuacuis conuentionibus. In patre etiam nihil aduersatur hæc regula. Nam si ponas, patrem dotem dantem stipulari sibi reddi dotem morte, siue generi, siue filiæ. Hæc conuentio non est supetuacua; cum sit iuri dissentanea. Nam in casum mortis filiæ, patris fuisset propria actio dotis. Sed in casum mortis generi hæc conuentio propriam actionem patris facit, quæ aliàs vel communis foret ei cum filia sua, vel propria filiæ emancipatæ. Igitur in casum omissum, hoc est diuortii propria erit actio patris, quæ iure communi, foret cum filia communis, detracta nempe conuentione. Et ex contrario: si pater stipulatus sit dotem sibi reddi in casum diuortii, superuacua est actio, nec iuri communi consentanea. Igitur in casu mortis actio erit propria filiæ, vel hæredum. Denique conuentio, quæ à patre interponitur, iuri communi consentanea non est. Verum si generaliter ponas, in mortem tantum filiæ patrem esse stipulatum, superuacua erit pactio, & iuri communi consentanea. In casum igitur omissum actio erit communis. *Cuiac. in Recitat.*

Ad Leg. 82. De donatione.

DOnari videtur, quod nullo iure cogente conceditur.

Dona-

Donati] *v. l. 29. ſup. de donationib. 2. Eclog. 3. cap.* 80.

Nullo] penitus ſcilicet, ſi tamen obligati naturaliter quid dederimus, proprie non erit donatio. *l. 1. ſup. de donat.*

Exemplum eſt: ſi ſeruus poſt manumiſſionem ſoluat pecuniam ſibi creditam in ſeruitute, nulla eſt donatio. Soluit quidem quod non debet iure ciuili, ſed quod debet naturali iure. Igitur non eſt donatio. *leg. hoc iure 19. de donat.* Donatio eſt eius, quod nullo iure cogente conceditur. Sic & contra ſententiam Iohan. Bulgari, Accurſii & aliorum; ſi quis aliquem remuneretur, remuneratio non eſt proprie liberalitas: ſed quaſi pretium & merces officii. *leg. ſi vt certo 5. § nunc videndum* 11. *commodati l. 2. §. & generaliter. vi bonorum raptor.* Et naturaliter debetur remuneratio, id eſt, iure gentium *l. ſed & ſi lege. de petit. hæred.* Ideo quod ſoluitur ex hac cauſa non repetitur quaſi indebitum. At vero remunerationem donationem non eſſe conſtat *ex l. 3. §. vlt. & l. hoc iure §. 1. de donat.* ait lex: officiorum mercedem, eſſe extra cauſam donationis, vt, ſi mihi dones aliquid, quod tibi adfui, vel quod pro te ſatiſdedi, vel quod aliqua in re opera & gratia mea vſus fuiſti, quæ non eſt proprie donatio, ſed remuneratio præcedentis officii. Delenda ſunt, quæ Accurſ. ſcripſit; Nam non intelligit,

eo §. agi de remuneratione, quæ non est mera liberalitas: donatio vero est mera liberalitas, quæ nullo iure cogente, in alium transfertur. Huius est certus modus; remunerationis non est certus modus. Hæc regula repetita est *in l. donari de donationib.* sed vtraque lege videtur legendum, *Papinianus lib.* 8. *Responsorum.* Et ita huic legi coniungetur *l. vir vsuras* 34. *de donat. inter virum, & vx.* species est, Mulier promisit dotis vsuras, quod tardius dotem solueret & præstitit; an præstatio est donatio? Certe non, quia iure cogente dos tribuitur. Sed si vsuras dotis remittat, an donatio est? Sic sane. *l. si quis pro vxore l. si vxor. de donat. inter vir. & vx.* Finge igitur, Mulier debet dotem, & promisit vsuras dotis, maritus non petit vsuras, tacite remittit vsuras vxori: hæc remissio non valet, nisi morte confirmetur. Finge, maritus dotem vxori prælegauit, & confirmauit, si quid daret vxori, fideicommissum esse: legato dotis vsuræ non continentur: sed titulo donationis confirmantur. *Cuiac.*

Ad Leg. 83. De amissione.

NOn videntur rem amittere, quibus propria non fuit.

Non videntur] proprie scilicet, alias improprie: amitti etiam dicitur, quod quis consequi non

non potuit. *leg. 33. in fine sup. ad L. Aquiliam. Gothofr.*

Quibus] quorum propria Priuatio, habitum: & qualitas subiectum præsupponit *leg. 4. sup. de instit. l. 3. in fine sup. de capite minutis l. 1. §. 1. sup. si vsusfr. l. 41. vers. quare si nulla sup. de reb. credit l. 4. sup. de act. empti l. 5. sup. de iniusto rupto l. 96. sup. de condit. & demonst. l. 116. sup. de verb. oblig. Gothofr.*

Is amittit rem, qui acquisiuit: & ideo Græci apud Harmenop. *lib. 3. Epit. tit. 9.* hoc solum notant: Casum fortuitum solum dominum agnoscere: vt re pignori tradita creditori, Creditor non videtur rem amittere, sed dominus, cum eius propria nunquam fuerit. *Cuiac. in Recitat.*

Ad Leg. 84. De amplius soluto. De natura obligationum.

CVm amplius solutum est, quam debebatur, cuius pars non inuenitur, quæ repeti possit, totum esse indebitum intelligitur, manente pristina obligatione. §. 1. Is natura debet, quem iure gentium dare oportet, cuius fidem secuti sumus.

Amplius] *v. l. 26. §. 4. sup. de condict. indebiti.*

Possit] Id accidit, quoties res in solutum data diuidi non potest: quia, si indiuiduum est, quod diuidi non potest, nec eius pars aliqua

 esse

esse poterit: ideoque solutione irrita, totum condicitur, & in solidum erit agendum. *leg.* 1. §. 9. *sup. ad L. Falcid. l.* 1. §. 21. *sup. si quid in fraud. patron. Gothofr.*

Is] Coniunge *l. Iulianus de condict. indebiti.*

Natura] Natura debetur id, quod natura æquum est solui. *l.* 11. §. 2. *sup. de peculio*, cuius obligatio solo vinculo æquitatis sustentatur. *l.* 95. §. 4. *sup. soluto.* quod tamen per Iudicem peti non potest *l.* 1. § 17. *sup. ad L. Falcid. leg.* 10. *in fine sup. de verb. signific. Goth.*

Iure gentium] sensus est, Nemo iure gentium debet, quin & natura debeat: nihil iure gentium æquum est, quin & natura quoque sit æquum: at non continuo, qui natura debent, iure gentium debent. Ius enim gentium obligationis actionem magis efficacem facit, quam naturalis *Gothofr.*

Fidem] Is naturali æquitate obligatur. *l.* 1. *sup. de pactis.* Pertinet hæc lex ad condictionem indebiti. Duæ sunt sententiæ. Ad primam sententiam ponit Accurs. exemplum ex *l. si non sortem* 26. §. *si centum* 4. *de condict. indeb.* Finge: Debeo centum, solui fundum dignum ducentis: amplius quam debebam solui: non inuenitur, quæ pars fundi sit indebita, maxime cum sint confusæ partes. Hoc casu non statuetur communio fundi, sed totus fundus repetetur, manente incorrupta obligatione illo-

rum

rum centum. Altera ſententia etiam pertinet ad condictionem indebiti, in qua eſt frequens tractatio de naturali debito: Eum qui natura debet, licet non debeat iure ciuili, eius non habere repetitionem: Is natura debet, cui fidem habuimus, vt qui pacto promiſit, ſe aliquid daturum ſine ſtipulatione, eius verbo fidem habuimus *l. in his* 5. § *Imperator. de ſolution.* Item; Pupillus, cui pecuniam credidimus, ſine tutore authore, ex qua factus ſit locupletior, debet natura. *l. naturaliter* 13. §. 1. *& l. ſeq. de condict. indeb.* & ita naturalis obligatio accipitur in *l. Stichum* 95. §. *naturalis* 4. *de ſolution.* quæ ſolo vinculo æquitatis ſuſtinetur: Verum ſicut natura debet non tantum is, cuius fidem ſecuti ſumus; ita debet non tantum, qui naturali, ſed etiam qui iure gentium debet, vt ſeruus domino, & contra, dominus ſeruo non debet iure naturali, ſed iure gentium, quia ſeruitus eſt conſtitutio iuris gentium; & is qui debet iure naturali, ſi ſoluat, non habet condictionem indebiti. Iure gentium condicit. *l. indebitum* 9. *C. de condict. indebiti.* Qui autem ſoluit indebitum iure naturali, vt libertus, qui eo iure eſt incognitus, non habet condictionem indebiti. Sic operæ non debentur iure naturali, quo eſt incognitum ius patronatus, ſed debentur iure gentium. Nam patronatus eſt iuris gentium, *l. manumiſſionis* 4. *de iuſtit & iure.* Ad

hanc differentiam puto referri hanc definitionē huius regulæ, vt intelligatur, eum, qui iure gentium debet, licet non debeat iure naturali, non habere condictionem indebiti. *Cuiac. in Recitat.*

Ad Leg. 85. De dote. 1. De his quæ ad eum casum peruenerunt, à quo non possunt initium capere. 2. Si æquitate desiderii naturalis ratio aut dubitatio iuris moretur.

IN ambiguis pro dotibus respondere melius est. §. 1. Non est nouum, vt quæ semel vtiliter constituta sunt, durent, licet ille casus extiterit, à quo initium capere non potuerunt. §. 2. Quoties æquitate desiderii naturalis ratio, aut dubitatio iuris moratur, iustis decretis res temperanda est.

In ambiguis] *Coniunge l. in ambiguis de iure dot. l. Cuius soluto matrimonio. Pac.*

Pro dotibus] *v. l. 9. §. 1. l. 70. sup. de iure dot. l. 1. sup. soluto 2. Eclog. 3. c. 82. l. vlt. C. ad Vellei.* & iis quæ doti comparantur, vt Ecclesia, & fiscus. *Dec. hic.* De priuilegiis dotalibus vide Oldendorp. *in tractat. de iure sing. capite* 13. *Gothofr.*

Constituta] id est, consummata & perfecta. *v. Dynum ad c. 73. de reg. in 6. & Dec. hic.*

Licet]

Licet] *cap. factum legitime 73. de reg. in 6. 2. Eclog. 3. c. 84.* ſic propter impedimentum ſuperueniens non vitiatur matrimonium, *l. 8. ſup. de his qui ſunt ſui*: teſtamentum. *l. 18. ſup. de his qui teſt. l. 1. §. 3. ſup. ſecund. tab.* ſenatorius ordo, iudicandi munus, magiſtratus. *l. 1. §. 5. verſ. caſum ſup. de poſtul.* Sufficit enim, actum ab initio fuiſſe legitimum. *v. l. 29. ſup. eod.* Tanta eſt iam facti authoritas, vt interdum, quod prohibetur fieri, factum teneat. *leg. 1. §. 5. ſup. quando appell.* atque ita vtile per inutile non vitiatur: inceptum tamen, nec dum perfectum, inutilis aduentu euaneſcit *l. 16. ſup. ad L. Aquil. v. Dec. hic. & Dynum d. c. 73. Goth.*

Æquitas] æquitatem, vulgo Hal.

Deſiderii] id eſt, poſtulantis agentis. Deſiderium ſignificat hic libellum. Itaque quoties æquitatem libelli moratur ratio naturalis, aut dubitatio iuris, cauſa non eſt iudicanda de plano; ſed res eſt referenda ad diem ſeſſionum, cum ſedebit prætor pro tribunali.

Naturalis ratio] id eſt, æquitas iuſtæ cauſæ, cui multum à Iudicibus tribui ſolet. *l. 1. in f. l. 26. in fin. ſup. ex quib. cauſ. maior.*

Dubitatio iuris] quæ oritur ex contrariis legibus.

Moratur] id eſt, impedimentum affert, quo minus res poſſit decidi.

Temperanda] Temperare eſt inter ſum-

mum & nimium indulgens ius, medium locum tenere. *l.17. sup. de vsur.* vt sit sensus. In omnibus quidem, maxime tamen in iure æquitas spectatur *l.89 inf. eod. 2. Eclog. 3. c. 87.*

Prima sententia est: In ambiguis pro dotibus respondere melius est; quæ repetitur *in l. in ambiguis* 70. *de iure dot.* Causarum quædam sunt fauorabiles, vt mortuorum illationes, *l. sunt personæ* 43. *de relig. & sumpt. fun.* &, dotes. *l. vlt. C. ad SC. Velleian.* At in ambiguis, vt pro libertate respondemus, ita pro dote. Sumamus exemplum ex *l. Caius Seius* 45. *soluto matrim.* species est: Auus maternus, cum dotem daret pro nepte, stipulatus est, dotem sibi vel nepti reddi soluto matrimonio. An solutionis causa adiecta est neptis, an obligationis causa, & potuitne adiici obligationis causa? Nemo alteri stipulari potest. An hoc dabitur fauori dotium, vt valeat collatio facta in neptem? Ait, existimandum, neptem adiectam esse obligationis causa, & vtilem actionem dari. Fauetur dotibus, vt mulieres nubere possint. Igitur in ambiguis doti fauemus. Exemplum aliud est *in l. quæsitum* 17. *de bon. auth. iudic. possid.* species est: Certum est, mulierem dotem repetentem habere priuilegium. Sed finge: sponsa dotem dedit, nuptiis renuntiauit postea, an in repetitione dotis habebit sponsa priuilegium? vel finge: minor 12. annis, quasi vxor domum ducta est,

cta eſt,& dotem dedit marito: ſoluitur matrimonium ante pubertatem puellæ, repetit dotem,an habebit priuilegium? Ambigitur,quoniam neutra erat vxor, neque ergo matrimonium,& nec dos. Sed certum eſt, datam eſſe dotis ſpeciem, & hoc reſpectu dos eſt,& melius eſt, dicere, dotem eſſe, & reſpondere pro muliere.*l.ſi ſponſa* 74.*de iure dot.*

§. *Non eſt nouum.*

Dum ait *in* §.2.*Non eſt nouum*,&c. ſignificat regulam non eſſe.*l.non eſt nouum* 46.*de acquir. rer.dom.*Itaque conſtitue ita regulam: Ea,quæ initio conſtiterunt, euaneſcunt, ſi in eum caſum venerunt, à quo incipere non potuerunt. *l.pro parte* 11.*de ſeruit. l.*3.§.*vlt.de his quæ pro non ſcript.l.exiſtimo* 98,*l.inter* 83.§.*ſacram.*5.*l.pen.& vlt.de verb.oblig.* vt in iis exemplis, rem meam inutiliter ſtipulor,alienam recte. Finge, rem alienam ſtipulatus ſum, recte ſtipulor: at ea res mea facta eſt ex aliqua cauſa, antequam ſtipulatio facta ſit,an reſcinditur ſtipulatio?Ita.Idem eſt, ſi ſtipulatus ſum ſeruitutem ad fundum meum. Nam ſi acquiſiero, & poſtea vendam partem fundi,ſtipulatio vitiatur: quia iam non poſſum ſeruitutem pro parte acquirere, quia ſeruitus non acquiritur pro parte. Sic igitur demonſtratur, Ea,quæ initio conſtiterunt, vitiari poſſe. Sed *vt ait ICtus hic* vitiatur nonnun-

quam, vt in hac specie: Legatus est fundus primo & secundo, à Titio hærede instituto: postea moritur Titius, hæres existit primus Titio, ac idem est hæres & legatarius, quod fieri non potest; quid dicemus? Legatum non accrescere secundo dicemus, sed primo *l. plane 34. §. inde dicitur. de leg.* i. Idem in hac specie: Vnus ex dominis non potest fundo communi seruitutem acquirere: Dominus autem fundo seruitutem acquirere potest, quia iure acquisiuit Dominus fundi partem eius vendidit, & ita seruitus acquiritur, an seruitus euanescit? Minime. Nam licet seruitus non acquiratur pro parte acquisita, tamen solidum pro parte confirmatur. *l. pen. §. vlt. de verb. oblig.* His duobus casibus vitiatur stipulatio: vitiatur & in aliis, sed non sine controuersia. Nam singulis in casibus magnæ fuerunt controuersiæ, an esset admittenda illa regula, an non, dissentiuntque ICti tribus in locis. Ex quo apparet, fallacem esse regulam. Vnum exemplum est; Sciendum est, à filiof. hærede instituto patri legari posse, itemque à seruo hærede instituto, si legatur domino, legatum valere ab initio. Quid fiet, si pater vel dominus hæredes fiant, an extinguetur legatum, quod initio valuit, quia idem legatarius & hæres esse cœperit? Paulus existimat, legatum nō vitiari, licet in eam causam peruenerit, à qua incipere non potuit, & imputari in Falcidiam; hoc

hoc eſt, pari Falcidiam. *l. à filio de leg.* 1. ſed Martianus cenſet, legatum extingui. *l. ſi à ſeruo ad L. Falc.* Sequitur aliud exemplum: Legatum non valet, ſi debitor pure legauerit creditori, quod debet pure. Valet tamen legatum, ſi quod debet in diem, legat pure. Finge, quod debet in diem, legauit pure; viuo teſtatore venit dies, & iam debet pure: an extinguitur legatum? Papinianus putat non extingui legatum. *§. ex contrario Inſtit. de leg.* Paulus ſecus *in l. debitor* 82. *de legatis*. 2.

Poſtremum exemplum eſt: vnus ex dominis fundo communi ſeruitutem non poteſt ſtipulari. At finge, qui erat dominus in ſolidum ſtipulatus eſt ſeruitutem fundo ſuo, & deceſſit duobus hæredibus relictis, an corrumpitur ſtipulatio? Ita ſecundum regulam, quia ſolus hæres vnus non poſſet ſeruitutem ſibi ſtipulari pro parte. Denique res peruenit ad eam cauſam, vnde incipere non poteſt. Ergo ſecundum regulam vitiatur ſtipulatio. *l.* 2. *§. ex his. de verb. oblig.* ſed diuerſa ſententia probatur magis, illo loco ceſſare ſcil. regulam: Denique ſtipulationem non corrumpi ſucceſſione duorum hæredum. Sic igitur videmus ſuperiorem regulam vitiari.

§. Quo-

§. *Quoties æquitate.*

Postrema est sententia huius legis: *Quoties æ-quitate, &c.* Interdum æquitas concurrit cum æquitate, & colliduntur æquitatis rationes. Sæpe quæritur; vtrum sit æquius? Duplex est æquitas, Naturalis, & Ciuilis. Confligit sæpe vna cum altera. *l. si seruus 61. §. quod vero 5. de furtis.* Species: Ego apud te deposui seruum, quem ego furem esse ignorabam, is tibi surripuit aliquid; an tibi in solidum damnum præstabo, ac si furtum ipse fecissem? an satis erit, seruum noxæ dedere? Æquum esse videtur, vt sufficiat noxæ deditio, vt ne plus damni per seruum eueniat, quam quanti est seruus. At ex contrario æquius etiam est, vt ne depositario officium suum sit damnosum, quod officium suscipit, non sui causa, sed deponentis. Itaque damnum ex asse ei præstare æquum est, quod concludit lex. Sed ad regulam nostram tale proponamus exemplum. Procurator datus est ad litem suscipiendam, & suscipit litem. Itaque dominus pro eo cauit iudicatum solui, restat, vt lis contestetur. Procurator non vult litem contestari. Actor postulat, vt cogatur ad litem contestandam, & iudicium suscipiendum. Hæc postulatio nititur æquitate edicti. At procurator allegat aduersam valetudinem, necessarium munus Reipub. nec se posse exequi

man-

mandatum. Hæc excuſatio non paruam æquitatem habet. Contra quoque fieri non poteſt, vt actor admiſſa hac excuſatione lædatur. *l. ſed etiam* 12. *de procurat.* Itaque inſtat actor, & vult cogere procuratorem, vt ſaltem litem conteſtetur. Res hęc iuſto decreto temperabitur. *l. ſed hac* 13. *eod. tit.* allegatio illa, inquam, non eſt facile indulgenda, quia non poteſt culpa eſſe actoris, & non eſt etiam ſtricte, hoc eſt, præciſe deneganda: Sed cauſa cognita, decreto eſt res temperanda iuſto, hoc eſt, quod æquius eſt, & in mediocritate conſiſtit. Sic ex regula generaliter conſtituendum: quoties quid fieri debet de plano & per libellum, ſi quo minus id fiat, remouetur ratio naturalis, opus eſt decreto, & non poteſt expediri res de plano. *Cuiac. in Rec.*

Ad Leg. 86. De litis conteſtatione.

NOn ſolet deterior conditio fieri eorum, qui litem conteſtati ſunt, quam ſi non, ſed plerunque melior.

Litem] *v. l.* 58. *ſup. de verb. oblig. adde Hotom.* 3. *obſ.* 28.

Quam ſi non] *non eſſent. vulgat. Hal.*

Ad Leg. 87.

NEmo enim in perſequendo deteriorem cauſam, ſed meliorem facit, denique poſt litem

litem contestatam hæredi quoque prospiceretur, & hæres tenetur ex omnibus causis.

Litem] post litis contestationem.

Hæredi] *l.58.sup.de verb.obligat.*

Hæres] *d.l.52.sup.de rei vindicatione.*

Primum ait, deteriorem non fieri causam nostram litis contestatione: quia lite contestata, vsuræ non desinunt currere. *leg.35.de vsur.* quamuis desinant, nouatione facta. Sic etiam lite contestata idem priuilegium locum habet. *l. aliam causam 29. de nouation.* Imo litis contestatio actionem nostram facit meliorem: primum actionem nostram prorogat, vt actionem annuam in annos triginta *d. leg. aliam & l. vlt. de fideiuss. tut. l. nam posteaquam 9. §. si is 3. de iureiur.* & triennalem actionem prorogat in annos quadraginta. *l. cum C. de præscript. 30. vel 40. annor.* similiter litis contestatio facit, vt actio hæredi nostro competat, quæ non competeret alias; vt iniuriarum actio, quæ non datur, nisi cum defuncto lis contestata fuerit. Similiter in hæredem datur actio lite contestata, quæ non contestata non daretur in hæredem rei, vt actiones pœnales non dantur in hæredem, nisi post litem contestatam: sic non dantur in patrem, nisi lite contestata. *l. 58. h. tit.* hoc est, quod ostendit *l. pœnalia 164. inf.* quæ actio proprie pertinet ad actionem in duplum, qua tenetur qui sciens

pro

pro seruo veniit, & non datur in hæredem, nisi post litem contestatam, & est pœnalis. *l. vtique 21. & l. seq. §. vlt. de liberali causa.* Litis contestatio facit, vt actiones, quæ tempore & morte pereunt, in hæredem transmittantur. Denique per litis contestationem non fit nostra conditio deterior, sed plerunque melior. *Cuiac. in Recit.*

Ad Leg. 88. De mora.

NVlla intelligitur mora ibi fieri, vbi nulla petitio est.

Nulla] *ex l. si pupillus de verb. obligat.*

Vbi] *c. non est in mora 60. de reg. in 6. l. 40. in f. sup. de reb. cred. l. 27. sup. de verb. oblig. 2. Eclog. 3. c. 86. l. 54. sup. de pactis. & ita intellige l. 4. C. de compensation.*

Petitio est] multo minus pœna, quia non debetur pœna sine mora. *Goth.*

Petitio, hoc est, actio: & recte Accurs. citat *l. si pupillus* 127. *de verb. oblig.* ex qua hæc regula est repetita. Sententia eius est: Pupillus stipulanti promisit hominem certum sine tutoris authoritate, & fideiussorem dedit, fideiussor obligatur & naturaliter & ciuiliter, pupillus autem naturaliter tantum. Ex ea obligatione nulla est actio ante rescriptum D. Pii: Sed an tenebitur fideiussor? Sane mora rei solet nocere fideiussori *l. mora* 88. *eod.* Sed pupillus non vide-

videtur moram fecisse. Nam non intelligitur ibi mora fieri, vbi nulla est actio. Itaque si ille homo moriatur ante moram fideiussoris fideiussor liberabitur, nec dici potest mora pupilli, qui non facit moram: non facit quoque moram, qui tenetur actione, sed habet exceptionem. *l. sciendum* 21. *de vsuris l. lecta* 40. *de reb. cred.* Opponit Accurs. *l.* 5. *C. de contrahend. stipul.* Hæc lex ostendit, eum, qui pactus est, moram facere: ex pacto autem non est actio, & actione non existente aduersus eum, qui stipulatus est, fit mora. Hîc respondet Ioh. ex pacto non esse actionem, nisi velit is, qui pactus est. Ergo actio est in volentem & patientem, quod si nolit pati, committitur pœna: at pupillus nec velle, nec pati creditur. Ergo in hac specie incidit in pœnam, qui pactis non paret, quasi mora facta, cum possit parere pacto. Rursus opponitur lex, *si ita stipulatus de verb. oblig.* Vbi ita proponitur concepta stipulatio: Stichum dabis; si non dederis, decem dabis. Lex ait; moram fieri in non præstando Sticho: sed dicendum, peti potuisse. Mora autem facta, statim desiit Stichus peti posse: quoniam obligatio Stichi transfusa est in obligationem pecuniæ. *Cuiac. eod.*

Ad

Ad Leg. 89. De successione ex testamento vel ab intestato.

QVamdiu possit valere testamentum, tamdiu legitimus non admittitur.

Legitimus] Legitimus hæres vide *l. 39. sup. de acquir. hæred.*

Admittitur] nisi voluntas testatoris obstet. *l. 82. supr. de hæred. instit. adde leg. 21. §. 3. C. de testament.*

Aperta est sententia huius legis, & proponitur *l. quam diu 3. l. quam diu 69. leg. illud. 77. de acquir. hæred. l. antequam 8. C. communia de success.* & ei locus est in tutela. *l. si quis sub conditione 11. de testam. tut. Cuiac. in Recitat.*

Ad Leg. 90. De æquitate.

IN omnibus quidem, maxime tamen in iure, æquitas spectanda est.

In omnibus] demus enim, iuris solennibus aliquid deesse? vtique æquitas interdum eiusmodi defectum supplebit. *leg. 183. infr. eod. Gothofr.*

In iure] id est, ne dum in iuris ciuilis scientia, sed ante ius. *l. 2. §. 5. in f. sup. de aqua pluuia.* Nam, vt ille ait, summum ius, summa iniuria. (Ius summum intellige strictum, quod & æquo opponitur. *d. §. 5. l. 1. C. de legib. l. 8. C. de iudic.*) Ius strictum est vel ipsa lege scriptum. *l. 12. sup.*

qui & à quib. vel ex ipsa lege subtiliter inducta interpretatio. *l.* 32. *in fin. sup. de reb. cred.* vt sæpius, non est scripta æquitas. *leg.* 14. *sup. de diuersis.* sed pro ratione circumstantiarum facto accommodatur: ideoque quæ legibus omissa sunt, suppleri solent. *l.* 13. *sup. de testib.* est igitur æquitas legis scriptæ, æquamentum ad vtilitatem hominum reductum, vel non scriptæ supplementum. *Goth.*

Æquitas] 2. *Eclog.* 3. *c.* 87. hæc est ars boni & æqui *l.* 1. *sup. de Iustit.* qua nihil gratius Iureconsulto. *l.* 57. *C. de Episcop.* sub cuius tamen authoritate sæpissime erratur. *l.* 91. §. 3. *sup. de verb. oblig. Gothofr.*

Æquitas spectatur potius, quam ius commune & summum. Ait lex: *In omnibus: vt in l. placuit* 8. *C. de Iudiciis.* In omnibus, vt in testamentis, iudiciis, contractibus, & pactis. Male Accurs. in iure, hoc est in lege: leges non oportet calumniari, *l. pen. ad exhib.* Calumniatur leges, qui verba sequitur & literas, reiicit autem æquitatem, *vt ait l. scire* 17. *de legib.* vis legum posita est in æquitate, mente & consilio scriptoris. Vetatur calumnia, vetatur fraus legum. Verum si absit calumnia & fraus, sane scriptum sequi debemus. *l. prospexit*, 12. *qui & à quib. manumissi.* sic etiam sequimur testamenti scripturam *in l.* 16. *de condit. & demonst.* quæ lex ait eleganter, in controuersiis, quæ pen-

pendent ex testamento, sequi nos debere ius scriptum & strictum. Cæterum in iis, quæ sunt citra scripturam testamenti, tum ex æquo & bono interpretationem facimus, cum abest calumnia & fraus. Alias sequimur scriptum, & solius Principis est, duram legem mollire interpretatione. *l. 9. C. de legibus.* sicut duritiem legis Iuliæ tandem moderati sunt Imperatores. *l. quamuis adulterij* 30. C. *ad L. Iul. de adult. Cuiac. in Recitat.*

Ad Leg 91. De successione.

QVoties duplici iure defertur alicui successio, repudiato nouo iure, quod ante defertur, superetit vetus.

Duplici] puta querela inofficiosi (quæ ex Iure veteri, *secundum Viglium & Cuiacium*) & bonorum possessione, vnde Legitimi. *v. Cuiac.* 8. *obs.* 33. *adde l.* 17. §. 1. *sup. de acquir. hered. l.* 1. §. 11. *sup. de successorio. l.* 2. *sup. vnde legitimi. Gothof.*

Defertur.] Vel eodem tempore, vel successiue. *vide Decium hic.*

Alicui] puta parenti *Cuiac. ibid.*

Repudiato nouo] ac particulari, scil. alias semel repudiata successione, omnibus eius viribus renunciatum videtur, *arg. l.* 13. §. 2. § 3. *sup. de iniur. l.* 7. *supr. de accept.* Sed noui iuris vocabulo hic intelligi satius est, nouas caussas succe-

dendi. *l.* 17. §. 1. *sup. de acquirenda hæredit. Gothofr.*

Supererit] Quando vni competunt plura iura, variis temporibus præsertim, & variis de causis: vno repudiato alterum superest. *vt hic & l.* 21. § *de seruit. vrb. præd. & l.* 17. § *de aqua pluv.* imo non superest. *l.* 75. *sup. eod. l.* 17. §. 1. *l.* 77. *sup. de acquir. hæred.* solue. Nõ superest, si repudiata ipsa sit hæreditas, causa non adiecta, vel si repudiatur vnum, ex quo aliud necessario dependet. *v. notata Gothof. ad l.* 77.

Male Bulgarus, Ioan. & Accurs. exemplum ponunt in suis hæredibus, vel agnatis siue legitimis, quibus successio defertur ab intestato, iure ciuili & Prætorio, delata possessione, vnde Legitimi: quod est ius nouum: quo repudiato, non prohibentur iure ciuili hæreditatem adire. Fallacia est in eo sita, quod vtroque iure nouo &, veteri, nullo seruato ordine, defertur successio suis & agnatis, iure ciuili & prætorio. At regula desiderat exemplum, quo successio deferatur simul, non sine ordine, sed iure nouo & veteri. Cum igitur animaduerterent, non valere exemplum: modo interpretantur, *quod ante defertur*, hoc est, quod deferebatur, iure nouo nondum introducto, quod falsum est. Nam apparet, ius nouum deferre, antequam ius vetus, & superato iure nouo, superesse ius vetus; nam fit comparatio iuris veteris cum nouo. Sed

uo. Sed in illo exemplo non perstant, & ita faciunt: Testamento hæres scriptus est, qui ab intestato hæres futurus erat; repudiato testamento, potest legitimam hæreditatem amplecti, verum tenebitur edicto, *Si quis omissa causa testamenti*: & inquiunt, si ius testamenti est nouum, ius intestati est vetus: & testamenti ius nouum defertur prius quam vetus. In quo exemplo duo sunt vitia. Nam intestati ius non est vetustius iure testamenti: vtrumq; ius est 12. tabularum. Regula loquitur de eo, cui successio defertur duplici iure. Non autem defertur duplici iure, si legitimus hæres testamento scribatur hæres, quoniam, quamdiu adiri potest hæreditas ex testamento, non aditur ab intestato: sed repudiatur prius testamentum, quam deferatur ab intestato. Regula quærit exemplum, quo simul duplici iure quæratur successio, seruato tamen ordine. Duo exempla referam. Primum erit de patre testamento filii præterito, quem pater emancipauerat, cui præterito datur querela testamenti inofficiosi. Ideo pater, qui acturus est querela, debet agnoscere bonorum possessionem, vnde legitimi, ordinandæ litis causa: quoniam facto filio intestato, amplectitur hæreditatem ex bonorum possessione, vnde legitimi. Ergo patri datur querela *l. pater*. 14. *de inof. testam. l.* 1. §. *vlt. si à patre quis manumiss.* Ergo patri præterito iure duplici

plici post mortem filii defertur hæreditas, id est, ex possessione contra tab. tum ex edicto, vnde legitimi: quam potest agnoscere, querelæ & liti de inofficioso testamento ordinandæ gratiâ. Querela est ius antiquum: bonorum possessio contra tabulas est ius nouum. Sed hoc ius nouum defertur prius, quam querela, quæ bonorum possessioni, vnde legitimi, locum facit. Ergo repudiato hoc iure, quod ante defertur, superest ius vetus, hoc est, querela siue bonorum possessio, quæ quidem post defertur. Alterum exemplum est ex SCto Orficiano & Tertulliano, quæ sunt iura noua. *l. tutelas 7 de capite minut.* Ex iis Senatusconsultis defertur hæreditas matri & cognatis, & defertur vt legitimis. Ideo datur bonorum possessio, vnde legitimi. *l 2. §. vlt. vnde legitimi. Cuiac. in Recit.*

Ad Leg. 92. De errore librarii in transcribendo.

SI librarius in transcribendis stipulationis verbis errasset, nihil nocere, quominus & reus & fideiussor tenerentur.

Si] forte *ex l. 54. de manumiss. testament.* nam hîc erratum esse videtur.

Librarius] *l. 15. §. 1. sup de vsufr. l. 15. §. 5. sup. de excusation. tut. l. 7. §. 5. sup. de oper. libert. Horat. de arte.*

arte.2.Et ſcriptor ſi peccat, idem librarius, vſq;. Quamuis eſt monitus veniâ caret. Librarios Græci καλλιγράφους: notarios ταχυγράφους, ὀξυγράφους. Hi notas, illi literas: vt tabularii rationum ſupputationem tractabant. *Gothofr.*

Stipulationis] inſtrumenti, *l.8.ſup. de ſtatul.* teſtamenti.*v.l.7.C.de teſtam.*precum.*v.l.2.C.de errore aduoc.*contractus. *l.1.C.plus valere quod agitur.*

Erraſſet] citra dolum & falſum, idque in ſermone, veluti ſi ſcripſerit, relictum iure reſtitutionis pro inſtitutionis: mulierem renunciaſſe Valeriano pro Velleiano. Titium ſubſtitutum procuratorem, pro inſtitutum. In his notarius commiſſum errorem corrigere poteſt, cum talis emendatio neminem lædat. Addit Bartolus, ei permiſſum, indictionem & diem omiſſum adiicere, niſi dies eſſet de ſubſtantia inſtrumenti, vt in hypotheca. Si diem permutauit, talem errorem corrigere non poteſt, niſi de errore teſtibus conſtet. Si inſtrumentum parti traditum eſt, requiritur ſententia Iudicis in errore mutando. Error probari poteſt authentico, teſtibus, & partium confeſſione.*v. Decium hic, Gothof.* Error librarii non vitiat ſtipulationem. Librarii, hoc eſt, ſcriptoris, tabellionis Error etiam ſcriptoris eadem ratione non vitiat teſtamentum. *l.errore 7. C. de teſtament.*non vitiat preces. *l.2. Cod.de error. aduoc.*

Summa tituli est: Error aduocati non nocet litigatori absenti, præsenti nocet. Error quoque eius, qui libellum conscripsit, litigatori non nocet, non lædit statum personarum, *l. Imperator 8. de stat. hom.* Generaliter, in iudiciis veritas rerum erroribus actorum non vitiatur. *l. illicitas. 6. §. veritas. 1. de offic. præsid. Cuiac. in Recit.*

Ad Leg. 93. De possessione rei peculiaris.

Filiusfam. neque retinere, neque recuperare, neq; adipisci possessionem rei peculiaris videtur.

Filiusfam.] Coniunge *l. 18. de castrensi peculio.*

Neque] id est, filiofam. interdicta ad retinendam, recuperandam, adipiscendam possessionem non competunt.

Videtur] Nam interdicta dantur pro possessione: filius autem quicquid apprehendit, peculiari nomine, statim pater eius possidet. *l. 4. sup. de acquir. possess.*

Tria sunt genera: adipiscendæ, retinendæ, & recuperandæ possessionis, quæ filiusfam. habet ignorans, si cum sit eiectus de possessione fundi peculiaris, & ignorauerit parens, videtur ei nihilominus quæsitum ius, vnde vi, *l. 1. §. quod seruus. 22. de vi & vi arm.* Nam patri ignoranti acquiritur per filium possessio. *l. Labeo. 8. de vsucap.*

ſucap. Sic filiusf. non poteſt vſucapere, ſed pater poteſt per filium. *l.* 4. §. 1. *de vſucap. Cuiac. in Recit.*

Ad Leg. 94. De his quæ abundant.

NOn ſolent quæ abundant vitiare ſcripturas.

Abundant] *l.65.ſup.de verb.oblig.l.*32.§.6.*ſup. de auro.adde leg.* 81. *ſup. eod.* & *cap.vtile per inutile.*36.*de reg.in* 6.*l.*20.*ſupr.de vſur.l.*34.*ſupr. de hæred. inſtit.l.*34.*ſupr.de manumiſſ. teſtamento.l.* 17.*C.de teſtam.l.*34. *C. de donat. Auguſt.*4. *de ciuitate* 27. Solet enim à viris peritis dici,ſuperflua non nocent.*Gothof.* Vulgo dici ſolet, falſa demonſtratio non vitiat legatum: vt ſi in legato dixero: ſeruum vernam Stichum : etiamſi non ſit verna ſed pretio comparatus, hoc non vitiat legatũ.*v.l.*1.§.*ſi quis vxori* 8. *de dote prælegata.*quæ inquit : Quod rei ſatis demonſtratæ adiicitur, fruſtra eſt.*Cuiac.in Recit.*

Ad Leg. 95. De eo qui defenditur.

NEmo dubitat, ſoluendo videri eum, qui defenditur.

Defenditur] qui fideiuſſores habet. *l.* 1. *ſup. qui ſatiſd.l.* 53. *ſup. de procurat. l.* 27. §. 2. *ſupr. de fideiuſſ. l.* 1. *ſup. de cuſtod. reor. leg.* 6. §. 1. *ſup. de munerib.*& ita quis ſoluendo eſt per alium. Soluendo eſt etiam, qui ſolidum poteſt ſoluere *v.*

l. 114. *sup. de verb. signif.* qui rei petitæ instar, ab actore, potest consequi *l.* 28. *sup. soluto*: non is, cuius bona venduntur. *l.* 55. *in fin. sup. de admi-nist. tut. Goth.* Huius regulæ effectus est: Fidei-commissi vel crediti causa non distrahi bona eius, qui defenditur vel per se, vel per alium. Vnde titulus, *Ex quibus causis, in possess. eatur.* *Et tit. de rebus authorit. iudic. possid. Cuiac. in Recitat.*

Ad Leg. 96. De ambiguis orationibus.

IN ambiguis orationibus maxime sententia spectanda est eius, qui protulisset.

Sententia] adde *l.* 219. *sup. de verb. signif.*

Eius] 2. *Eclog.* 3. *c.* 94. *adde cap. intelligentia* 6. *ext. de verb. sign.* puta principis legem ferentis. *l. vlt. C. de legib.* populi aliquid statuentis. *l.* 46. *sup. de re iudic. l.* 4. §. 1. *sup. de acceptilationibus.* Prætoris. *l.* 9. *sup. de præt. stipul.* testatoris. *l.* 69. *sup. de leg.* 3. stipulatoris. *l.* 94. *sup. de verb. oblig.* at non venditoris & locatoris. *l.* 39. *sup. de pact. l.* 21. *l.* 33. *in fin. l.* 134. *supr. de contrahenda empt. Gothofr.*

Huius regulæ est frequens vsus in materia testamentorum. *l. ex facto*, 19. *de hæred. instit.* & est ex libris fideicommissorum. Exemplũ est *in l. Sempronius* 26. *de vsu, & vsufr. legato.* Sciendum est, Vsumfructum finiri morte vsufructuarii, finitum ita reuerti ad proprietarium.

Spe-

Species eſt: Teſtator ab hærede per fideicommiſſum reliquit fundum Titio poſt decennium, deducto vſufructu. Ergo ex die reliquit vſumfructum. Fideicommiſſi dies cedit ſtatim, licet non petatur ante decennium, neque peti poſſit. Igitur ſtatim debetur fideicommiſſum. Ideo ſi fideicommiſſarius moriatur ante decennium, tranſmittit fideicommiſſum in hæredem ſuum. At finge, Fideicommiſſarius non eſt mortuus intra decennium, ſed hæres: quæritur, poſt decennium an hæredis hæres cogatur præſtare Titio plenum fundum, an vero poſſit deducere vſumfructum? Res ambigua eſt, & dubius videtur eſſe ſermo. Et videtur 1. plenum fundum præſtandum eſſe ab hærede hæredis non deducto vſufructu. Nam hæres primus iam debere id cæperat; dies enim ceſſerat. Ergo morte primi hæredis finitur vſusfructus. Quod ſi ita eſt, ab hærede hæredis non detrahitur vſusfructus: ſed plenus fructus ſolidaque proprietas eſt preſtanda. Contra, non videtur finitus vſusfructus morte hæredis, quia nondum fuit. Nec enim ante eſt vſusfructus, quam fundum præſtiterit, eo deducto, cum retineat ſemper pleno iure; quia dies nondum venerat. Non potes ergo dicere, finitum vſumfructum morte hæredis: imo dicemus, vſumfructum incipere ab hærede hæredis, & ab eo quoque finiri: ab hærede

primo

primo non incepisse. Ergo hæres hæredis non præstabit plenum fundum, sed deducet vsumfructum. Idem dicemus, si sub conditione legatus aut relictus est fundus. Nam, si pendente conditione moriatur hæres, & postea exiltat conditio, hæres hæredis deducet vsumfructum; non tamen finitus videtur in persona primi hæredis. Est igitur quæstio nostra; vtra opinio sit verior? Lex ait, has subtilitates esse prætermittendas; sed sententia testatoris quæ fuerit, videndum est. Sententia testatoris inducit priorem opinionem, quę sententia mens vera est. Nam voluit detrahi vsumfructum, qui cohæret personæ hæredis sui: legauit igitur fundum deducto vsufructu, & finitum eum voluit redire ad fideicommissarium: si hæres vsumfructum habere cœpisset, in hæredem suum non transmisisset. Ergo etiamsi nondum habere cœpit, ideoque hæres hæredis plenum fundum præstabit. Sic igitur in testamentis maxime spectanda testatoris mens: non ita in contractibus, vt apparet ex *l. inter.* 33. *de auro & arg. l. & l. si mihi & Titio* 110. §. *vlt. de verborum oblig.* Multum itaque distant contractus à testamentis; distant etiam contractus à Iudiciis vel actionibus. Nam in iudiciis spectamus, quid actor senserit. *l. inter* 83. §. 1. *de verb. oblig.* Contractus constant ex consensu duorum, actio est vnius. *l. continuus* 137. §. 1. *eod.* In contracti-

tractibus, si ambigua sit contrahentis oratio, sequimur quod vtilius est promissori, &c. exempla sunt *in l. Labeo 21. l. si in emptione 34. l. cum in leg. 33. de contrah. empt. l. si arbor 17. §. hæc lex 3. de seruit. vrb. præd.* & in actibus ambiguis sequimur q est vtilius actori, alioqui nullus esset litium exitus *l. in contrahenda inf. hoc tit.* In contrahenda venditione ambigua lex contra venditorem est interpretanda; ad quam tamen regulam descendendum statim non est. Nam prius spectandum, quid actum sit inter contrahentes, & quid sit verisimile illos contraxisse? *l. Insulam 13. qui pot. in pign. l. in leg. 29. l. ea lege 51. locati* deinde spectatur id, quo res, de qua agitur, valeat, *l. 80. de verb. oblig.* quorum omnium si ratio nulla inuestigari possit; sequimur quod inutilius est venditori aut locatori, quod aperte legem non dixit. *Cui. in Recit.*

Ad Leg. 97. De bonis deportati.

EA sola deportationis sententia aufert, quæ ad Fiscum perueniunt.

Deportationis] adde *l. 8. C. de pœnis l. 1. §. 1. sup. de Iure Fisci.*

Ad fiscum] *l. 1. §. 1. sup. de iure Fisci.*

Sententia est: Pœna deportationis aufert bona liberis, & id sententia sola: nam deportationem sequitur tacite publicatio bonorum, & vt recte ait *l. vlt. C. de sent. pass.* ipsum per se depor-

deportationis nomen bonorum spoliatio est: qua in re distat à relegatione. Igitur sententia aufert bona liberis. Hodie non aufert, ex Nouella, *vt nulli Iudicum*, &c. §. *vlt. collat.* 9. Non aufert autem ius agnationis, aut consanguinitatis. *l. vlt. C. vnde legitimi. l.* 8. *de interdict. & releg.* nam hæc non possunt ad Fiscum transire. Quæ liberi habent à deportato patre, ea aufert Fiscus: quæ vero à maioribus habent, à genere ipso & gente, vt iura cognationis, non aufert. Itaque sententia deportationis ea sola aufert, quæ ad Fiscum transeunt: ius agnationis non transit ad Fiscum. *Cui. in Recit.*

Ad Leg. 98. De Lucro.

QVoties in vtriusque causa lucri ratio vertitur, is præferendus est, cuius in lucro causa tempore præcedit.

Cuius] in lucro. *Haloan.* cuius lucro *vulgat.*

In lucro] alias petitoris deterior esset causa. *l.* 33. *sup. eodem.*

Pracedit] occupantis ac prioris melior conditio. *l.* 9. §. 3. *sup. de publiciana. l.* 10. *in fine sup. de peculio l.* 31. *in fine sup. de action. empti. l.* 33. *in fine sup. de legatis* 1. *l.* 19. *in princ. & fin. sup. de re iudic.* & ita prior tempore, in causa lucri præfertur. *c. Qui prior est tempore* 54. *de reg. in* 6. *vbi vide Dynum.* prior tempore, prior iure. *l.* 3. *C. qui*

qui potiores. prior tempore in sorte, prior in vsuris. *l.* 18. *sup. qui potiores. G th.*

In *l. Nemo prædo* 126. *inf. hoc tit.* de qua *in l.* 33. *sup. hoc tit.* dixi, ICtus ait: Cum de lucro duorum quæritur, potiorem esse possessorem. In hac l. potior est, qui rem accepit prior. Fieri potest, vt, qui prius initio rem accepit, nunc eam non possideat, cum agitur de eo inter plures. Cum igitur vna lex dicat, Potiorem esse possessorem: altera vero, eum qui accepit, & cui res tradita est, pugnare inter se videntur. Pone exemplum in duobus donatariis, quibus res aliqua donata est, diuersis temporibus. Si donata est duobus à diuersis, vt mihi ab vno, tibi ab alio donata est, possessoris conditio melior est. Nam in pari causa possessor potior est, & par est causa, cum vterque à non domino accepit: nec dispar est causa propter rationem temporis, quod vnus prius acceperit, quam alter: quia tum demum ratio temporis spectatur, cum ab eodem domino acceperunt. Igitur si donatarii à diuersis non dominis acceperint, melior est causa possessoris: si igitur ab eodem non domino separatim acceperint, prior potior est; & id seruatur in emptoribus. *l.* 9. §. *si duobus de Public. in rem act.* Idem est in actione hypothecaria, si ea inter se agant duo creditores, quibus res aliqua pignori, diuersis temporibus est obligata.

Nam

Nam si à diuersis non dominis acceperint pignori diuersis temporibus & contractibus, is potior est, qui pignori accepit prior. *l. si non dominus* 14. *qui pot. in pig.* sed his quę de emptione *& d. leg.* 9. diximus, obstat *l. si ea res* 31. *de act. empti.* quæ l. duobus em[p]tibus eandem rem separatis contractibus, priorem potiorem facit indistincte, hoc est, siue ab vno non domino, siue ab alio atque alio emerint, semper prior potior est, hoc est qui prior accepit. Resp. cum duo rem eandem emerint separato contractu, neutro rem possidente, si agatur aduersus extraneum rem possidentem, prior potior est, non qui prius emit, sed qui prius rem accepit. At vno ex iis possidente, cum agunt inter se, modo possessor, modo prior potior est, secundum id, quod supra dixi. Sed in specie *l. si ea res* 31. neuter possidet: in ea igitur non vtimur distinctione. Et hæc ita esse diximus, cum duo emunt à non dominis, vel pignori accipiunt: quod si pignori accipiant rem à non domino, diuersis temporibus, separatis contractibus, ex causa venditionis & locationis, tunc siue agant inter se, siue contra extraneum, possessor prior est: prior potior est, hoc est, cui priori res tradita est. *l. quoties* 15. *C. de rei vind.* Idem est, si duo à non domino rem eandem accipiant pignori diuersis temporibus. Nam præfertur, qui prius accepit. Quod ita dico; diuersis tempori-

poribus. Nam ſecus, ſi non diuerſis temporibus, ſed ſimul accipiant. Nam tunc cum omnes agunt in ſolidum aduerſus extraneum actione hypothecaria, inter eos poſſeſſor melior eſt. *l.* 1. §. 1. *de interdict. Saluian. l. ſi debitor* 10. *de pignor.* ſed explicemus *l. quoties* 15. *C. de rei vindic.* Species eſt, Duobus diuerſis contractibus & diuerſis temporibus res vendita eſt iure, hoc eſt, à domino; qui tamen eo nomine coërcetur pœna falſi. *l. qui duobus* 21. *ad L. Corn. de falſ.* Iam *in d. leg. quoties* 15. quæritur, vter emtor potior ſit? item quæri poteſt, ſi duobus eadem res diuerſis temporibus à non domino ſit donata; vter ſit potior in rei vindicatione? Lex ait, vtrique rem eſſe venditam & traditam, vel eodem genere traditionis, vel alio atque alio: potior eſt is, cui priori tradita fuit. Sed prior emptor habet electionem, vt ſi rem prius traditam adhuc poſſideat; ſi modo pretium ſoluerit venditori; alioqui traditio non ſuſtulit damnum. *l. quod vendidi* 19. *de contrah. empt.* Ergo traditio illa priori non ſufficit, niſi damnum tranſtulero. Quamobrem exigitur prior emptor, hoc eſt, qui prius rem emptam acceperit, & pretium ſoluerit. Non eſt neceſſe, vt huic emptori traditi ſint tituli, hoc eſt, vt venditor ei tradiderit inſtrumenta, quo genere ſit traditio rei. *l.* 1. *C. de donat.* Sed ſi alio iure res fuerit tradita emptori, fruſtra exigitur datio

P inſtru-

instrumentorum. Ergo si emptor qui possidet rem aduersus alium emptorem, & nolit restituere possessionem, debet ostendere, rem sibi prius traditam esse, & se pretium soluisse, ideoque dominium acquisiuisse, datio instrumentorum non exigitur: vel etiam hic emptor, si velit, non retinebit possessionem, sed accipiet pretium ab alio emptore cum vsuris, habita ratione fructuum & sumptuum, hoc est, meliorationum. Nam forte emptor qui rem traditam prius accepit, magnos sumptus fecit, vel meliorem rem fecit: itaque fructus cum melioratione & vsuris compensantur. Igitur hic emptor hanc electionem habet, vt vel rem retineat, vel pretium accipiat de vsuris. Si nunc idem emptor rem non possideat, vel rei vindicatione rem ab alio vindicabit, vel sibi cum vsuris pecuniam accipiet, habitis rationibus fructuum & sumptuum. Græci apud Harmenop. *lib.3. Epit.tit.3.* aliud exemplum ponunt, Duo sunt creditores vsurarii, quibus sors est soluta, at vsuræ non sunt solutæ: debitor vtrique non est soluendo, & habet tantum vnde vni soluat, Cui igitur prius soluetur? Resp. Quoties duobus quid debetur ex simili causa, meliorem esse dico causam eius, qui prior occupauerit agere, hoc est, qui festinauit vsuras ex gere. *l. inter eos 19. de re iudic.* Prior erit qui sibi vigilauit, & ius vigilantibus scriptum est;

non

non autem qui prior cum debitore contraxit. *Cuiac. in Recit.*

Ad Leg. 99. De eo qui ignorat quantum ſoluere debeat.

NOn poteſt improbus videri, qui ignorat, quantum ſoluere debeat.

Qui] is enim dolo caret. *l. 42. l. 63. l. 88. ſupr. eod.*

Quæ ad hanc l. pertinent, dicta ſunt *ſupr. in l. 63.*

Ad Leg. 100. Quibus modis contractus vel obligatio tollitur.

OMnia, quæ iure contrahuntur, contrario iure pereunt.

Contrario] *2. Eclog. 3. c. 98. v. l. 35. ſupr. eod. l. 153. infr. eod. v. l. 80 ſup. de ſolutionib.*

Vide quæ notata ſunt *ſup. ad l. 35. & infr. ad l. 153.* quæ adiicit, quibus modis quid acquiritur, his etiam modis in contrarium actis amittitur. *l. quemadmodum 8. de acquir. vel amit. poſſeſſ.* Sed particulam FERE appoſuit propter poſſeſſionem. Quoniam verum eſt, poſſeſſionem corpore non ſolo acquiri, ſed exigi etiam animum. Verum etiam, corpore ſolo non amitti, cum poſsit retineri ſolo animo. *l. quamuis 46. de acquir. poſſeſſ.* ſed animo ſolo amitti. Igitur non,

quibus modis acquiritur possessio, omnino amittitur. Nam acquiritur corpore & animo; solo corpore non amittitur, sed solo animo, etiamsi quis de fundo non discedat. *l.3.§. in amittenda. de acquir. poss.* Et *in d.l.3.* Bulgari sententia est: si à corpore incipit, non corpore amitti, sed corpore & animo: si ab animo incipit, solo animo amitti. Et Placentin. hanc sententiam valde notat, & omnes Græci apud Harmen. *lib.2. Epit.* Bulgarus, hac ratione additam particulam FERE dicit, ad distinguendum acquisitionem & amisionem possessionis. Ioannes vero; quia, inquit, alius modus liberationis esse potest. Cui non assentior, quia nec ipse in ea sententia perseuerat. Postea enim dicit, FERE ideo adiici, quia pignus nudo pacto contrahitur; nudo pacto non dissoluitur, idque verum quidem est, sed non potest adaptari ad *d.l. fere.* Duo sunt pignoris genera, pignus & hypotheca: Pignus est contractus; hypotheca pactum. Pignus est contractus re, & re eadem soluitur. Hypotheca pacto constituitur, efficitque actionem vtilem. Sed quemadmodum locum habet pactum in producenda & efficienda hypothecaria actione, ita locum non habet in tollenda. *l. si tibi 17. de pignor. l.2. de pact.* quia Prætor vtramque vim pacto non dedit. Cur pactum producit hypothecariam actionem? Quia Prætor hanc vim pacto dedit.

Cæte-

Cæterum hæc regula non eſt de pacto, ſed de contractu. Non probo etiam, quod Bulgarus ait de articulo FERE, quia, *inquit*, omnis obligatio verbis poteſt tolli, aut ipſo iure, aut per exceptionem: fateor imprimis, omnem obligationem poſſe tolli exceptione pacti: ſed de hoc genere tollendi non tractamus. Neque hoc proprie eſt tollere, ſed elidere. Nego autem omnem obligationem verbis tolli poſſe ipſo iure. Nam ſola obligatio verborum verbis tollitur: ſed ſola verborum obligatio, non ſolum erat ſtipulatio, ſed & doli promiſsio. Dic igitur, ſolam verborum obligationem verbis tolli. *l. & per iusiurandum,* 13. *de acceptil.* Verum omnis obligatio nouari poteſt in ſtipulationẽ deducta Aquilianam, & deinde acceptilationem tolli verbis. Sic non omnis obligatio tollitur verbis, ſed ſtipulatio vel obligatio nouata per ſtipulationem Aquilianam. Non probo etiam quod Accurſ. ait, *in d.l. fere*, cur adiecta ſit particula FERE, quia hæ regulæ ſunt de obligatione ex contractu, quod obligatio ex delicto contrario modo non ſoluitur. Tolluntur enim pœnæ ſolutione, aliæ pacto & iureiurando & diſsimulatione: contrario ſenſu ſiue actu nulla tollitur, imo & reſtitutio rei nõ liberat, vt reſtitutio rei furtiuæ non liberat ab actione furti. *l. pen. de vi bon. rapt. act.* Itaq; harum obligationũ longe alia erit conditio. Ergo aſ-

go assentiendum iis, qui ratione possessionis adiectum FERE dicunt. *Cui. in Recit.*

Ad Leg. 101. De duobus mensibus.

VBi lex duorum mensium fecit mētionem, & qui sexagesimo & primo die venerit, audiendus est: ita enim & Imperator Antoninus cum diuo patre suo rescripsit.

Vbi] Vt in dilationibus, *l. vnic. C. Theod. de dilation. ex consensu lib. 11. tit.* 33. compensatione Fisco facienda, *l.* 46. §. 4. *sup. de iure fisci.* & aliis. De duobus mensibus *vide Nouell.* 66. *c.* 1. *& ibi not. Gothofredi.*

Sexagesimo] Sexagesimo die, sic Græci, καὶ ἑξήκοντα ἡμέρας ἄν τι τούτων προσδέξαιντο. *Sic in l.* 30. *in fin. supr. de adult.* ipse sexagesimus dies comprehenditur, idque probat Cuiacius, *c.* 13. *de præscript. adde l.* 132. *supr. de verb. sig. Gothfr.*

Antoninus.] Caracalla scil.

Diuo Patre] L. Septimo Seuero scil. quo Imperatore vixit author huius legis, Paulus, coætaneus Mæcii & Triphonini & Tertulliani. *vide Cuiac.* 7. *obseru.* 2. vulgata legit, fratre, & male. *Gothofr.* Lex ait: Eum qui compensatione vtitur aduersus Fiscum, debere probare causam compensationis intra duos menses. Sic duorum mensium mentio fit *in l. tutor* 7. §. *vsuræ* 11. *de adminis. tut. l. aufertur* 46. §. *qui compensationem* 4. *de iure Fisci.* Hoc est ex lege aliqua. Nam

quoties

quoties est certum tempus, necesse est, vt id lex aliqua præscripserit. *l. v t. qui sine manumiss.* In iure nostro menses non computantur ex initio Calendarum, sed ex numero dierum, & 30. dies pro mense. 60. pro duobus mensibus: 90. pro tribus. 270. pro nouem mensibus accipiuntur. *l. vlt. C. de iure dot. l. 3. §. vlt. de suis & legit. l. 7. C. Theod. de decur.* Vno tamen casu menses accipiuntur latius. In causa enim appellationum tres menses accipiuntur pro 93. diebus. *l. vlt. C. de temp. appellat.* Nunc dicitur: vbi lex duorum mensium facit mentionem, admittitur quis etiam sexagesimo primo die; quod videtur falsum, si mensem accipis pro 30. diebus. Tunc enim qui venit sexagesimo & primo die, venit post duos menses. Vel etiam si vis latius accipere menses, cur nō dicit, accipiendum in causis appellationum, qui venit sexagesimo primo die? Hoc enim vel illo modo menses sunt accipiendi semper. In libris Græcorum non legitur, & primo die, sed sexagesimo tantum, quod congruit cum *l. 30. ad l. Iul. de adult.* vbi sciendum est, diuortio facto mulierem accusari posse intra dies 60. iure mariti, vt præferatur cæteris, & non subscribat in crimen: post dies 60. est necessario subscribendum. Ait d. l. 30. sexaginta dies à diuortio numerantur, hoc est, duo menses: si venerit extremo die, admittetur. *Cuiac. in Recit.*

Ad Leg. 102. Qui aduersus edictum facere dicatur. 2. De actione deneganda.

QVi vetante Prætore fecit, hic aduersus edictum proprie fecisse dicitur. §. 1. Eius est actionem denegare, qui possit & dare.

Qui vetante] adde *leg.* 121. *inf. eod. l.* 29. *sup. de arbit.*

Aduersus edictum] eiusdem prætoris scilicet. *l.* 7. *in pr. &* §. 2. *sup. de iurisdict. l.* 4. §. 1. *sup. de in ius voc. l.* 2. *sup. ne quis eum l.* 3. *sup. de eo per quem. l. vlt. sup. ne quid in loco publ.* sic aduersus dictum promissumue facere. *l.* 17. *in fin. sup. de Ædilit. edicto.* In legem *l.* 5. *C. de legibus Goth.*

Denegare] qui potest denegare, dare potest *l.* 3. *l.* 38. *l.* 70. *l.* 100. *sup. eod.* Est quoddam interdictum, cuius est exceptio, quod aduersus edictum factum sit. *l. de pupillo* 5. §. *si quis forte* 4. *l. ædibus* 18. *l. prætor ait* 20. §. 1. *l. vlt. de noui oper. nunciat.* Hoc interdictum datur in eum, qui contra operis noui nunciationem fecit opus, & is tenetur interdicto illo, vt restituat. Nam interdictum illud est restitutorium, non tantum per operis noui nunciationem, sed etiam vetante prætore. *l. de pupillo* 5. §. *meminisse* 10. *eod.* cui si non parebitur, competit idem interdictum. *l. si opus* 16. *eod.*

Ad

Ad §. Eius eſt, actionem, &c.

Id referendum eſt ad formulam Edictorum, quibus Prętor pollicetur ſe actionem daturum. Ibi enim, vbi dicit; dabo, ſubintelligitur, vel denegabo. Nam eius eſt denegare, cuius etiam eſt dare, & eodem modo explicatur *l. nemo 37. ſup. h. tit.* quam referamus ad formulas iudiciorum, in quibus frequens eſt, *condemna*, & ibi ſupple: *vel abſolue. Cuiac. in Recitat. poſthum.*

Ad Leg. 103. Neminem de domo ſua extrahi.

NEmo de domo ſua extrahi debet.

De domo] *l. 18. l. 21. ſup. de in ius vocand. l. 4. §. 5. ſup. de damno 2. Eclog. 3. c.* 101.

Sua] in qua habitat ſcilicet non ad tempus, Bart. & Decius hic, quo nomine hortum domui iunctum intelligunt. Eadem ratione volunt, molitori molendinum domus eſſe loco, & nautæ nauem. Peckius *in lib. de Iure ſiſtendi c. 6. num.* 3. 4. *&* 5. at non tabernam & apothecam, & quæ mercium condendarum cauſa, non habitationis ædificantur. Idem in porticu ab ædibus ſeparata eſſe, iudicat idem Peckius *ibid. Gothofr.*

Extrahi] non poteſt etiam ibidem arreſtari. Peck. *ibid. d. numero* 3. poteſt tamen ſententia

iudicis quis prohiberi, ne domum excedat. *l.* 7. §. 8. §. 19. *l.* 9. *sup. de interdict. & releg. Goth.*

Debet] potest tamen extrahi in criminalibus causis *Nou* 134. *c.* 1. & fiscalibus Peckius *lib. de iure sistendi c.* 6. *num.* 8 sed & quando electus est ad aliquam dignitatem. *l.* 31. *C. de decurionib.* Quin huic priuilegio renunciari posse volunt, quod ei accidit, qui omni iuris auxilio renunciat. Peck. *ibi. nu.* 9. *Goth.*

Repetita est ex lib. 1. Pauli ad edictum, quo tractat de damno infecto. Ex eodem edicto vicinus, cuius ædes ruinosæ sunt, cauere debet, damni infecti, etsi non sit vicinus. Cauere autem debet in iure, hoc est, ad sellam Prætoris. Prætor iubet ei domum denunciari, vt caueat vicino. *l.* 4. §. *Prætor. de damno infecto.* non vero debet extrahi de domo: quod ad eundem modum tractauit Paulus *l.* 18. *de damno infect.* Ex Vlpiano vero constat *in l.* 4. eam denuntiationem vel fieri in personam, si domi suæ sit: vel si domo absit, eam fieri ad domum præconis voce, & libello postibus affixo. Quod etiam fit in plerisque aliis causis. *l.* 1. §. 1. *de agnosc. lib. l.* 5. §. 3. *quod vi aut clam. l.* 3. *de excusat. tut.* Adde *l. vim* 39. §. *nuptæ ad L. Iul. de adult.* Sic etiam denuntiatio siue citatio absentium reorum quæ fit per trinuncium, in *l. inter* 10. *de pub. iudic.* ea denunciatio potest fieri publice præconis voce, aut buccina, vt constat ex Plutarcho

tarcho in Gracchis. & ait, moris eſſe, vt ſi non veniat, qui eſt reus criminis, vocetur ad domum per buccinam. Sic denuntiatio teſtimonii, hoc eſt, quoties teſtes euocantur, ſi non poteſt fieri in perſona, fit ad domum teſtium ex L. XII. tab. in qua ita ſcriptum eſt; Cui teſtimonium defuerit, ternis diebus ob portam obuagulatum ito, hoc eſt, qui teſtes requirit, is per triduum teſtes euocet ob portam ad domum. Puto obuagulatum dici à boatu, quoties teſtes euocantur amplo boatu præconis. Feſtus vocat conuitium *de iniur.* Igitur obuagulatio eſt teſtium requiſitio, quæ fit magna voce. Sententia igitur legis eſt, vt is, qui teſtes requirit, per triduum eos euocare debeat ampla voce ad domum. *Cuiac. in Recitat. poſthum. oper.*

Ad Leg. 104. De iudiciis famoſis & pecuniariis.

SI in duabus actionibus, alibi ſumma maior, alibi infamia eſt: præponenda eſt cauſa exiſtimationis. Vbi autem æquiparantur famoſa iudicia, etſi ſummam imparem habent, pro paribus accipienda ſunt.

Infamia] *l. 36 ſup. de obligationib. v. l. 7. l. 97. ſup. de ſolution. l. 10. in fine ſup. de pœnis.*

Cauſa exiſtimationis] in pari cauſa, vt infamia vitetur *l. 4. §. 2. ſup. de ſuſpect.*

Æquiparantur] Hoc verbũ neutraliter accipit

cipit Sueton. *in Octauio. c.* 94. *Virgil. Eclog.* 5. *Cic. in Tuscul.* æquiparantur, vulgat. *Halo. Gothofr.*

Vulgo ab omnibus hæc ponitur species. Debitor ex pluribus causis soluit pecuniam creditori debitam, nec dixit, in quam causam soluerit. Quæritur, in quam soluta esse videatur? Si debuit ex causa famosa, vt tutela: & non famosa, vt mutuo: id videtur soluisse, quod debebat ex causa famosa. *l.* 7. *& l. cum ex pluribus* 97. *de solution.* Hæc species habet congruentem faciem huic regulæ. At in fine hæc lex definit, quæ iudicia sint maiora & minora, quæ non famosa. Quæ sunt de maiore summa, maiora esse dicit iis, quæ de minore. Famosa autem maiora sunt non famosis: etiamsi non famosa maiorem pecuniæ summam contineant, quia fama præstat omnibus diuitiis. Paria sunt famosa iudicia inter se, licet dispares sint summæ: quia id, quod caput est, spectatur. Caput autem est famæ causa. Iudicia autem famosa ea etiam paria sunt, quæ parem summam habent. Effectus autem regulæ est, vt liqueat in duabus actionibus, vtra earum præponenda sit alteri, idque scitu dignum est, propter iudiciorum ordinem. Minori enim actioni præponitur maior. *l. vlt. C. de ord. iudic.* Minor actio non mouetur, dum spectatur maior. *l. per minorem,* 54 *de iudic.* Quod hoc exemplo planum

num fiat: Petitio hæreditatis præfertur rei vindicationi, quia in res vniuerſas eſt actio. *l. ſi poſt litem de except.* Eadem ratione fundi vindicatio præponitur vindicationi ſeruitutis debitæ fundo. *l. in fundum de except.* Rei vindicatio præfertur communi diuidundo: petitio hæreditatis actioni familiæ erciſcundæ. *l. 1. famil. erciſc.* Ex diuerſo: Criminalis actio præfertur ciuili, licet ciuilis ſit de ſumma maiore. *d. l. vlt. C. de ordine iud.* quia capitis & famæ cauſa potior eſt omnibus cæteris. Ideoque criminalis cauſa ciuili præponitur ſemper, nec quicquam mutat diuerſitas ſummarum. Eadem ratione actio furti præponitur petitioni hæreditatis, & liberalis cauſa actioni furti: quia ſtatus hominis cauſa grauior eſt, quam ſit famæ & exiſtimationis. *l. pen. §. vlt. C. de ord. iudic.* Ita igitur fit comparatio actionum hoc modo. Quoties ſub eodem iudicio duæ concurrunt actiones, quæ eidem conpetunt, & communionem quandam inter ſe habent, adeo, vt vna præiudicium afferat alteri: præfertur ea, quæ eſt de ſumma maiore. Quoties duæ actiones ſunt famoſæ, licet ſint diuerſæ ſummæ, pro paribus accipiuntur, & vna non præponitur alteri. Quo argumento poſſumus vti ad refellendam ſpeciem, quam vulgo applicant huic regulæ, quæ propoſita eſt initio. Nam in cauſa ſolutionis, etiamſi omnia debita ſint ſimilia, vt ſi omnia

ſint ex cauſa famoſa, adhuc ſeruatur aliquis ordo. Nam qui ſoluit indefinite, creditore etiam accipiente indefinite, videtur ſoluiſſe vetuſtius debitum. *l.5. de ſolution. d.l.cum ex pluribus* 97. At quoties ſunt pares actiones, & quæritur de ordine iudiciorum, vna alteri non præponitur. *Cuia. in Recit. poſth. oper.*

Ad Leg.105. De cauſæ cognitione.

VBicunque cauſæ cognitio eſt, ibi Prætor deſideratur.

Vbicunque] ex prima parte, vti de iuriſdictione & poteſtate magiſtratuum. *Pac.*

Cauſæ cognitio] *l.71. ſup. eod. l.9. ſup. de offic. proconſ.* Cauſæ cognitio neceſſaria eſt, quoties cauſa ex iudicis officio & arbitrio definienda eſt *Gothofr.*

Prætor] quilibet magiſtratus, etiam is, cui mandata eſt iuriſdictio. *l.* 4. §. 4 *ſupr. de damno Gothofr.*

Vide quæ dicta ſunt *ſup. in l.*71.

Ad Leg.106. De libertate.

LIbertas inæſtimabilis res eſt.

Libertas] & patria poteſtas, *l.* 114. §. 8. *ſup. de leg.* 1. & liberum corpus, cuius nulla eſt æſtimatio. *l.3. ſup. ſi quadrupes l.* 1. §. 5. *l. vlt. in fin. ſup. de his qui deiecerunt. l.* 2. §. 2. *ſup. de L. Rhodia l.* 103. *ſup. de verb. oblig.* vt merito libero homini

mini ſublata ſit à Leone Nouella 59. facultas ſui ipſius vendendi *Goth.*

Inæſtimabilis] infinita *l.* 176. *inf. inf. eod.* ideo libertas ſummum pretium dicitur à Comico in Andria *act.* 1. *ſcen.* 1. nihil ea gratius ſeruo præſtari poteſt, *l.* 39. *in f. ſup. de fideicom. lib.* hinc qui liberum acquiſiuit, non eſt factus locupletior *l.* 126. §. 1. *inf. eod.*

Res eſt] ideoque ei admodum fauetur. *l.* 20. *ſup. eod. l.* 22. *inf. eod.*

Libertas inæſtimabilis eſt: hoc eſt, pecunia æſtimari, ſiue lui non poteſt, *vt ait l.* 9. §. *pen. de ſtatu lib.* Libertas neque minuitur, neque augetur pecunia. Qua de cauſa, ſi tibi ſeruum promiſi, & is perductus ſit ad libertatem, ſine facto meo, puta legis, aut Principis beneficio, obligatio extinguitur: quia res in obligationem deducta dari non poteſt. Eadem ratione libertates L. Ælia Sentia cohibentur, vt minor 25. annis non poſſit temere manumittere, niſi cauſa cognita. §. *vlt. Inſtit. quib. ex cauſ. manumit. non poſſ.* Sic *in leg. non eſt ſingulis* 176. *h. tit.* Infinita eſt (inquit ICTus) æſtimatio libertatis & neceſſitudinis. Exemplum pone ex *l.* 8. §. *ſi quis à procuratore Rem ratam hab.* Procurator nomine alieno facit controuerſiam ſtatus, hoc eſt eum, qui eſt in libertate, vocat in ſeruitutem: qui eſt procurator, cauere debet, Rem ratam dominum habiturum: cuius quæ-

ſtionis

stionis conclusio est; quanti ea res est, præstiturum procuratorem, nisi dominus ratum habuerit. Verum hoc casu melius est, certam summam comprehendere. Ratio quia libertatis æstimatio infinita. Idemque est; si procurator nomine alieno agat, aliquem non esse, nec fuisse filium, non esse patrem, non patronum, non vxorem, non maritum: melius est, vt procurator cauendo promittat certam summam. Et sic etiam in libertate fieri oportet. *Cuiac. in Recit. oper. posthum.*

Ad Leg. 107. De seruo.

CVm seruo nulla actio est.

Cum] *ex tract. de Iurisdictione.*

Actio] *v. l. 22. sup. eod. l. 6. l. 7. sup. de iudiciis v. tit. C. an seruus ex suo facto 2. Eclog. 3. c. 105. sed vide Cuiacium 9. obseru. 13. Goth.*

Hæc lex superius explicata satis est in *leg. 22. vbi vide.*

Ad Leg. 108. De Iudiciis pœnalibus.

FEre in omnibus pœnalibus iudiciis & ætati, & imprudentiæ succurritur.

Fere] *ex tit. de in ius vocando & tit. ne quis eum qui in ius voc.*

Ætati] 2. *Eclog.* 3. *c.* 106. *v. l.* 38. §. 7 *sup. de adult. l.* 16. §. 3. *in f. sup. de pœnis. Goth.*

Impru-

Imprudentiæ] *l.5.§.4.ſup.de obligat.l.vlt.ſup. de variis & extraordin. criminib.*

Succurritur] vt pœna remittatur. *l.8. ſup. de his, qui not. infam.* Male Accurſius ætatem pro ſenili accipit. Nam in pœnalibus actionibus ſeni non ſuccurritur; licet debeat mitius coërceri. Et conſtat, in iure noſtro, ætatem, cum abſolute pronunciatur, accipi pro ætate minoris 25. annis, vel impuberis. Differentia tamen eſt magna inter impuberes, & inter eos, qui puberes quidem ſunt, & tamen adhuc minores ſunt annis 25. Duodecim tabulæ iubent puberem verberari, & ita ſarciri damnum iubent, quod fecit: at ita de furto non tenetur impubes. Pubes tamen tenetur furti. Rurſus impuberi parcitur, ſi doli mali capax non ſit: puberi doli aut culpæ capaci, non parcitur; qualis eſt is, qui proximus eſt pubertati; ideo furti, bonorum raptorum, & damni iniuria dati, tenetur. *l.impuberem 23.de furt.* Huc pertinet *l.3. in pr. de ſepulch. viol.* Illius edicti verba ſunt: cum dolo malo violatum eſt ſepulchrum. Ea verba demonſtrant; eum tantum teneri, qui dolo malo ſepulchrum violauit: Si dolus abſit, ceſſabit pœna edicti. Ius iudiciumque edicti ſequitur perſonam. Ergo in pœnalibus iudiciis admodum impuberibus parcitur; puberibus nō, nec etiam pubertati proximis. Minoribus etiam 25. annis, in delictis, quæ veniunt

animi destinatione, non parcitur, vt in furto. *l. si ex causa 9. §. nunc videndum 2. l. auxilium. 37. de minorib.* Nam inquit *d. l. auxilium,* vtique in actionibus. Vtique, hoc est, maxime, *vt in d. l si ex causa, §. nunc videndum.* At in aliis causis pœnalibus, quæ sunt extra delicta, sæpe minoribus 25. annis parcitur. Mater, quæ filiis non petit tutorem, amittit successionem eorum. Excusatur autem, si minor fuerit annis 25. Nam ius forte ignorauit propter ætatem. Et si minor 25. annis falsum testamentum dixerit, in quo sibi legatum erat legatum, nec obtinuerit, legatum tamen consequetur, & venia ætati dabitur. *l. 5. §. ætati 9. de his quæ vt indign.* Sic si minor 25. annis filiofam. pecuniam credidit, non amittit creditum. Verisimile est enim scientem non fecisse contra Senatuscons. Macedonianum. Et generaliter: vbi non est delictum, sed iuris ignorantia, non læduntur minores 25. annis *l. regula 9. §. 1. de iur. & facti ignor.* Ait lex; ignorantiæ succurri, hoc est, imperitiæ & rusticitati. Quod si quis omnino imperitus homo album Prætoris corruperit, non tenetur. *l. si quis id quod. 7. de Iurisdict.* Idem est, si in ius vocatus aliquis rudis non venerit. *l. 2. si quis in ius voc. non ierit.* Imprudentiæ enim hoc loco succurritur. Sic etiam succurritur casui improuiso, vt imprudentiæ teli emissi. *l. aut factum. 16. §. euentus 8. de pœn.* Interdum non parcitur rusticita-

ſtricitati. *l.2. C. de in ius voc.* Si quis parentem vocauerit ſine venia, pœna propoſita eſt. Sed quid ſi ſtultus & rerum omnium ignorans; an tenebitur? Sic ſane. Nam nemo eſt adeo rudis, vt ignoret, parentes honoribus eſſe afficiendos & patronos. Sic in L. Aquil imperitia culpæ aſſignatur. *l.132. inf. hoc tit. quæ eſt ex l. idem iuris ad L. Aquil.* Medicus imperite ſecuit, Lege Aquilia tenetur. Igitur quod hæc regula ait: *In omnibus fere:* hic articulus, fere, refertur tum ad ætatem, tum ad imprudentiam. Nam & ætati & imprudentiæ interdum ſuccurritur, interdum non. *Cuiac. in Recit.*

Ad Leg. 109. De eo qui non prohibet.

NVllum crimen patitur is, qui non prohibet, cum prohibere (non) poteſt.

Nullum] *ex tit. de iis qui not. infam. v. l. liberorum & ſeq. eod. tit.*

Patitur] an hoc ſignificat, extra cauſam delicti eſſe, vt Ramus Præceptor meus interpretatur. *l.50. ſup. eod. l.1. ſup. de noxa*, an potius volentem nullam iniuriam pati? *l.34. C. de tranſact. Gothofr.*

Cum prohibere] *6. Harmen. 2.* cum prohibere poſſit, ὁ δυνάμενος κωλύσαι. 2. *Eclog. 3. c. 107.* hinc variæ ſententiæ naſcuntur. Qui cogitur, proprie non peccat. *l.15. ſup. de publicanis.* Qui patitur, cum poſſit iniuriam propulſare, de iniuria

Q 2 iuria

iuria queri non potest, *l.34.C.de transact.* Qui patitur alteri iniuriam inferri, cum eam prohibere possit, tenetur. *l.45.sup.ad L. Aquil.l.3.sup. de nox.act.l.24.§.6.sup.de damno. Gothof.*

Vide quæ dicta sunt *sup. ad Leg 50.*

Ad Leg.110. Plus vel minus. Expromissor alienæ rei. Pupillus. Verba non coniuncta. Mulieres.

IN eo, quod plus sit, semper inest & minus. §.1. Nemo alienæ rei expromissor idoneus videtur, nisi cum satisdatione. §.2. Pupillus pati non posse intelligitur. §.3. vbi verba coniuncta non sunt, sufficit, alterutrum esse factum. §.4. Mulieribus tunc succurrendum est, cum defendantur, non vt facilius calumnientur.

In eo] *l.21.sup.eod.l.27.§.5.sup.de pact. l.27.§.3.in fin.sup.de arbitris.l.9.sup. de in lit.iurand. l.9. §.3. supr.de hæred.instit. l.15. sup. de legatis. 1. l.3. §.5.sup.de adimend.l.3.§.6.sup.de statulib.l.1.§.4. sup.de verb.oblig.adde l.26. sup.eod. l.163.& 165. infr. eod. adde l.29.sup. de hæredibus instituend. Gothof.*

Inest] id est, continetur, vt, qui plus præstet, præstet & minus. At is, qui quid tenetur præstare, minus dando non liberatur. *l.120.& 202. sup.de verb.oblig.Gothof.*

Minus] non sequitur tamen, vt, cui viginti desunt,

desunt, desint decem, non sequitur quoque, vt fideiussor in maiorem summam datus quam debet principalis, teneatur saltem ratione minoris. *l.8.§.7.sup.de fideiuss.* vt qui decem locare existimet, Titio quinque condicere existimante, maneat actus in quinque. *l.52.sup.locati. Gothof.*

Nemo] aliud est in eo, qui causam nudæ absentiæ proponit, præsertim in criminalibus. *v.l.13.§.1.sup.de public.iudic.Gothof.*

Expromissor] etiam filius, cum is nihil possideat. *l.93.sup eod,* etiam procurator. *l.10.sup.iudicatum solu.l.vnica C.de satisdat.* etiam defensor, quantumuis possessor immobilium & diues. *Decius ex Bartoli sententia hic num. 2. Gothof.*

Nisi] *l.46.§.2. sup.de procurat.l.21. in fin.sup. quib.ex caus.maior. l.4.§.3.ꝰ quib.ex caus.in possess.l. 63.sup.de iudic. Gothof.*

Cum satisdatione] Cur ita? collige ex *l.166. infr.eod.*

Pati posse] sensus est, pupillum in iis, quibus patientia inducit consensum, non obligari. *l. 33.sup.pro socio.vt in l. 4.sup.locati.* scientiam eius non sufficere ad negotiationem. *l.3.in fin.supr. de tributoria.* & tamen iniuriam pati potest. *l.3. §.1.sup.de iniuriis. Gothof.*

Verba coniuncta] *l. 28.in fin.sup. de verb. signif.*

Sufficit] in alternatiuis sufficit, alterum impleri. *c. in alternatiuis* 70. *de reg. in* 6. *l.* 10. *in fi. sup. de iure dot. l.* 5. *sup. de condit. instit. l.* 13. §. 5. *supr. de reb. dub. l.* 78. *in fin. sup. de condit. & dem. l.* 44. *sup. de oblig. l.* 129. *in fin. sup. de verb. oblig. l.* 13. ꝰ *iudic. solui.* In copulatiua oratione omnes partes veras esse necesse est. *d. l.* 129. *l.* 5. *supr. de condit. instit. l.* 13. *sup. de reb. dub. Gothof.*

Mulieribus] & minoribus, in quibus malitia supplet ætatem. *l.* 3. *C. si minor se maiorem dix.* & quibus denique decipientibus non succurritur. *l.* 2. *C. si res aliena pignori.* mitius tamen mulier delinquens punitur. *l.* 1. *in fin. sup. de edendo. l.* 2. §. 31. *l.* 23. *l.* 30. *sup. ad Velleianum. l.* 18. *C. ad Vellei. l.* 1. *sup. de iuris & facti. l.* 38. §. 7. *sup. de adult. l.* 1. §. 10. *sup. ad Turpil.* 2. *Eclog.* 3. *c.* 118. §. 5. *Gothofr.*

Cum defendantur] defendant *Vulgat. Haloan.* defraudentur, *Pacius.* Inesse quid dicitur pluribus modis, vt in toto pars. *l.* 7. *de except. rei iudic. l. in toto* 113. *inf. h. t.* In maiore summa minor est. *l.* 1. §. *si stipulanti* 4. *de verb. oblig. l. si quis* 3. §. *si quis plus.* ꝰ *de adim. leg.* sic in contractu pactum inesse dicitur, cum adiectum est. *l.* 7. §. *quin imo. de pact.* Qua de causa, si quis adimat plus, quam legauit, ademptio valet: nam ademisse videtur, quod minus est. Item si quis promittat plus, quam stipulatione continetur, valet. Si quis plus petat, ne pro parte quidem valet

let ſtipulatio:cum tamen in eo, quod plus eſt, inſit minus. Si vero quis petierit fundum, & non obtinuerit, ſecundum hanc regulam partem fundi petere non poteſt. Eſt ergo & in toto pars *d.l.*7. Contra: ineſſe dicitur totum in partibus: propterea, quod totum non eſt ſine partibus. Et hoc modo iuriſdictio dicitur ineſſe in imperio mixto, quaſi totum in parte. *l.*3.*de iurisdictione*. Nam iuriſdictio totum eſt. Eius ſunt partes duæ: Iuriſdictio, & imperium mixtum. Contra; mixtum imperium dicitur ineſſe iuriſdictioni, ſicut pars in toto. *l.*1.§.*vlt.de offic. eius cui mand.* Alio etiam modo dicitur ineſſe ſpecies in genere. *l.ſemper ſpecialia* 147.*h.t.* vt in contractu ineſt mandatum, vel depoſitum. Contra etiam genus dicitur ineſſe in ſpecie: vt in agnatis dicuntur eſſe cognati. *l.pen.vnde legitimi.* Sed in cognatis non vtique ſunt agnati, hoc eſt, non quilibet agnati ſunt cognati. In empto dicitur ineſſe paratum, quod varia ſit paratio. *l. ſi quid earum* §.1.*de leg.*3. In parato contra non dicitur eſſe emptum, hoc eſt, non quodlibet paratum dicitur eſſe emptum. Genus ad probandam ſpeciem non valet: vt recte non conficies ita. *Eſt actio: ergo condictio.* Species tamen valet ad probandum genus. *Condictio eſt: ergo actio eſt.* Sic non valet, ſi dixeris: *Eſt cognatus: ergo agnatus.* Valet tamen hoc modo: *Eſt agnatus: ergo cognatus.* Sic Accurſ. *in l. vlt.de*

in integ. restit. Inesse etiam dicitur in materia forma. Inesse dicuntur in principe facultates subiectorum. Inesse etiam dicuntur propria: inesse etiam accidentia ex quadam parte. *Aristot. in Topic. lib. 1.*

Ad §. Nemo alienæ rei. 1.

Idoneus, hoc est, locuples. *sic in l. qui rem alienam* 166. *h. t.* Qui rem alienam defendit, nunquam locuples habetur. Ergo satisdatione eget, iudicatum solui. Non solet, qui est locuples, satisdare, vt Fiscus. *leg. 1. §. si fiscum. vt legat. nom. cau.* Igitur qui rem alienam defendit, non habetur pro locuplete, hoc est, satisdare debet: vt in hac etiam regula; *Nemo alienæ rei, &c.* Interdum vero expromissor pro defensore accipitur *in tit. de satisdat. Instit. in l. qui proprio* 46. §. *qui alium* 2. *de procur.* Nemo ergo recte defendit sine satisdatione. Hoc loco expromissor est, qui iudicium pro alio accipit, nouandi causa: vel etiam promittit pro alio, & ita in libris nostris accipitur sæpe. Et hic plane defensor est, qui in se transfert omnem litem. Eadem omnino regula constituit de procuratore, qui satisdare debet de rato, maxime si dubitetur de mandato. Non est enim procurator idoneus sine satisdatione, quod demonstrat *l. hac autem* 5. §. *vlt. quib. ex caus. in possess. eatur. & l. recte* 63. *de iudic.* Nam satisdatio exigitur plerun-

plerunque tantum ab eo, qui rem alienam non ſuam defendit.

Ad §. Pupillus. 2.

Pupillus vt non creditur nolle, nec velle ſine tutoris authoritate; ita etiam non creditur non nolle, aut non velle, quod eſt pati, vt in ſpecie *l. ſed no n ita de aqua pluu. arcend.* Pupilli nulla eſt voluntas, ne quidem tacita, de hoc diximus *l. 4. & 5. ſup.* Patitur quidem iniuriam & vim pupillus: ſed non patitur, hoc eſt, non exercet actionem animæ patibilem: non intelligitur quicquam velle, nec expreſſe, nec tacite.

Ad §. Vbi verba coniuncta. 3.

Vbi verba alternatiua ſunt, vt ſunt duæ conditiones non coniunctæ, alteram fieri vel impleri ſufficit: niſi cum verba non ſunt coniuncta; ſed pro conuinctis habentur. *l. 5. de condit. inſtit. leg. pupillus §. vlt. de condit. & dem.* Item ſi illud aut illud legetur, ſatis eſt alterum præſtare.

Ad §. Mulieribus. vlt.

Pertinet ad Velleianum *l. 2. de SCto Velleiano.* Ex hoc SCto mulieribus pro aliis intercedentibus ſuccurritur: ſed nō, ſi callide interuenerunt, ſi deceperunt creditores, ſi interuene-

runt, cùm creditores nescierunt, eas interuenisse: cuius rei sunt varia exempla. *Cuiac. in Recitat. posthum.*

Ad Leg. III. De pupillo: hærede: actionibus pœnalibus.

PVpillum, qui proximus pubertati sit, capacem esse & furandi, & iniuriæ faciendæ. §. I. In hæredem non solent actiones transire, quæ pœnales sunt ex maleficio, veluti furti, damni iniuriæ, vi bonorum raptorum, iniuriarum.

Qui proximus] In delictis proximus pubertati pro pubere habetur *v. l.* 23. *supr. de furt.* 2. *Eclog.* 3. *cap.* 109. *leg.* 14. *supr. de Silaniano*. At non in testamenti faciendi facultate. *Decius hic. Gothofr.*

Iniuriæ faciendæ] mitius tamen punitur. *l.* 108. *sup. eod. Gothofr.* Pacius addit Faciendæ, vocabulo, vocem constat.

In hæredem] *v. l.* 1. *sup. de priuat. delict.* §. I. *Instit. de perpet. v. l. vnic. C. ex delict. defuncti.*

Non solent] regulariter. Nam lite cum defuncto contestata transmittuntur *v. l.* 164. *inf. eod.* Multo magis si defuncto pœna ipso iure erat imposita, vt in *l.* 22. *sup. de Silaniano. l.* 14. *sup. de publicanis.* Tenetur etiam hæres ex eo, quod ad eum peruenit. *l.* 38. *sup. eod. l.* 5. *sup. de calum. l.* 26. *supr. de dolo.* & pœna defuncto imposita trans-

tranſmittitur in eius hæredes. *l.* 3. §. 5. *ſup. quod quiſque. Gothofr.*

Quæ pœnales] aliud in pecuniariis *l.* 22. *ſup. de Silaniano.* & condictione furtiua. *l.* 7. §. 2. *ſup. de cond. furt. Gothof.*

Veluti furti] *d.* §. 1. *Inſtit. de perpet. & tempor. act.*

Damni] *l.* 23. §. 8. *ſup. ad L. Aquiliam.*

Vi] *l.* 2. *in fin. ſup. vi bon rapt.*

Iniuriarum] *d.* §. 1. *Inſtit. de perp. & temp. act.*

Vide *ſup. in l.* 108. *item in l.* 38.

Ad Leg. 112. De actione non competente & exceptione.

NIhil intereſt, ipſo iure quis actionem non habeat, an per exceptionem infirmetur.

Per exceptionem] *l.* 13. 51. & 66. *ſup. eod. l.* 7. §. 8. *ſup. de dolo l.* 7. §. 14. *in f. ſup. quib. ex cauſ. in poſſeſſ. l.* 1. §. 10. *ſup. ad Turpil. Goth.*

Vide notata ſupra ad *Leg.* 13. & *inf. ad l.* 115.

Ad Leg. 113. De toto & parte.

IN toto & pars continetur.

In toto] totum in loco, vt vbique: in tempore, vt ſemper: in modo, cuius partes ſunt accidentales, vt poſſeſſio bonæ, malæ fidei, qualitatis, vt omnis, nullus, quilibet, centum: integrale, cuius partes eſſentiales integræ,

græ, vel homogeneæ, vt in aqua, aut heterogeneæ, vt partes totius compositi, totum quiddam efficiunt, vt ædificium, fundamenta, parietes, & tectum: totum vniuersale est vel personarum, vt ciuitas, collegium, ducatus, comitatus, regnum & similia: vel rerum, vt hæreditas, domus, grex, equitium, armentum: totum naturale vel artificiale, cui nulla pars naturalis aut artificialis deest. *Goth.*

Et pars] *l. 21. sup. eod. l. 147. sup. eod. l. 7. sup. de except. rei iudic. c. plus 35. c. in toto* 80. *de reg. in 6. Gothofr.*

Vide quæ proxime dicta sunt *ad l.* 110.

Ad Leg. 114. De obscuris.

IN obscuris inspici solet quod verisimilius est, aut quod plerunque fieri solet.

Inspici solet] quo gradu? voluntas prius spectatur, tum verisimilius, propria deinde verborum significatio, ab hac id quod minus est. Id si non apparet, actus iudicatur non valere. *v. Dynum ad c. 45. de reg. in 6. num. 5. Goth.* Pro solet, Pacius solere.

Quod verisimilius] verisimilius præsumitur. *c. inspicimus* 45. *de reg. in* 6. 2. *Eclog.* 3. *c.* 111. in dubio scilicet & iudicando, & litibus decidendis: quod sæpissime faciunt ICti, vt docet *Tiraq. in repet. legis si vnquam* 8. *C. de reuoc. donat. num.*

num.37.ad 60. Non veriſimile, credibile non eſt, nec attenditur: pro eo non præſumitur. *l. 13. ſup. quod metus l. 19. §. 4. ſup. de peculio l. 6. ſup. de pignorib. leg. 41. ſup. de manumiſſ. teſtam.* imaginem habet falſitatis. Veriſimile ducitur ex more, conſuetudine, iis quæ fieri ſolita ſunt frequentius, communi opinione, natura, qualitatibus rei, vel perſonis, tempore, de quib. vide Oldend. *in Topic. in loco, à coniectura ſeu præſumpt.* ſumitur etiam à pietate *l. 41. §. 2. in f. ſup. de leg. 3. l. 102. ſup. de condit. & demonſtrat. l. 30. C. de fideicom.* rerum inter ſe comparatione. *l. 1. ſup. de rebus dub.* & aliis coniecturis *l. 13. ſup. de prob. l. 50. in fin. ſup. de legatis 1. Goth.*

Variis modis obſcura deciduntur, vt ſup. expoſui. Inſpicitur quod eſt veriſimilius egiſſe contrahentes. *l. qui Inſulam qui pot. in pig.* Inſpicitur quod plerunque fieri ſolet. *l. pactum de probat.* & quod in ea regione frequentatur. *leg. ſemper in ſtipulationibus h. tit. Cuiac. in Recitat. poſthum.*

Ad Leg. 115. Qui videntur cepiſſe ſeu accepiſſe.

SI quis obligatione liberatus ſit, poteſt videri cepiſſe. §. 1. Non poteſt videri accepiſſe, qui ſtipulatus poteſt exceptione ſubmoueri.

Si] ex tit. *de calum.* Coniunge *l. 2. eod. tit.* quæ idem pene principium habet, *Pac.*

Obligatione] obligatione liberatus, cepiſſe intel-

intelligitur: dare videtur, qui debitum remittit. *l. 2. l. 3. sup. de calumniat. l. 10. in fin. sup. de condict. causa. l. 41. §. 2. sup de condict. causa l. 41. §. 2. sup. de iure dot. l. 3. §. 10. sup. de don. inter virum & vx. l. 81. §. 5. sup. de leg. 1.* non tamen litigiosum, pœnale & ob aliam causam. *l. 19. sup. de lib. causa. vid. Decium hic. Goth.*

Potest videri] vox, videri, nota est fictionis. Ideoque proprie aliud est dare, aliud remittere. *l. 46. sup. de cond. & demonstr. Goth.*

Cepisse] accepisse.

Exceptione] *l. 13. sup. eod. v. l. 112. sup. eod. l. 24. sup. de nouat. Goth.*

Duæ sunt huius L. sententiæ: in prima vtitur illo verbo Cepisse. Hoc ideo, quia in illo edicto de calumniatoribus vtimur promiscue his verbis, Cepisse, & accepisse; vt in edicto: si cui plus, quam per L. Falcid, &c. Et ad illud sunt referenda in *l. 71. tit. prox.* Aliud est capere, aliud accipere: quæ lex, quamuis hæc verba, capere & accipere, promiscue accipiantur in Edictis: tamen interea ostendit subtilem quandam differentiam: quæ est, vt capere sit cum effectu. Capio id, quod omnino mecum remansurum est. Accipio etiam, quod omnino sum restituturus. Sed hæc differentia, neque in eo seruatur edicto, neque in edicto de calumniatoribus. Est vero hæc sententia longe diuersa ab ea, quam affert Bulg. *h. l. 115.* Capitur

pitur vel ex nuda obligatione, vel ex vltima voluntate: accipitur ex pacto. Sententia falſa eſt. Et præterea in hac lege, aliud eſt capere, quod pertinet ad illud edictum, Si cui plus, quam per L. Falcid. Vltimo loco docet, quemadmodum ſint intelligenda verba, His PRÆSTARI RECTE, atque ita commode tota lex hæc ad edictum illud confertur. Hoc igitur colligamus ex his quæ dicta ſunt: Cepiſſe videri non tantum eum, qui rem habet, ſed & eum, qui habet actionem, ſiue exceptionem, remotionem; nam videtur rem ipſam habere. *l.15.h.tit.& ita l.ſi partem 19.quemadmodum ſeru. amit.* §.*ſi cui fundus Inſtit. de legat. & l.magis 5.* §.*fundum 8. de reb. eorum, qui ſub.tut.* ait, legatum acquiri,ſignificans legatorum actionem acquiri ignoranti. *l. quæſitum* 91. §. *penult.de leg.* 1. His verbis, LEGATVM ACQVIRITVR, non ſignificatur dominii aaquiſitio, ſed diei ceſſio, & recte Interpres ad L.illam 15. inquit, qui legatum agnouit, quia habet actionem, in hoc ipſo legatum habere videtur, vt hoc voluntas defuncti complere poſſit. Denique hæc verba, capere, habere & peruenire, plerunque cum effectu accipimus. *d.l.aliud eſt capere ſup. tit.prox.*& cepiſſe videtur, qui actionem habet cum effectu, vt *in l.13.ſup.hoc tit. ſic etiam habere d.l.* 15. Sic peruenire in cautione emptæ hæreditatis. *l.2.*§.*perueniſſe 3.de hared.vel act.vend.*

ſic

sic in cautione, quæ ex L. Iulia à marito præstatur vxori. *l. si vero* 64 §. *Item quicquid. soluto matrim.* Denique habere, ad eum peruenisse, cepisse videtur is, qui habet actionem cum effectu, vel quod est idem, sine exceptionis metu, & non tantum is, qui habet ad rem adipiscendam, sed etiam is, qui actionem habet ad rem recuperandam, & ita legito in *l.* 15. *sup. hoc tit.* Et hoc proposito actionis nomen est latissime sumptum, quia interdictum & restitutio in integrum sub eo comprehenditur. *l. si quis vi* 17. *de acquirenda possess.* Nam qui restitutionem in integrum habet, non videtur exclusus. *l. nemo* 5 *de in integ. restit.* Sed non dicemus, eum habere actionem, qui potest exceptione remoueri. Nam vt ait *l. nihil interest* 112. *sup. hoc tit.* nihil interest, vtrum ipsum ius te excludat, an exceptio. Ordo tamen iuris & causa est diuersa, ideo in iure maxime disputatur de ipso iure, vtilis, an directa detur. *l. actio.* 47. *de negot. gest.* quia scilicet idem est effectus, agendi tantum forma & causa est diuersa, & licet effectus sit idem, accidentia tamen sunt diuersa: igitur ad effectum respicientes, dicemus, non habere actionem eum, qui exceptione repellitur. *Cui. in Recit. posthum.*

Ad

Ad Leg. 116. De consensu, vi, metu. 2. De eo qui ius publicum sequitur. 3. De errore.

NIhil consensui tam contrarium est, qui bonæ fidei iudicia sustinet, quam vis atque metus: quem comprobare contra bonos mores est. §. 1. Non capitur, qui ius publicum sequitur. §. 2. Non videntur, qui errant, consentire.

Nihil] ex titulo *de iis, quæ vi metusve causa.*

Tam contrarium] vis & metus consensui contraria. 2. *Eclog.* 3. *c.* 183. 6. *Harmenop.* 2. & voluntati *l.* 1. *sup. quod metus causa Goth.*

Bonæ fidei iudicia] bonæ fidei iudicia consensu sustinentur.

Non capitur] *l.* 11. §. 4. *sup. de minorib. vid. l. vlt. C. de in integ. restitut.* 2. *Eclog.* 3. *cap.* 114. *Gothofr.*

Qui errant] *l.* 15. *sup. de iurisdict. l.* 2. *sup. de iudiciis l.* 57. *sup. de obligat. l.* 20. *sup. de aqua pluuia l.* 9. *C. de iuris & facti ignor. Goth.*

Est hæc lex ex Vlpiani *lib.* 11. *ad Edict.* quo libro tractauit de restitutionibus in integrum. Prima sententia pertinet ad edictum, *Quod metus causa.* Ex hac regula confirmari potest: quod sicut dolus dans causam contractui bonæ fidei, vitiat contractum & infirmat: ita vis & metus. Nam in metu inest dolus: adeo vt con-

currat actio, Quod metus causa, cum actione de dolo. *l. item si cum* 14. §. *eum qui* 13. *quod metus causa.* In deposito non licet pacisci de dolo. *l.* 1. §. *illud depositi.* ita nec de metu. Itaque si conuenerit de metu, conuentio est contra bonam fidem, & contra bonos mores.

Ad §. Non capitur.

Pertinet & hic §. ad Edictum *de minoribus* 25. *annis*, qui capti sunt, hoc est, decepti, & hi restituuntur. At non decipiuntur qui ius commune sequuntur. Exemplum est in *l. inter eas* 51. § *pen. de fideiuss.* Ius commune est, vt, si sint plures fideiussores, teneantur in solidum singuli, habeant tamen beneficium diuisionis, quod ita habent, si litis contestatæ tempore omnes soluendo sint. Cæterum si quidam sint inopes, hoc onerat locupletes. Verum si omnes sint soluendo, diuidatur actio: & si post litem contestatam quidam fiant non soluendo, alii non tenebuntur Nunc finge: Egit minor 25. annis cum fideiussoribus: diuisa est actio: quidam post litem contestatam facti sunt non soluendo; an succurritur minori ob ætatem? Minime. Nam non succurritur, nisi capto & circumscripto. Non videtur autem deceptus, qui iure communi est vsus & diuisit actionem inter fideiussores, qui tempore litis con-

conteſtatæ ſoluendo fuerunt. Eadem ſententia repetitur *in l. vlt. C. de in integ. reſtit.*

Ad §. Non videntur.

Pertinet ad cauſam reſtitutionis in integrum. Reſtitutio datur ob metum illatum, ad quam pertinet prima ſententia. Reſtitutio in integrum datur ob ætatem, ad quam pertinet ſecunda. Datur etiam ob errorem iuſtum, ad quam ſententiam pertinet *l. 3. de in integ. reſtit. l. 1. §. vlt. quod falſo tut.* aut ad quam pertinet vltima hæc ſententia: qui lapſi ſunt errore, reſtituuntur, quia non conſenſerunt. *Cuiac. in Recit. poſthum.*

Ad Leg. 117. De bonorum poſſeſſione.

PRætor bonorum poſſeſſionem, hæredis loco, in omni cauſa habet.

Bonorum poſſeſſionem] Alii, bonorum poſſeſſorem legunt, & is à Græcis hic διάδοχος appellatur, id eſt, ſucceſſor. 2. *Eclog. 2. c. 115. Goth.*

Hæredis loco] *l. 25. §. 7. ſup. de acquir. hæred. v. l. 29. §. 2. ſup. de condit. & demonſt. l. 2. ſup. de bon. poſſeſſ. Goth.*

Pertinet etiam hæc lex ad reſtitutionem in integrum, quæ eſt Pauli ad *Edict. lib. 11.* Reſtitutio in integrum transfertur in hæredem. *l. 3. de in integ. reſtit.* An & in bonorum poſſeſſorem?

rem? Ita. Quia prætor illum habet in omni causa hæredis vice. *l. 2. de bon. possess.* Prætor hæredem non facit, vt nec dominum. Si quem Prætor iussit posſidere, vsucapio competere dicitur, vt sit dominus: alter erit tantum posſessor. *In omni causa, hoc est*, siue agat, siue cum eo agatur: siue experiatur, siue conueniatur vt recte Bulgarus, & sustinet incommodum omne, & commodum hæreditatis, perinde ac si hæres esset iure ciuili: & restituitur quis aduersus eum, veluti aduersus hæredem. *Cuiac. in Recit.*

Ad Leg. 118. De vsucapione. De possessione.

QVi in seruitute est, vsucapere non potest. Nam cum posſideatur, posſidere non videtur.

Qui] ex tit. *Quib. ex causis maiores, &c.* vbi de vsucapione multa. *Pac.*

In seruitute] & in potestate. *l. 93. sup. eod.*

Vsucapere] *l. 4. §. 4. sup. de vsurpat. 2. Eclog. 3. c. 116.*

Cum posſideatur] *l. 54. sup. de acquir. rerum dom. l. 1. §. 6. sup. de acquir. poss. l. 21. sup. de adult. Gothofr.*

Pertinet hæc constitutio ad restitutionem in integrum, eam scil. quæ datur ex Edicto; *Ex quibus causis maiores.* Eo edicto data actione rescis-

reſciſſoria, ſuccurritur abſentibus metus cauſa, & Reip. iis qui in vinculis ſunt, in ſeruitute, in hoſtium poteſtate. Si quid interim de eorum bonis vſucaptum ſit, & propter lapſum temporis actionem amiſerint, amiſſum dominium reſtituitur, & reſcinditur vſucapio, & redditur actio amiſſa. Hoc comprobat *l. ab hoſtibus* 28. *de poſtlim. reuerſ. l. non quocunq;* 82. §. 1. *de leg.* 1. Altera parte eiuſdem edicti ſuccurritur aduerſus abſentes non defenſos, & qui erant in vinculis, *l.* 7. *quib. ex cauſ. maior.* & aduerſus eos, qui in hoſtium poteſtate erant. §. *rurſus. Inſtit. de action.* Et ita ſi res præſentium non ſuſceperint per ſe, vel per alias perſonas, cum ipſi ſe non defenderent, aut per alium non defenderentur, atque adeo non poſſent interpellari, vel ipſi, vel alii eorum nomine: quare æquum eſt, vt aduerſus eos ſuccurratur præſentibus, ſi quid interim de bonis abſentium vſucaptum ſit. Sed ii qui ſunt in ſeruitute, non continentur hac parte, quia ſerui vſucapere nō poſſunt. Non fit vſucapio ſine poſſeſſione: at is poſſidere non poteſt, qui per alium poſsidetur. Igitur ſerui non vſucapiunt, hoc eſt, neque inchoare vſucapionem poſſunt, neque inceptam complere. Poſſeſsio bonorum ſeruitute interrumpitur, non abſentia aut vinculis: & abſens & qui eſt in vinculis vſucapere poteſt. Dices, hac parte Edicti ſuccurritur etiam præſentibus

aduersus captiuos: qui tamen vsucapere non possunt, cum sint serui hostium? Resp. Vsucapere quidem per se non possunt, sed per personas sibi subiectas, ex causa peculiari. *l. ait Prator* 23. §. *hi plane* 3. *ex quib. caus. maior. l. pen. de capt. & postlim. reuers.* Quin etiam, licet incepta vsucapio interrumpatur ab iis, vsucapio tamen non interrumpitur, quæ fit per filiumfam. vel seruum, vel personas sibi subiectas. *l. si is qui pro emptore* 15. *de vsucap.* quæ fit potestate postliminii, vel fictione L. Corneliæ, si perieris apud hostes. Hæ fictiones locum habent solum in captiuis. Igitur qui in seruitute sunt, nec per se, nec per alias personas sibi acquirunt. *l. liber homo* 19. *de acquir. rer. dom. d. l. ait Prator.* Itaque non continentur secunda parte edicti: prima continentur. In seruitute autem esse, & seruum esse, diuersa sunt: sicut aliud est, in possessione esse, aliud possidere. *l. si quis ante* 10. §. *idem Pomponius, de acquir. poss.* In seruitute etiam esse potest liber homo, puta cum detinetur, quasi seruus *l. ei quoque* 11. *ex quib. caus. maior.* Seruus est, qui domino alieno subiectus est iure. Quintilianus *lib. 5. cap.* 10. aliud est seruire, aliud seruum esse: seruire latius patet. Seruiunt serui addicti & nexi, mercenarii, qui operas vendunt: seruiunt liberi homines, qui seruiunt tanquam serui. Proinde in hac regula, *In seruitute esse*, non est, *seruum esse*, nec captiuum

ptiuum eſſe. Verum his verbis, quæ ſunt in Edicto, *qui ſunt in ſeruitute*, poſſunt contineri captiui. *l. item ei ſuccurritur* 14. *ex quib. cauſ. maior.* Sed hoc ideo; quia reuerſi finguntur nunquam fuiſſe ſerui, propter fictionem poſtliminii. Et prima parte, quâ ſuccurritur iis, qui in ſeruitute erant, contineri poterant, qui erant captiui: At in ſecunda parte, qui ſunt in ſeruitute, & captiui ſeparandi ſunt. Nam captiui vſucapere poſſunt: qui ſunt in ſeruitute non poſſunt. Ad ſecundam pertinet hæc regula: Quo conceſſo, ſequitur, in hac regula his verbis: *in ſeruitute*, non contineri captiuum, notando Edictum, Ex quibus cauſ. maior. ſubueniri abſentibus, & aduerſus abſentes, non tantum data actione reſciſſoria, ſed etiam, vt rem nanciſcantur, data exceptione: ſi non rem meam, me abſente, vſucepiſti: vel dabitur hæc exceptio, ſi non, cum eſſes abſens, defendebaris, hoc eſt, rem meam vſucepiſti: Vſucepiſti quidem & vindicaſti, ſed abſens. Cui dabimus actionem reſciſſoriam, multo magis dabimus exceptionem reſciſſoriam. *l. nec non* 28. §. *exemplo* 5. *ex quib. cauſ. maior.* Reſtitutio in integrum poteſt induci in modum exceptionis. *l. Nam poſteaquam* 9. §. *ſi minor* 4. *de iureiurand.* Dicunt quidam: aduerſus abſentes non eſſe opus præſentibus reſtitutione in integrum: quo nihil eſt ſtolidius. *Cuiac. in Recit. poſth.*

Ad Leg. 119. De alienatione.

NOn alienat, qui duntaxat omittit possessionem.

Non] 2. *Eclog*. 3. *c*. 117. *l*. 4. §. 1. *sup. de alienat. iudicii mut. caus. &c.* & ideo prohibentur donationes. *l*. 5. §. 10. *sup. de donat. inter virum.* non prohibentur alienationes possessionis. *l*. 1. §. 4. *sup. de acquir. possess. Gothof.*

Alienat] proprie sc. secus improprie. *l*. 4. §. 2. & *l*. 21. §. 2. *sup. quod metus.*

Possessionem] est enim alienatio proprie dominii. *l*. 67. *sup. de verb. signific. Goth.* Pertinet hæc lex ad restitutionem in integrum, quæ fit aut datur de alienatione, iudicii mutandi causa facta. *l*. 4. §. 1. *de alien iudi. mut. caus. fact.* Ex illo edicto datur actio rescissoria ei, cuius interest. Finge: Ego rem habeo, cuius nomine mecum acturus est Titius. Ante litem ego rem meam alienaui, non quod habere rem nollem, sed dolo malo, vt duriorem aduersarium Titio opponerem. Teneor eo Edicto in id, quod interest, conditionem duriorem fecisse; & hoc ita, si possessionem vel dominium in alium transtuli. Sed si dominium non transtuli, sed tantum possessionem deserui, dum litem abhorreo, an teneor? Minime: Nam non alienat, qui possessionem transfert in alium, & *vt ait l.* 4. factum eius non vituperat Prætor, qui mauult

uult re carere, quam litigare. Sed qui litem transfert in alium, tenetur. *Cuiac. in Recit. poſthum.*

Ad Leg. 120. De hærede.

NEmo plus commodi hæredi ſuo relinquit, quam ipſe habuit.

Nemo] ex tract. *reſtitutionum.*

Plus] *v. l. 54. ſup. eod. l. 59. 160. in fin. l. 175. in f. inf. eod. l. 20. ſup. de acquirendo rerum dom.*

Habuit] Cur ita? Collige ex *l. 67. ſup. de contrahend. emptione. 2. Ecloga 3. c. 128.*

Hoc etiam caput pertinet ad reſtitutionem in integrum: *Ex quibus cauſ. maior.* Miles vel alius abſens Reip. cauſa, cum non defenderetur, nec vſucapi res poſſet à domino, rem alienam cœpit vſucapere: hæres impleuit vſucapionem, non ipſe: an ſcinditur vſucapio, facta per hæredem? Sic ſane. Nam alioqui videretur plus commodi tranſtuliſſe in hæredem, quam haberet. Idem ſeruandum de hærede, qui ſuccedit in vſucapione. De hac regula ſatis in *l. 54. ſup. hoc tit. Cuiac. in Recit. poſthum.*

Ad Leg. 121. De eo, qui non facit, quod facere debet: vel facit, quod facere non debet.

QVi non facit quod facere debet, videtur facere aduerſus ea, quia non facit. Et qui

facit, quod facere non debet, non videtur facere id, quod facere iussus est.

Aduersus ea] in fraudem alterius quis facit, qui id non facit, quod in eius vtilitatem facere debet. *l.4.sup.quæ in fraudem creditorum*, & ita non facere, est facere: facit igitur interdum, qui non facit, adde *l.102.sup.eod. Goth.*

Quia non facit] quæ non faceret. *Goth.* vel, quæ non facit. *Pac.*

Et qui] Atqui.

Delenda sunt, quæ hic dicit Accurs. pro quibus hæc repono: hanc regulam pertinere ad compromissa & constipulationes, quæ fiunt in arbitrum, & ita concipiuntur: *si aduersus ea factum erit, pœna nomine tot dari l. ita demum 31. de recept. arbit.* vel sic: *Si ita factum non erit, pœna nomine tot dari.* Et certe, cum quid stipulamur ne fiat, satius est, subiicere pœnalem obligationem; si aduersus ea factum erit, tot dari. Ex priori formula committitur stipulatio, si quis non fecerit, quod facere debet, *l. continuus 137. §. pœna de verb. oblig.* Sed si quis sit promiscue vsus, an ideo minus committitur stipulatio? Minime. Nam cum ita stipulamur, vt quid fiat, vt scilicet sententiæ arbitri stetur, si ita subiiciatur pœna, *si aduersus ea factum erit tot dari*: vno ex litigatoribus non obtemperante sententiæ arbitri, committitur stipulatio. Nam aduersus ea facere videtur, non tantum qui

qui non facit, quod facere debet: sed etiam qui facit, quod facere non debet: quia hic non facit, quod promisit: promisit autem, se velle non facere. Verum ait Regula, *Non videtur facere id, quod iussus est*; quod pertinet ad sententiam arbitrorum, qui vetant & iubent: quod non facit, hoc facit vt nolit facere: Alioqui non est verum, quod dicunt Stoici: omne peccatum est in actione. Elegantius est, his formulis vti distincte. Cæterum, si quis vtatur promiscue, non ideo minus committitur stipulatio, quæ est vis & potestas huius regulæ. *Cui. in Recit. posthum.*

Ad Leg. 122. De libertate.

Libertas omnibus rebus fauorabilior est.

Fauorabilior] *Eclog. 3. c. 119. leg. 20. v. l. 106. sup. eod. l. 176. in fin. inf. eod. l. 16. sup. de manumiss. testam. l. 38. sup. de re iudic.*

De liberali causa compromissum fieri non potest. De omnibus causis ciuilibus adiri arbiter potest, non de libertate. Fauor libertatis petit maiores iudices, vt Prætores & Præsides. *l. non distinguemus 32. §. de liberali causa 7. de recept. arbit.* Est igitur omnibus rebus fauorabilior libertas, quæ exigit Prætores & Præsides, non arbitros. Prætores in liberali causa, semper fauent libertatibus. *l. pœnales 32. ad L. Falcid. l. 20. sup. hoc tit. Cui. in Recit.*

Ad

Ad Leg. 123. Lege agere. Temporaria permutatio.

NEmo alieno nomine lege agere potest. Temporaria permutatio ius prouinciæ non innouat.

Alieno] *l. 8. supr. de inoffic. test. l. 5. sup. si vsusfructus petatur.*

Lege agere] lege agere, est in iure agere ex formulis à lege institutis, ex præscripto legis, impetratis solenniter actionibus, apud magistratum experiri: hinc legis actiones, formulæ agendi in iure apud eum, qui iuri dicundo præest *l. 4. sup. de adopt. l. 3. sup. de offic. procons. l. 1. sup. de officio Iudicis. Paulus 2. sentent. 25. §. 4. Goth.*

Temporaria] temporalis, vulgata, sensus est, Momentanea imperium non habent in ea quę iuris sunt: ideoque consuetudo duobus, aut tribus iudiciis contrariis non euertitur. *Decius hic. Gothofr.*

Huius legis initium explicatum est *supr. in l. actus 77.*

Ad §. Temporaria.

Prouinciæ quædam sunt Proconsulares, quædam Præsidiales. *Theophil. in §. per traditionem Inst. de rerum diuis.* Sed si in Præsidialem prouinciam mittatur quidam non præses, Proconsulari imperio ad tempus & cæterarum re-

rum

rum cauſa non immutetur, non ideo ius prouinciç innouatur: ſed prouincia præſidialis manet. Mittuntur ſæpe iudices extra ordinem: ſed non ideo mutatur vel nouatur ordo iuris. Temporaria permutatio iudicis ordinem iuris non innouat. *Cui. in Recit.*

Ad Leg.124. De muto, ſurdo & furioſo.

VBi non voce ſed præſentia opus eſt, mutus, ſi intellectũ habet, poteſt videri reſpõdere. Idem in ſurdo, hic quidem & reſpondere poteſt. §. Furioſus abſentis loco eſt. & ita *Pomp. lib.1. Epiſtol. ſcribit.*

Vbi] *v. l.48. ſup. de obligationib.*

Præſentia] id eſt, præſentis conſenſu & intelligentia opus eſt, *l.209. ſup. de verb. ſignif.*

Reſpondere] reſponderi.

Abſentis] *v. l.2. §.3. ſup. de Iure Codicill. l.17. §.11. inf. ſup. de iniuriis.* Idem corpore prӕſens eſſe poteſt, mente abſens *l.26. ſup. de captiuis. Gothofr. hic.*

Loco eſt] imo non eſt *l.2. §.1. ſup. de procurat.*

In negotiis, in quibus ſermone opus eſt, ſurdus aut mutus interuenire non poteſt, vt in ſtipulatione, aut manumiſſione vindicta, authoritate præſtanda pupillis, vt in teſtamentis, in quibus verba olim neceſſaria. In aliis autem negotiis, in quibus præſentia opus eſt, non ſermone,

mone, mutus interuenire potest, dummodo intelligat quid agat. Idem est in surdo. Et ideo surdus aut mutus emere, locare, vendere, conducere, possunt. Item; si quis coram Titio iubeatur adire hæreditatem, recte adit coram Titio, etsi Titius sit mutus. Itaque surdus & mutus præsentes esse intelliguntur. In omni iure videtur iudex sententiam dixisse, etiamsi coram muto vel surdo litigatore dixerit, eas vero res non recte peragit, quæ verba desiderant, vt stipulationem. Diuersum est in furioso, qui absentis loco est *l. coram* 209. *de verb. sign. l. si quis mihi* 25. §. *si coram* 10. *de acquir. hæred. l. diem* 27. *de recept. arb.* Habetur etiam furiosus pro absente, *in l. sed si vnius* 17. §. *filiofam.* 11. *de iniuriis.* Patris præsentis est actio, vt agat iniuriarum, non filiifam. Sed si pater absit, tum agit filiusfam. abesse videtur, si furiosus aut demens sit. Habetur furiosus pro absente in Edicto, *Ex quibus causis maiores.* Nam vt aduersus absentem, ita aduersus furiosum læso succurritur. *l.* 22. §. *pen. &* §. *vlt. ex quibus caus. maior.* si quid vsuceperit furiosus. Nam vsucapere potest per subiectas suo iuri personas ex causa peculiari, & vsucapio eius furore non interrumpitur. *l.* 4. §. *furiosus* 3. *l. iusto* 44. *de vsucap.* Ideoque si quid vsu suum fecerit, cum interpellari vsucapio in personam furiosi non possit, succurretur ei, qui vsucapione rem suam a-

am amiſit, data actione & exceptione reſciſſoria in furioſum, imo etiam pro furioſo, vt traditur *in l. 2. §. furioſus de iure Codicil.* Furioſus codicillos facere non poteſt; Nam vbique pro dormiente & quieſcente eſt. Et ait l. *per omnia & in omnibus*, vt oſtendat, furioſum nihil agere poſſe, neque inter viuos, neque in vltima voluntate *l. 5. ſup. h. tit.* ſed ſi furioſus tutor detur aut curator, cum abſens tutor dari poſſit, an igitur furioſus recte dabitur, cum habeatur pro abſente? Minime, Nam quod dicimus, abſentem tutorem dari poſſe, de ſano accipiendum eſt. Male Iohannes exiſtimat, hanc legem non pertinere ad contractus; cum lex dicat, *poteſt videri reſpondere.* Loquitur ergo de his negotiis, in quibus opus eſt, vt alter interroget, alter reſpondeat, quo genere contrahuntur omnes ſtipulationes: alii etiam contractus & pacta fiunt eodem modo per interrogationem & reſponſionem, vel quod idem eſt, per rogationem & ſponſionem. *l. iuriſgentium 7. §. quod fere 12. de pact.* Oſtendit ibi, ambiguum eſſe ſermonem: *Rogauit Titius, ſpopondit Mauius.* Nam hæc verba non tantum pro ſtipulatione accipi poſſunt, ſed etiam pro pacto, & aliis præter ſtipulationem contractibus, tacita reſponſio ſufficit. *l. 1. de pactis l. in quibuſcunque 48. de oblig. & act.* In aliis contractibus, præſens, ſi actum rei intelligat, reſpondere videtur:

detur:

detur. Præsentia opus est nostra vel aliena in contractu, sicut in acquirenda possessione corpore opus est nostro, vel alieno, vel eo, quod vice corporis nostri fungitur, & quo æstimantur præsentes, vt Epistolæ, per quas mentis conceptum exprimimus, & quasi contrahimus. Præsentia opus est, vt ostendit *l. 2. §. furiosus de iure codicill.* vbi ait, Furiosum nihil agere posse, quod absentis loco habeatur. Si desit nuntius, vel epistola, sane non erit contractus, nisi presens cum præsente contraxerit. Hi porro contractus, vbi opus est præsentia, habentur recte cum muto & surdo, non cum furioso. Stipulatio non contrahitur cum ipsis: nam in stipulatione præsentia non sufficit. Verum ei quod diximus, Mutum haberi pro præsente, valde obstat *l. vlt. de verb. signif.* Proponitur in ea l. quid sit exhibere. Definitio sumitur ex Labeone, qui definit, exhibere esse præsentiam eius, de quo agitur, præstare. Refellitur hæc definitio duplici argumento. Primo, quod communis sit: Nam & is, qui sistit aliquem, præsentiam præstat, si eum sistat, nec tamen eum exhibet. Nam tantum is exhibet, qui denuntiandi potestatem facit, quam non facit, qui tantum sistit. Secundum argumentum est: qui mutum aut furiosum, aut infantem exhibet, exhibet quidem, sed præsentiam non præstat; hoc est, hæ personæ vere præsentes esse,
dici

dici non poſſunt. Sed meo iudicio male comparatur mutus furioſo, aut infanti. *Cuiac. in Rec. poſthum.*

Ad Leg. 125. De actore & reo.

FAuorabiliores rei potius ſunt, quam actores habentur.

Rei] *l. 41. ſup. eod. l. 38. ſup. de re iudic. l. 47. ſup. de obligat. c. cum ſunt paria iura* 11. *de reg. in* 6. 2. *Eclog.* 3. *c.* 121. *adde Ariſtot. problem.* 18. id eſt, proniores ſumus ad reum abſoluendum *d. leg.* 47. *l.* 5. *in pr. ſup. de pœnis. l.* 4. §. 13. *ſup. de doli except.* fauetur poſſidenti *v. leg.* 128. *infr. eod.* plus etiam dilationis reo datur. *leg. vlt. ſupr. de feriis l. 6. in f. C. de temporib. in integr. l.* 2. *C. de dilation. Gothofr.*

Actores] in cauſæ deciſione, non tamen in præparatoriis iudiciorum *l.* 8. *ſup. qui ſatisdare. l.* 66. *ſup. de iudiciis. l.* 83. §. 1. *ſup. de verb. obligat.* in medio vero cauſæ, actor reo edere tenetur, non econtra. *l.* 4. *l.* 5. *C. de edend.* ad cauſæ deciſionem id pertinet, nam illo non probante, reus abſoluitur. Fauorabiliores igitur rei in re dubia & teſtimoniis, hinc & inde paribus. Aliud eſt, ſi pro actore plene ſit probatum; tunc enim lis dubia eſſe deſinit cum certa appareat. *Gothofr.*

Habentur] idem Ariſtot. in *probl. ſectione* 18.

particula 12. *de his quæ ad ius ciuile pertinent. Pacius.*

Latior est hæc lex lege *in eo. sup.* 33. *& l. in pari inf. eod.* Pertinet enim ad multa alia, de quibus in illis duabus nihil. Absens actor condemnatur, reus non. *l. absentem* 5. *de pœn.* Olim actori dabantur duę horę ad causam agendam, reo tres. Bulgarus ad hanc l. speciem eiusmodi ponit. Quædam res duobus est donata aut legata, vnus eam possidet, alter petit, durior causa est petitoris. Proposita hac specie, Bulg. subiicit hanc rationem. Nam in pari causa est melior conditio occupantis. *l. inter* 19. *de re iudic.* Reprehenditur ob eam rem à Ioanne, quem & hic Accursius refert. Ratio est, quia in *l. inter* 19. is dicitur occupasse, non qui possidet, sed qui prior agit. Hoc mihi demonstrat, Ioannem scripsisse in hunc titulum, qui aliud esse, occupantem præferri, ait, etsi petitor sit, aliud esse possessorem præferri. Sententia hæc est, si duobus sint res donatæ separatim, & neuter possideat, melior est causa eius, qui occupat agendo, verum si vnus possideat, is vincit semper. *l. siue autem* 9. §. *si duobus* 4. *de Public. in rem act. l. si ea res* 31. §. *vlt. de act. empt.* Itaque merito reprehenditur Bulgarus. Ratio hic, Possessoris semper potior est causa, etiamsi non occupauerit prior, petitoris vero non est potior, nisi is occupauerit. Qua in re lapsus est Accurs.

Accurſ. Non enim ſpecies reprehenditur, ſed ratio. Ratio eſt de eo, qui prior egit, occupationis iure eſt potior vel prior, & ita potior eſt cauſa actoris. Denique occupantis potior eſt cauſa, etiamſi petat: poſſeſſor prior, etſi non cœperit agere. *Cuia. in Recit.*

Ad Leg. 126. De eo, qui pretium numerauit. 2. De acquiſitione liberti. 3. De petitore & poſſeſſore.

NEmo prædo eſt, qui pretium numerauit. §. 1. Locupletior non eſt factus, qui libertum acquiſierit. §. 2. Cum de lucro duorum quæritur, melior eſt cauſa poſſidentis.

Nemo] *ex tit. de petitione hæredit. l. etiam.*

Prædo eſt] malæ fidei poſſeſſor οὐκ ἐστὶ κακῇ πίστει νομεὺς. 2. *Eclog. 3. c. 123. Goth.*

Pretium] Eclog. ibi etiam ſciens. *l. 13. §. 8. ſup. de hæred. petit. 2. Harmen. 1. circa fin.* præſertim authore iudice Harmenop. ibi, Imo tunc videtur malæ fidei poſſeſſor: nam qui ſciens contra iura mercatur (qualis is eſt, qui rem alienam ſciens emit) bonam fidem non præſumitur habere. *cap. qui contra 82. de reg. in 6. Gothofr.*

Numerauit] eſt tamen prædo, qui rem venditam propria authoritate capit. *l. 5. ſup. de acquirenda poſſeſſ. Gothofr.*

Qui Libertum] qui liberum *vulgat. Haloand. adde leg.* 63. *in fin. princ. sup. ad L. Falcid. Gothofr.*

Acquisierit] vel qui donat. *l.* 25. §. 11. *sup. de hared. petit.*

Causa possidentis] *v. l.* 128. *inf. eod.*

In hac L. proponuntur tres sententiæ, quæ omnes pertinent ad petitionem hæreditatis. Prima est, *Nemo prædo, &c.* Petitione hæreditatis tenetur, qui pro hærede vel possessore possidet. Prædo est, qui rem inuasit, & cum rogatur, cur possideat, dicit, quia possideo. Quæritur, an videatur prædo esse is, qui sciens emit alienam hæreditatem? Minime: quia nemo prædo est, qui pretium numerat de suo. Est quidem malæ fidei possessor & emptor, sed non etiam prædo, ideo, vt prædo non tenetur actione derecta, sed tenetur vt emptor vniuersi iuris. *l.* 13. §. *si quis sciens. de pet. hared.*

Ad §. Locupletior.

Secunda sententia etiam pertinet ad petitionem hæreditatis, de qua factum est nobile SCtum authore Hadriano. Eo SCto eo vsque tenetur quis, quo locupletior factus est. Finge, rem hæreditariam vendidit Titius bona fide & distraxit, pretiumque accepit, an restituere cogitur, quod ex distractione consecutus est? sic sane, si habet penes se: sed si perdiderit, non tene-

tenetur, quia locupletior factus non eſt *leg. ſed vtrum* 14. *l. ſed & ſi* 25. §. *conſuluit.* 11. *de petit. hæred.* An etiam videtur locupletior factus, ſi rem hæreditariam alienauit, non vendidit? Videtur locupletior factus, cum donando, naturalem obligationem quæſierit. Sed hæc obligatio pro nihilo habetur, quia actionem non parit. Ideo ille non eſt locupletior factus, qui naturalem quæſiuit obligationem. Non etiam locupletior eſt factus, qui manumittendo libertum acquiſierit. Itaque æſtimatio patronatus non venit in diuitias, nec patronus eſt locupletior, argumento *l. naturalis* 5. §. *vlt. de præſcript. verb.* ſi conuenit inter nos, vt ſeruum tuum manumitteres & ego meum manumitterem; Ego meum manumiſi, tu tuum non manumiſiſti. Ego habeo actionem præſcriptis verbis, in quantum intereſt, me ſeruum habuiſſe, quem manumiſi, nec deducitur quod libertum habeo. Nam id in æſtimationem venire non poteſt. Manumiſi ſeruum, nec videor locupletior factus. *ſic l.* 2. *quib. ad lib. proclam. non lic.* hæres ex dolo defuncti nihil videtur conſecutus, qui libertum eſt adeptus: ideo eius rei nulla æſtimatio fieri poteſt.

Ad §. Cum de lucro.

Tertia ſententia pertinet quoque ad petitionem hæreditatis. Omne lucrum prædoni

aufertur in petitione bonorum. *l. 28. de petit. hæred.* hoc ita; si petitor hæreditatis de damno contendat. Cæterum si tam petitor quam possessor contendat de lucro, & neuter sit hæres; potior possessor est. *l. 33. & l. 98. sup. h. tit. Cuiac. in Recit. posth.*

Ad Leg. 127. De hærede conuento in id, quod ad eum peruenit.

CVm Prætor in hæredem dat actionem, quatenus ad eum peruenit, sufficit, si vel momento ad eum peruenit ex dolo defuncti.

Cum] ex *tit. de petitione hæreditat.*

Quatenus, &c.] *l. 16. sup. quod metus causa.*

Si vel momento] momento aliquid fieri sufficit, vt factum fuisse dicatur, & semel *l. 17. sup. quod metus causa* ἀθρόῳ ῥοπῇ 2. *Eclog. cap. 229.* In momento est, ἐν ἀτόμῳ. *v. l. 79. sup. de acquir. hæreditate.* In articulo, *l. vlt. C. de offic. Comitis sacri palat.* De momento dixi ad *l. vlt. in f. C. de bon. quæ liberis. Gothofr.*

Hæc lex etiam est ex tractatu, de petitione hæreditatis. In illo tractatu, verbum, peruenisse, relatum ad bonæ fidei possessorem, sic accipitur: si etiam duret bonæ fidei possessor. Nam non sufficit, peruenisse semel. Bonæ fidei possessor restituit petitori hæreditatis, quod ad eum peruenit ex venditione rerum

hæreditariarum, ſed neceſſe eſt, vt duret & manſerit pecunia. *l. vtrum 23. de petit. hæred.* In edictis, quibus ſcilic. Prætor pollicetur, actionem in hæreditatem perueniſſe, vel momento ſufficit. *l. videamus 17. quod metus cauſa.* Sed ſi ipſe hæres perdiderit & conſumpſerit: non ſi res perierit naturaliter ante litem conteſtatam. Nam ſi naturaliter interierit, hæres non tenetur; Quod longe ſecus eſt in petitione hæreditatis, qua agitur cum bonæ fidei poſſeſſore. Nam bonæ fidei poſſeſſor non tenetur, ſiue rem conſumpſerit, ſiue perierit naturaliter ante litem conteſtatam. Poſt litem conteſtatam bonæ fidei poſſeſſor tenetur, ſi rem conſumpſerit, & ſpectatur tempus rei iudicatæ. Et hæc differentia edictorum & ſententiarum eſt maxime notanda; quod diligenter fecit Bulg. *Cuiac. in Recit. poſthum.*

Ad Leg. 128. De petitore & poſſeſſore. De ſucceſſore.

IN pari cauſa poſſeſſor potior haberi debet. §. Hi qui in vniuerſum ius ſuccedunt, hęredis loco habentur.

In pari] *ex tit. de publiciana in rem actione.*

Poſſeſſor] *c. in pari 65. de reg. in 6. l. 126. in fin. ſup. eod. l. 5. §. 1. ſup. de calumniat. l. 9. §. 4. ſup. de Publiciana. v. l. 5. in fin. princ. ſup. ſi vſusfruct. pet.*

l.8.in fin.sup.de condict.ob turpem.l.10.sup.de pignor.l.36.§.3.in fin.sup.de testam.milit.l.1.sup. vti possidetis.§.4.ver. commodum Instit.de interdict. v.l.2.C.de condict.ob turp.2.Eclog.5.c.125.2. Harmen.1.circa fin.

Hi qui] vt fiscus: is enim hæredis loco habetur.*l.3.sup.soluto l.2. C.ad L.Iul.de vi.l.4.Cod.de bon.proscript.Goth.*

In vniuersum ius] *l.6o.sup.eod.l.194.inf.eod.l.9. §. 12. sup. de hæred.instit. 2. Eclog.3. c.126. Gothof.*

Principium huius legis iunctum est *l.33.*& ibi explicatum.

Ad §.Hi qui in vniuersum.

L.Item videndum 18.§.*Licet autem* 13.*de hæred.petit.* eadem est conditio bonorum possessoris, hoc est, qui se existimat iustum esse possessorem, igitur hæredum loco sunt, qui in vniuersum ius quocunque modo succedunt. *Cuiac.in Recit.posthum.op.*

Ad Leg.129. Qui suum recipit. Principale & accessorium.

NIhil dolo creditor facit, qui suum recipit. §.Cum principalis causa non consistit, nec ea quidem, quæ sequuntur, locum habent.

Qui suum] *l.55.sup.eod.v.l.26.sup.de damno.*

Princi-

Principalis] *l.29.ſup.eod.l.178.inf. eo.c. acceſſorium 42.de reg.in 6.l.19.in fin.ſup. de dolo. l.2.ſup. de pecul.leg. l.28.§.5.ſup.de liberat.§.5.Inſt.de pupillari.*

Quæ ſequuntur] accedunt, vt vſuræ ſorti.*l.18. ſup.qui potiores.*

Locum habent] plerunque ſcil. *v.l.178.infr. eod.Goth.*

Principium huius legis explicatum eſt *ſup. in l.Culpa caret 50.hoc tit.*

Ad §.Cum principalis cauſa.

Huius ſententiæ innumera ſunt exempla. Liberato reo, liberatur fideiuſſor: fideiuſſio eſt acceſſio. Si non liberatur fideiuſſor, ergo nec reus, cum fideiuſſor aduerſus reum regreſſum habeat. Sublata actione perſonali, tollitur hypothecaria. *l.debitor.59.ad SC.Trebell.* Legato ſeruo cum peculio, ſi ſeruus legatus extinguitur, etiam peculium extinguitur: eſt enim acceſſio. Rupto teſtamento principali, hoc eſt, paterno rumpitur pupillare. *§.liberis.Inſtit. de vulg. & pupill. ſubſtit.* Præterea ſi inutilis eſt principalis obligatio, ſequens quoque inutilis erit.*l.75.de verb.oblig.* Repetitur eadem regula in *l.cum principalis* 178.*in fin.hoc tit.* ſed additur tamen, plerunque, vt intelligatur, non eſſe perpetuum, quod apparet ex *l.1.& 2.C.de luit.pign.* Finge, vnus eſt debitor pignoratitius, qui decedit,

S 5 cedit,

cedit, duobus relictis hæredibus. In eos duplex est actio, principalis siue personalis & hypothecaria. Principali tamen ex parte tenentur, pro parte scil. hæreditaria ex L.12. tabul. actione vero hypothecaria in solidum tenentur: quia indiuisa est pignoris causa. Si igitur vnus ex illis debitum soluerit pro parte hæreditaria: non tenetur in solidum actione personali: hypothecaria tamen in solidum tenetur: quia non est satisfactum creditori in solidum. Ergo in cuius persona sublata est actio principalis, non est sublata hypothecaria. *Cuiac. in Recit. posthum.*

Ad Leg. 130. De concurrentibus actionibus.

NVnquam actiones, præsertim pœnales, de eadem re concurrentes, alia aliam consumit.

Nunquam] *ex tit. ad Leg. Aquil. Pac. §. vlt. Instit. si quadrupes. l. 60. sup. de obligat. v. Hotom. 27. illustr. Gothofr.*

Pœnales] & personales *v. l. 43. sup. eod.*

De eadem re] non ex diuersis causis & tributis: tunc enim ne electione quidem vnius, altera tollitur. *l. 12. §. 1. sup. de acquir. possess. l. 32. l. 34. sup. de oblig. l. 2. sup. de priu. delict. l. 1 sup. arbor. furt. cæs. l. 1. sup. vi bon. rapt. Goth.*

Con-

Conſumit]non concurſu,ſed electione. *l.3.in fin.l.6.§.4.§.familiæ.l.9.§.1.ꝰ de tributoria.l.10.in fin.ſup.de act.empti.l.25.§.5.ſup.locati.l.53.ſup.de obligat.*& merito,eſt enim iniquum, vt quis bis idem conſequatur.*v.leg.57.ſup.eod.Goth.*

Hæc regula pertinet ad tractatum de actionibus *& l.ſiquis egerit.88.de furt.*Repetitur autem in *l.pen.de oblig.& act.*quanquam eſt varietas inſcriptionum. Sed huius l. inſcriptio eſt melior.In altera *l.ait Vlp.de eadem pecunia*: quæ lectio non eſt mutanda ; nam ita eſt in libris Baſilicon.Rei appellatio latior eſt,quam pecuniæ,vt apparet *ex l.5.de verb.ſign.*Vnde apparet, eandem rem non accipi hic pro eodem facto. Imo ſecundum *l. nunquam.2. de priuat. delict.* locus eſt huic regulæ,ſi plures actiones competant , ex pluribus factis, licet ſint de eodem corpore.Earum actionum altera non conſumit alteram:vt ſi vnus occiderit hominem,& eundem furatus ſit, duo ſunt facta, hoc eſt, actiones:agitur enim ex L.Aquil.& furti. Altera alteram non conſumit,hoc eſt, ex vtraque actione ſolidum conſequitur : vtrumque punitur, furtum, & cædes. Ponuntur alia exempla in *l. nunquam.* Eodem modo eiuſdem rei & pecuniæ nomine ex diuerſis factis tenetur quis actione furti manifeſti, & nec manifeſti. *l.vulgaris 21.de furtis.*Item ſi tutor in tutela gerenda aliquid abſtulerit,vel auerterit ex bonis pupilli,qui

li, qui per se pœnam meretur. Sed quid si furandi animo auerterit & surripuerit? Duo facta, & duæ obligationes esse intelliguntur, & alia aliam non tollit. Igitur agi potest & furti, & tutelæ distractionis. *l. 1. §. in tutela 21. l. 2. de tut. & rat. distrah.* Item si quis feram bestiam ibi habeat, qua vulgo iter fieri solet, & fera bestia transeunti noceat; duo facta sunt, hoc est, duæ actiones. Quia ibi habuit feram bestiam, est Ædilitia actio in duplum. Quia autem fera nocuit, est actio, si quadrupes pauperiem fecisse dicatur. §. *vlt. Instit. si quadrupes, &c.* Igitur quoties ex pluribus factis plures sunt actiones, vna non minuit aliam, vtraque competit in solidum, sine vlla distinctione. Pœnales actiones hîc vocat, nõ tantum mere pœnales, sed etiam mixtas. *l. si is 71. de furt.* Actio furti significat condictionem furtiuam, vt & in *l. 9. de in lit. iur.* secundum eam *l. 71.* si concurrat cum actione commodati condictio, altera alteram consumit, ipso iure, vel per exceptionem. *Ipso iure*, si prius actum sit condictione. Per exceptionem, si prius actum sit commodati, quæ est bonæ fidei. Nam si postea agatur condictione, opponitur exceptio *l. 2. de rescind. vend.* Igitur actiones rei persecutoriæ de eadem re concurrentes altera alteram consumit, nisi scilicet quid sit pluris in altera *l. pradia. 28. de act. empti. l. si quis 41. & l. seq. & l. sed si ex causa 47. pro socio.*

cio. Rurſus huic regulæ locus eſt, ſiue plures actiones pœnales ex pluribus factis deſcendant, ſiue ex vno facto ſint plures actiones pœnales, vt ſi quid publicanus non iure abſtulerit: nam tenetur edicto de publicanis in duplum, & actione furti, vel bonorum raptorum. Nam raptor eſt fur quidam improbior. *l.2. vi bon. rapt.* Et ſi quis rem alienam rapuerit, etiam tenetur actione furti, & vi bonorum raptorum. *l.1. vi bon. rapt.* Si quis alienum ſeruum verberauerit: ſi quis furtim alias arbores cæciderit: tenetur, nempe L. Aquilia, & arborum furtim cæſarum. *l.1. arb. furt. caſ.* Item ſi quis alienam ancillam adulteram flagitauerit: is tenetur iniuriarum, & ſerui corrupti. *l. 6. ad L. Iul. de adulter.* His omnibus caſibus ex vno facto, & vna obligatione ſunt plures actiones pœnales. Sed dubitatum fuit, An omnibus vti liceat? quod conſtat ex *l. cum ex vno* 32. *de oblig. & act. d. l.1. arb. furt. caſ.* Dicta *l. cum ex vno*, ait: poſt magnas varietates obtinuit, omnibus licere vti. Sed obiter notandum *in l. plura*, rem non ita accipi, vt hic ait. Plura delicta in vna re. Vbi rem accipimus non pro corpore & pecunia eadem, ſed de eodem facto & crimine *l. ſenatus* 14. *de accuſ.* Plura delicta plures pariunt actiones. Notandum, aliud eſſe plura delicta ex vno facto, quia tunc plures ſunt actiones: ſed tunc non eſſe omnibus vtendum. Itaque *l. plura*

nihil

nihil pertinet ad hanc regulam. Sed excusari potest aliqua ratione *l. cum ex vno.* Hoc enim innuit, omnibus actionibus experiri licet, si prius leui quis vsus sit. Nam quod pluris est in altera, peti potest: vt si egerit cum raptore furti in duplum, qui tenetur etiam vi bonorum raptorum in quadruplum; superest actio vi bonorum raptorum. *leg. si quis egerit* 88. *de furtis.* Actio quæ est leuior, delibat, & diminuit, & ad aliquid consumit actionem grauiorem, nempe vi bonorum raptorum. Non omnibus vti licet, si prius egit grauiore actione, vt in hoc exemplo. Si enim priore actione grauauit reũ, & prius egerit vi bonorum raptorum; consumitur actio furti. Denique in multis aliis exemplis locum habet, vt in exemplo arborum furtim cæsarum. *l. 2. arb. furt. cæs. l. quoties* 41. *de oblig. & act.* Sed in ea lege *quoties*, legendum pro *id* consequatur; *nihil* consequatur. Nam cum in vno facto sunt plures actiones pœnales, vna peracta, superest altera, si quid habeat pluris: sed si habeat minus, vel tantundem, nihil consequitur. Restat ex iis, quæ diximus rei persecutoria, persecutoriam solui pœnali actione: pœnalem ex vno facto, vel omnino, vel ad aliquid. Quid dicemus, si actio rei persecutoria cum actione pœnali concurrat? Actio pœnalis aut est mere pœnalis, aut mixta. Rursus actio mixta vel est arbitraria, vel non. Arbi-
trariæ

trariæ actionis natura est, vt euitetur re restituta. Actio quod metus causa in quadruplum, est arbitraria: re restituta euitatur pœna quadrupli, aut tripli, quia mixta est. *l. metum. 9. §. licet. 6. quod metus causa.* Nunc dicemus, mere pœnales si concurrant cum actione rei persecutoria, altera alteram non tollit, vt condictio furtiua non tollit actionem furtiuam. *l.* 7. §. 1. *de condict. furt.* actio furti non tollit actionem pro socio & locati: & econtra. *l. rei communis* 45. *pro socio. l. si locatum* 42. *locati.* Per actionem mixtam omnino tollitur actio rei persecutoria. Nam qui agit mixta, rem est consecutus. Per rei persecutionem tollitur etiam mixta arbitraria, vt per actionem in rem restitutoriam, vel per actionem de dolo malo, tollitur actio, Quod metus causa. *l.* 9. §. *licet* 6. *quod met. causa. & l. si cum* 14. §. *eum qui* 13. *eod. tit.* Eadem ratione, vt puto, per actionem tutelæ, vel per condictionem furtiuam, tollitur actio, de Rationibus distrahendis, mixta arbitraria. *l.* 1. §. *in tutela.* 21. *l.* 2. §. 1. *de tut. & rat. distrah.* Per actionem autem rei persecutoriam non omnino tollitur actio mixta, non arbitraria: quia in id superest, quod amplius est in ea. Per condictionem furtiuam non tollitur actio L. Aquiliæ. *l. qui seruũ.* 34. §. *vlt. de oblig. & act. l.* 2. §. *quæsitum.* 3. *de priuat. delict.* Per actionem commodati, non tollitur actio L. Aquiliæ *d.* §. *vlt.* in quo §. abundabant

bant duæ negationes, quarum ego vnam sustuli, alteram sustulerunt Pandectæ Florentinæ. Species est. Is cui rem commodaui, eam deteriorem fecit; tenetur commodati & L. Aquiliæ. Si prius egero actione L Aquiliæ, consumitur commodati actio: sed si prius egero commodati, an remanet Aquilia? Ita, & recte sic Florentinæ. Et subducto simplo, quod sum consecutus, in reliquum locum habet actio L. Aquiliæ. Itaque etiam in specie *l. si colonus 9. arb. furt. cas.* est actio locati, & arborum furtim cæsarum mixta, & in specie *l. si vulneraueris 43. locati.* vbi est actio locati & L. Aquiliæ: quibus locis satis esse dicitur, vna actione vti: intellige, si prius egerit mixta. *l. vnde quæritur 7. l. in rebus* 18. §. 1. *commod.* sic in *l. hæredem 5. de calumniat.* dum l. ait; alterutram actionem sufficere: ita accipe, vt si prius egero in quadruplum ex illo edicto de calumniatoribus, quod tibi pecuniam dedi, ne me vexares & negotium facesseres, postea non agam condictione ob turpem causam. Et si prius egero condictione ob turpem causam, non agam in quadruplum, sed in triplum tantum. Actio illa ex edicto est in quadruplum mixta, si ego dedi, ne negotium fieret: sed si dedi, ne alteri fieret, tunc est mere pœnalis, ideo tunc non consumitur per condictionem ob turpem causam: quinimo, cum ego dedi, ne negotium Titio fieret, mihi competit actio ob turpem

turpem cauſam. Titio vero cum competit actio in quadruplum; nec altera alteram tollit. *l. ſi quis ab alio. 7. eod. tit.* Huic ſententiæ, Quod videlic. rei perſecutoria non tollat mere pœnalem, vel contra, obſtat *l. 3. §. vlt. Naut. caup. ſtab.* vbi dicitur, ſi actum ſit actione de recepto, non poſſe agi furti actione, quæ eſt mere pœnalis. Reſpondeo: Si idem in eundem habeat actionem rei perſecutoriam, & mere pœnalem; altera alteram non tollit: ſed ſi idem in vnum rei perſecutoriam, in alterum mere pœnalem habeat, vt vector, qui in exercitorem actionem habet de recepto, & in furem furti: hic ſane vector, ſi elegerit exercitorem & egerit cum eo de recepto, non poteſt poſtea agere furti, & tranſire ad furem. Sed non ideo fur exuitur pœna: nam æquum eſt, vt exercitor, cuius periculo res fuit, in furem habeat actionem furti. At ſi vector elegerit furem, exercitor de recepto liberatur. Idem ſeruatur in actione in duplum, quæ eſt ex quaſi maleficio exercitoris. *l. licet. 6. §. poſſumus 4. eod. tit.* Reſtat hanc regulam habere locum, ſi ſint actiones plures plurium factorum, licet ſint de eadem re vel pecunia. *Cuiac. in Recit.*

Ad Leg. 131. De eo qui dolo desiit possidere.

QVi dolo desierit possidere, pro possidente damnatur, quia pro possessione dolus est.

Qui] ex *tit. de noxalib. act.*

Pro possidente] possessore.

Damnatur] id est, possessoris loco habetur, quantum ad damnum suum, non quantum ad commodum. Nec enim potest fieri cessio, sicut nec ei, qui possidet. Vide Dynum *ad d. c. 36. de reg. in 6. nu. 2. Goth.*

Quia pro] *l. 150. inf. eod. 2. Eclog. 3. c. 128. 2. Harmenop. 1. in fin. c. possessore 36. de reg. in 6. l. 2. §. 1. sup. si ex noxali. leg. 13. §. 2. §. 14. l. 25. §. 8. & 9. sup. de hæred. petit. l. 22. l. 25. l. 27. §. 3. sup. de rei vind. l. 1. §. 17. l. 5. §. 2. l. 9. in pr. & §. 2. sup. ad exhib. l. 4. sup. rerum amot. l. 1. §. 10. supr. si quis omissa causa l. 2. §. 42. sup. ne quid in loco publ. leg. 15. §. 10. quod vi aut clam. leg. 1. supr. de priuat. delictis. Gothofr.*

Possessione] pro possessore vulgata. Haloand.

Dolus est] effectu scilicet, tantum enim domino præstat vtilis, aduersus eum, qui desiit possidere, quantum directa aduersus possessorem. *l. 47. §. 1. sup. de negot. gestis Goth.*

Qua actione tenetur, qui possidet, eadem tenetur, qui dolo possidere desiit, nec se idcirco

circo actione exuit possessor, si dolo desiit possidere. Huic sententiæ locus est in petitione hæreditatis, & in rei vindicatione & in actione ad exhibendum, & in noxalibus actionibus, & in interdictis: Quorum legatorum. *l.1.quor. bon.* de libero homine exhibendo. *l.1.de li. hom. exhib.* Ne quid in loco publico. *l.2.* §. *hoc interdicto.ne quid in loco publ.* Ex quo loco sumpta est *l. parem* 150. *inf. hoc tit.* vbi eadem regula repetitur. *Cuiac.in Recit.oper.posth.*

Ad Leg. 132. De imperitia.

IMperitia culpæ annumeratur.

Imperitia] *l.6.§.7.sup.de offic.præsid. l.28.§. 29.sup.ad L. Aquil. l.9.§.5.l.13.§.5.sup.locati.§. 7. Institut. de L. Aquil. 2. Eclog. 3. capit.* 135. *Gothofr.*

Annumeratur] regulariter, at non in mensore. *l.1.§.1.sup.si mensor, &c.Goth.*

Vide de imperitia quædam *sup.in l.*108.

Ad Leg. 133. De seruis.

MElior conditio nostra per seruos fieri potest, deterior non potest.

Melior] *l.29.sup.de pact.leg.pen.sup.depositi l. 62.supr. de verb. oblig. leg. 3. C. de pact. 2. Eclog. 3. cap.* 130.

Deterior] *l.28, in f. sup. de pact. l.19. sup. mandati.*

dati.l.122.§.1.sup.de verb.oblig.l.2.§.1.sup.de pollicit.l.3.C.de pactis l.vlt.C.de acquir.possess.

Non potest] nisi dominus delictum à seruo committi sciuerit, nec prohibuerit. *vide Paulum 5.sentent.12.§.vlt.Goth.*

Et hæc lex iam supra aliquot locis satis explicata est.

Ad Leg. 134. Quomodo creditores fraudantur. De delicto.

NOn fraudantur creditores, cum quid non acquiritur à debitore: sed cum quid de bonis deminuitur. §. Nemo ex suo delicto meliorem suam conditionem facere potest.

Non fraudantur] excipe *l.25.§.8.sup.de hæred.petit.l.2.§.5.sup.de hæreditate vendita.l.64.§.7.* s̄ *soluto l.1.§.12.sup.si quis omissa causa.* adde *l.78.sup.eodem.*

Cum quid non] *l.68.in f.sup.pro socio.l.quinta §.13.sup.de donat.inter virum, l.1.§.23.sup.de collat.v.l.6.sup. quæ in fraud.credit.Goth.*

De bonis] puta de patrimonio.*l.5.§.13.sup.de donat.inter virum & vx.Goth.*

Ex suo delicto] *l.49.sup.eod.l.173.§.pen.inf.eod.2.Eclog.3.c.132.l.5.sup.si quis cautionibus.l.26.§.4.sup.quibus ex caus.maiores.l.9 l.17.ver.Illud inique supr. de noxalib.act.l.3.§.11.sup.ad exhib.l.6.§.vlt.sup.mandati.adde l.10.§.1.sup.soluto.*

luto.l.1.§.4.l.15.ſup. de tut. & rat. diſtrah.l.12.§. primo ſup. de furt. l. 30.C.de tranſact. Goth.

Meliorem] eſt enim iniquum, vt dolus proprius alteri noceat *l.39.l.49.ſup.eod.leg.155.inf. eod. Gothofr.*

Pertinet hæc L. ad actionem Paulianam, qua creditores geſta fraudationis cauſa reſcindunt, & reuocant. Nam eſt ei locus, ſi debitor ex bonis ſuis deminuerit aliquid, vel ſi delabi de re iam quæſita paſſus eſt, ſi ſeruitutem amittat non vtendo. Non eſt ei locus, ſi occaſione acquirendi non vtatur, vel ſi legatum non agnoſcat. *l. 5. quæ in fraud. credit.*

Ad §. Nemo ex ſuo.

Huius §. exemplum ſume ex *leg. ſi ab hoſtibus* 10. §. 1. *ſolut. matrim.* ſciendum eſt, dotem aduentitiam, mortua in matrimonio vxore, cedere lucro viri, & hoc iure noſtro comprobari poteſt. *l.15. de fundo dot. leg. Celſus 22. de relig. & ſumptib. fun. l. mulier. 20. de condit. inſtit. l. ſed & ſi poſt. 23. de euict. l. 5. de bon. damnat. l. vnic. C. ſi aduerſus dot.* ſpecies eius hæc eſt: Mortua vxore, cedebat dos lucro mariti: ſed ipſe maritus occidit vxorem: tum hæredibus vxoris repetitio dotis dabitur, non viro, quia non eſt æquum, eum ſuo delicto dotem lucrari. Nemo enim ex ſuo delicto meliorem ſuam con-

ditionem facere potest. *Cuiac. in Recitat. oper. posthum.*

Ad Leg. 135. Quæ dari nequeunt, vel in rerum natura non sunt.

EA, quæ dari impossibilia sunt, vel quæ in rerum natura non sunt, pro non adiectis habentur.

Impossibilia] vide *l.* 182. *l.* 185. *l.* 188. *inf. eod. l.* 35. *sup. de verborum obligat. Goth.*

Pro non adiectis] *v. leg.* 3 *sup. de condit. & demonstr.*

Sumatur exemplum ex *leg. si ita stipulatus* 97. *de verborum oblig.* species est. Stipulatus sum, *Te sisti.* Hæc est vna stipulatio. Subieci alteram; *Nisi sistas, hippocentaurum dari vel hominem liberum.* Hæc adiectio pro non scripta est. Inutilis adiectio non vitiat vtilem stipulationem, licet liber homo dari non possit. *l. liber homo eod. tit.* veluti nec hippocentaurus. Igitur hæ adiectiones inutiles sunt, & pro non adiectis habentur, salua manente principali obligatione, cui sunt adiectæ. *Cuia. in Recit. oper. posth.*

Ad Leg. 136. De bona fide possidentis. Et de veritate.

BOna fides tantundem possidenti præbet, quantum veritas, quoties lex impedimento non est.

Bona] ex *tit. de petit. hæred. aut rei vend.*

Fides]

Fides] id eſt probabilis ignorantia.
Tantundem] *l.5.§.2.ſup.de reb.eorum.*
Præbet] præſtat. *Goth.*
Impedimento non eſt] tali ignorantiæ ſcilic.
Legis huius exemplum tale ſumamus. Sicut domino datur vindicatio rei, ita & bonæ fidei poſſeſſori, cui tantum bona fides præſtat, quantum veritas, hoc eſt, dominium. Sed bonæ fidei poſſeſſori datur vindicatio Publiciana, quarum actionum eadem eſt poteſtas. Sicut verum eſt, poſſeſſorem teneri vindicatione directa; eum, qui dolo deſiit poſſidere, vtili. Sed paruum eſt diſcrimen: ideoque non male dicebamus ſupra *in l.* 131. dolum pro poſſeſſione eſſe: Datur autem bonæ fidei poſſeſſori vindicatio, quæ dicitur Publiciana, in iis rebus, quæ vſucapi poſſunt, vel etiam in iis, quæ licet vſucapi non poſſint, tamen longo tempore acquiri poſſunt, vt in prædiis vectigalibus *l. cum ſponſus* 12. §. *in vectigalibus* 2. *de Public. in rem act.* In aliis autem rebus, quæ vſucapi non poſſunt, Publiciana vſucapionem non habet, vt in re furtiua. Rei furtiuæ poſſeſſionem ſi quis nactus ſit bona fide, & amiſerit, non habet Publicianam: quia nec rem vſu ſuam facere poteſt. Lex enim 12. tabularum eſt impedimento, hoc eſt, inhibet vſucapionem rei furtiuæ. Præterea publiciana actione tantum tenetur, qui vſucapere, vel longo tempore ac-

quirere potest. *d. l. cum sponsus* 12. §. *si res* 4. *& l. siue autem* 9. §. *vlt. de public. in rem act.* Et hoc est, quod ait hæc lex, *Impedimento non esse.* Rei furtiuæ vindicationem bonæ fidei possessor non habet: rei tamen dominus eam habet. Sic non tantum valet bona fides, quantum veritas. Sed hoc etiam exemplum apponatur. Sicut res surrepta domino non ante potest vsucapi, quam sit reuersa ad dominum: sic res surrepta bonæ fidei possessori, non potest vsucapi, antequam sit reuersa ad bonæ fidei possessorem. *l.* 4 §. *si pupillus de vsucap. l. qui fundum* §. *si tutor. pro emptore.* Nam in iis locis, *pupillus non accipitur pro domino*, cum res propria pupilli non possit vsucapi: sed accipitur pro bonæ fidei possessore. Res autem aliena, quam pupillus bona fide possidet, potest vsucapi. Sic igitur tantum præstat, quantum veritas. Sic non est mirum, si dominus sæpe in libris nostris pro bonæ fidei possessore accipiatur. *Cuia. in Recit. posthum.*

Ad Leg. 137. Quis sit bonæ fidei possessor?

QVi authore Iudice comparauit, bonæ fidei possessor est.

Qui] ex *tit. de religios. leg. at si quis* §. *sed si adita.*

Authore] 2. *Eclog.* 3. *c.* 134. *l.* 167. *in fin. inf. eod. l.* 11. *sup. de acquir. possess.* secus si mala fide.

c. qui

c. qui contra 82. *de reg. in 6. vbi vide Dynum. l.* 27. *ſup. de contrahenda empt. Goth.*

Regulæ huius exemplum ſumamus ex *l. & ſi quis* 14. §. 1. *de relig. & ſumptib. fun.* cuius ſpecies eſt. Non eſt, vnde defunctus funeretur, & nondum adiit hæres: res tamen quædam apparent, quæ quibuſdam legatæ ſunt: res illæ vendi iubentur prætore authore, vt ex hac venditione funus comparetur. Melius eſt, vt de ſuo funus comparetur, quam vt quidam legata conſequantur. Quod ſi venditis rebus legatis ob cauſam funeris, hæres poſtea adeat, & conueniatur à legatariis, an auferre poteſt res legatas emptori? Minime; nec reſcinditur venditio facta Prætore authore: ſed debet hæres legatariis ſatisfacere, ſi poteſt, hoc eſt, ſi bona ſufficiant. Legatariis autem non tenetur hæres ſupra vires hæreditarias, imo nec ſupra dodrantem & Legem Falcidiam, & deducit æs alienum, antequam legata præſtentur. Igitur recte ait: *ſi poteſt hæres, debet indemnem reddere hæreditatem.* Sed ſi non poteſt, melius eſt, legatarium non lucrari, quam emptorem in damno verſari. Igitur non reſcinditur venditio facta Prætore authore. Sic miſſio facta Prætore authore, non continetur interdicto, Quorum legatorum. *l.* 1. §. *quæſitum eod.* Eo interdicto tenetur legatarius qui occupauit, qui occupauit rem legatam, non amittit legatum

propterea, sed rem, quam occupauit debet restituere hæredi. Sed quid, si legatarius missus sit in possessionem, legati seruandi causa, cum ei non caueretur, an tenetur hoc interdicto? Minime: qui authorem prætorem habet, nisi hæres offerat cautionem legati nomine: nam tunc credere debet. Iuste possidet, qui authore prætore possidet. *l. iuste. de acquir. possess. l. electio §. vlt. de nox. act. Cuiac. in Recitat. posthum.*

Ad Leg. 138. De aditione continuanda. De æstimatione delicti.

OMnis hæreditas, quamuis postea adeatur, tamen cum tempore mortis continuatur. §. Nunquam crescit ex post facto præteriti delicti æstimatio.

Continuatur] *l. 193. inf. eod. l. 54. sup. de acquir. hæred. l. 28. §. 4. sup. de stipul. seru. Goth.*

Ex post facto] *l. 9. sup. de furtis.*

Sensus regulæ est, Hæres, qui adit hæreditatem, videtur hæres extitisse ex tempore mortis defuncti: acquisitio & aditio retrotrahuntur, & iunguntur tempora aditionis & mortis, *l. hæres 54. de acquir. hæred. l. omnia fere iura inf. hoc tit.* Iura hæredum accipe actiue & passiue. Effectus regulæ duplex est, *in l. si ex re 38. §. vlt. de stipul. seru.* Vnus est ex iure ciuili: seruum hæredi-

reditarium ante aditam hæreditatem rectè ſtipulari hæredi futuro. Nam etiamſi poſtea adeat, retrotrahitur aditio, & videtur fuiſſe dominus ſtipulationis tempore. Alter effectus eſt ex iure pontificio: Hæredis familiam ex tempore mortis eſſe funeſtam. Ergo expiandam quibuſdam piaculis. Eſt & alius effectus *in l. ſi exhæredatus* 10. *de SCto Syllan.* Filio exhæredato occiſo, & poſt mortem deſtituto teſtamento, hoc eſt, repudiata hæreditate ab hærede ſcripto, de familia quæſtio habetur, quaſi domino occiſo: Nam videtur retro hæres extitiſſe mortis tempore. Male Accurſ. & cæteri confundunt cum hac regula illam, quæ dictat, Hæreditatem eſſe dominam, & vicem defuncti ſuſtinere. *l. non minus* 31. *de inſtit. hæred. l. hæreditas* 61. *de acquir. dom. l. denique* 13. §. *quæſitum* 5. *quod vi aut clam. l.* 1. §. 1. *ſi quis ex teſt. hæres extitiſſe.* quaſi vtriuſque regulæ eadem vis atque poteſtas ſit: quod adeo alienum à vero eſt, vt vna potius alteram ſubuertat, quod liquebit hoc modo. Sciendum eſt, ſeruum alienum non poſſe hæredem inſtitui, niſi ipſius dominus poſſit inſtitui hæres, & cum eo ſit teſtamenti factio. Inſtituitur ſeruus hæreditarius iacente hæreditate: cum eius domino fuit teſtamenti factio, cum hærede futuro non eſt teſtamenti factio. Hic ſeruus, ſi ſecundum regulam noſtram videtur retrotracta aditio hæredita-

reditatis fuisse, non est vtiliter institutus. Sed si constituas, hæreditatem iacentem pro domino, hæres erit vtiliter institutus. Et est verius, vtiliter institutum esse, quia cum defuncto, quem hæreditas repræsentat, fuit testamenti factio. Sic in hac specie præualet hæc regula, *Hæreditatem dominam esse:* qua de causa recte additur fere *in l. omnis* 193. *hoc tit.* sed hoc loco non admodum bene Interpretes tradunt, eum articulum additum propter *l. vsusfructus* 26. *de stipul. seru.* quod seruus hæreditarius non possit vsumfructum stipulari. Nam illa est potius exceptio huius regulæ, qua dicitur, Hæreditatem dominam esse. *d. l. hæreditas* 61. *de acquir. domin.* sed cum confundunt regulam, confundunt omnes exceptiones.

Ad §. Nunquam crescit.

Exemplum sumatur ex *l. sed si surripuit* 28. *de furt.* si debitor surripuerit Chirographum suo creditori, actione furti in tantum tenetur, quantum intersit creditoris, non esse surreptum Chirographum: quæ pœna dupli non crescit, etsi debitor id postea deleat: delendo nihil ad pœnam adiicit, quamuis delendo rursus furtum facere videatur; delet enim animo lucri faciendi. Sed ex post facto, delicti præteriti æstimatio nunquam crescit, sicut assidue

rem

rem ſurreptam contrectando, nihil adiicio ad pœnam *l.9.de furt. Cui. in Recit. poſth.*

Ad Leg. 139. De actionibus perpetuandis. De eo quod auferri poteſt.

OMnes actiones, quæ morte aut tempore pereunt, ſemel incluſæ iudicio ſaluæ permanent.§. Non videtur perfecte cuiuſq; id eſſe, quod ex caſu auferri poteſt.

Incluſæ] id eſt, conteſtatę *v.l.58.ſup.de oblig. l.vlt.ſup.de præſcript.30.annor. Goth.*

Principium huius Legis expoſitum eſt ſupra *in l.86.Cuiac.*

Ad §. Non videtur.

Vtamur exemplo *l.cum quis 38.§. qui hominem de ſolut.* Qui promiſit hominem generaliter, debet certum hominem dare, hoc eſt, perfecte accipientis facere. Nam in ſtipulationibus qui promittit, ſe daturum, perfecte eius facere, promittit. Finge: ſoluens Stichum ſtatuliberum, hoc eſt, cuius de libertate diſputatur, non liberatur: quia ex cauſa auferri ſtipulatori poteſt, hoc eſt, ex euentu conditionis, & exiſtente conditione. Quo ſenſu dicimus, *Caſu militiæ, aut ex caſu militiæ deberi: Mortuo milite, hæredem militis teneri.* Sic ex caſu dotem deberi, vel non deberi, hoc eſt, *in caſum diuortii vel*

tis vel mortis vxoris. Ait hæc lex: perfecte, quod *l. Neratius* 63. *de condict. indebiti* dixit, *in plenum.* id veteres etiam dixerunt in plenum. Sic etiam si promissor rem pignori obligatam non liberat. *l. si rem meam* 20. *de solut.* Ergo is, qui statuliberum soluit, videtur perfecte eius non fecisse. Ideoque soluendo eum, non liberatur, qui soluere debuit rem, quæ eius fuit ad plenum. Cæterum eum potest vendicare & alienare: & fundo pignori obligato, potest imponere seruitutem, etsi obligatus sit Fisco. *leg. plerumque* 205. *h. t.* cum qua iunge *l. alienato* 67. *de contrahend. empt. l. non ideo* 66. *de rei vindic.* seruus legatus sub conditione, non est hæredis perfecte, quia ex causa auferri potest. Sed recte vindicabitur, ab hærede interim, imo & alienabitur: frustra tamen. Nam existente conditione, legatario vindicatio competit. *l. seruo* 69. §. *si seruum* 1. *de legat.* 1. frustra etiam manumittet *l. seruus* 3. *de manumiss.* Idemque hodie est in legatis & fideicommissis conditionalibus. *l. vlt. C. communia de legat.* Cui. in *Recit. posth.*

Ad Leg. 140. De absentia Reipub. causa.

ABsentia eius, qui Reipublicæ causa abest, neque ei, neque alii damnosa esse debet.

Qui] *2. ecl. 3. cap.* 137. *l.* 22. §. 1. *sup. ex quibus causis maiores.*

Abest] seruus abesse ita non potest. *l. vlt. inf. eod.*

tod. Vulgaris eſt interpretatio, hanc legem eſſe rationem dandæ actionis reſciſſoriæ, & reſtitutoriæ, non tantum abſentibus, ſed etiam contra abſentes, vt dicitur nominatim *leg.1.in princip.ex quib.cauſ.maior. Cuia.in Recit.*

Ad Leg.141. De iure ſingulari. De hærede.

QVod contra rationem iuris receptum eſt, non eſt producendum ad conſequentia.

§. 1. Vni duo proſolido hæredes eſſe non poſſunt.

Quod] ex *tract.de vſur.vid. etiam l.quod vero de legibus. Pac.*

Contra] *l.14.l.15.ſup.de legib.cap.quod ob gratiam 61.de regulis in 6.* τὰ παρὰ κανόνας *2.ecl.3.cap.138. Gothofr.*

Conſequentia] Cōſequentias vulgat. εἰς ὅμοια. *2.ecl.3.cap.138.* ſimilia.

Solido] Duorum in ſolidum dominium eſſe non poteſt, *l.5.§.vlt.ſup.Commodati.l.3 §.5.ſup. de acquir.poſſeſſ.l.19.ſup.de precario.Goth.*

Contra ratioñe iuris receptum eſſe dicimus, quod eſt receptum iure ſingulari, neceſſitatis, vel vtilitatis gratia, quod eſt receptum contra ius commune, iure ſingulari, fauore libertatis. Receptum eſt, libertatem fideicommiſſariam à filio relictam, cum erit quatuordecim anno-

annorum, & defuncto ante eam ætatem, ab hærede filii præstituta die debetur. Quod est contra rationem iuris. Nam videtur defecisse conditio libertatis, quia non peruenit ad eam ætatem: hoc igitur non porrigemus ad certa fideicommissa. *l. fideicommissaria 23. §. etiam 3. de fideicommiss. libert.* Item iure singulari receptum est, vt mutuum contrahatur, si à debitore meo mea voluntate pecuniam acceperis. *l. singularia 15. de reb. cred. l. qui negotia. 34. mandati.* quod etiam est contra rationem iuris, quæ exigit in mutuo, vt mea pecunia fiat tua, pecunia autem mihi debita, non est mea. Vlpianus tamen *in l. rogasti. 11. de reb. cred.* trahit id ad consequentiam: Si pecuniam mihi debitam tibi traditam volo, quod refellit Africanus *in d. l. qui negotia.* Quia quod benigne receptum est, non est producendum ad consequentiã. Id benigne receptum in priore specie tantum, non est igitur producendum ad aliam speciem. Ius ciuile producitur facile ad consequentiam, quod in paribus causis æquitas paria iura desiderat. *l. non possunt 12. cum leg. seq. de legibus.* at ius singulare non producitur ad consequentiam; hinc quæ à pari ex iure singulari ducuntur argumenta, vitiosa sunt, licet videantur ex arte profecta. Quæ regula repetitur *in l. quod vero 14. de legibus.* Et idem est sensus *l. qua propter 162. inf. eod. tit.* Necessitati quandoque succum-

cumbimus. *l. penult.* §. *vlt. de excuſa. tut.* Et propter neceſſitatem quandoque recedimus à ratione iuris, quod non debet trahi ad conſequentias, ſed id ad ſuam ſpeciem coanguſtare debemus, etiamſi euidenter ſimilitudo ad alia porrigi poſtulet. *Et in d. l. quæ ꝓpter* 162. Accurſius recte citat *l. item quamuis* 10. §. 1. *& penult. comm. diuid.* Quæ lex oſtendit, propter neceſſitatem, tollendæ ſcil. controuerſiæ cauſa vſum nudum rei communis vni totum adiudicari, quia non diuiditur vſus, ita tamen vt is mercedem præſtet alteri pro ſua parte, qui & ipſe hoc modo videbitur vti, mercedem percipiendo: quia plus videtur facere, imo frui mercedem ſuſcipiendo; Hæc autem iuris ratio non permittit. Igitur vſus neque vendi, neque locari poteſt ab vſuario: vti tamen poteſt, non compendium, aut lucrum facere. Igitur non videtur iudex communi diuidundo, qui debuit diuidere, vni totum adiudicare vſum potuiſſe; ſed propter neceſſitatem hoc à Prætore comprobabitur, & is emendabit, hoc eſt, ſupplebit.

Ad §. *Vni duo, &c.*

Poſterior ſententia legis eſt, vni duo pro ſolido hæredes eſſe non poſſunt, hoc eſt, non ſunt duo hæredes vnius hominis, vnius rei, vnius hæreditatis, quia vnius hominis duæ hæ-

reditates esse non possunt. *l. Iurisperitos 30. de excusat. tut.* Vnius autem rei non possunt esse duo domini in solidum. *l. 5. §. si duobus commod. l. penult. §. 1. de castr. pecul.* Ergo vnius hominis duo hæredes esse non possunt in solidum; sed sunt hæredes pro partibus singulis, si nullæ sunt partes adscriptæ. *l. quoties 9. §. haeredes 12. de hared. instit. Cui. in Recit. posthum.*

Ad Leg. 142. De eo qui tacet.

QVi tacet, non vtique fatetur; sed tamen verum est, eum non negare.

Qui] Ex tit. *de confessis.*

Tacet] *c. is qui tacet 44. de reg. in 6. 2. ecl. 3. cap. 139.* Nazianzenus καὶ τὴν σιωπὴν συγκατάθεσιν εἶναι δοκεῖ καὶ ἡ παροιμία. V. *Cuiac. 16. obser. vlt.* Consentit, qui non repugnat. *l. 12. sup. de sponsalib. 4. Harmen.* 1. non tamen consentit continuo, qui exceptione vtitur. *l. 8. sup. de except.* Consentimus aut expresse, aut tacite, hinc illa velle, non nolle. *l. 4. sup. eod. Goth.*

Fatetur] vnde *Cic. in Catil.* quid expectas, inquit, loquentium auctoritatem, quorum voluntatem tacitorum perspicis? *Pac. h.* Vel eo ipso quod tacet, nec roganti aut loquenti contradicit. *Got.*

Negare] quia non palam contradicit.

Effectus est huius regulæ coniunctæ cum *l. 1. de confess.* Confessus pro iudicato habetur;

Con-

Confeſſus eſt, qui confitetur, vel cum, vel ſine interrogatione, qui confitetur in iure, vel in iudicio, confeſſus ergo pro iudicato eſt. Ergo non tenetur propria quadam actione; quod Paulus tradit ſecundo Sententiarum lib. ſed tenetur ea actione, de qua confeſſus eſt. Quod ſi confeſſus ſit, ſe occidiſſe, tenebitur actione legis Aquiliæ, quæ vocatur confeſſoria: cuius hoc eſt proprium, vt non agatur rei iudicandæ cauſa, cum iudicata æſtimetur, ſed æſtimandæ. *l. inde Neratius 23. §. vlt. l. proinde 25. ad L. Aquil.* Et ſciendum eſt, eam actionem Legis Aquil. in confitentem eſſe in ſimplum, in negantem in duplum. Quod ſi quis tacuerit, an is, qui tacet, conſentire videtur? Minime; ideoque nec tenetur actione confeſſoria, nec inficiatoria, quaſi videatur negare; nam videtur negaſſe. Quamobrem ob taciturnitatem actio Legis Aquiliæ non creſcit in duplum: Idemque dicendum eſt in cæteris actionibus, quæ inficiatione non ſolent creſcere. Cæterum, qui tacet, nec pro confeſſo, nec pro inficiante habetur. Confeſſus pro iudicato habetur, ſi diſerte confeſſus eſt. Inficiator in duplum damnatur, ſi palam inficiatus ſit; Huic regulæ locus non eſt in edicto, De interrogationibus in iure faciendis; qui titulus hoc ipſo diſtat à titulo de confeſſis, quod titulus de confeſſis pertineat ad eos, qui vltro fatentur, titulus vero, De inte-

terrogationibus ad eos, qui interrogati à Prætore, vel aduersario, instante Prætore, coguntur respondere. Hi ex confessione sua, vel mendacio tenentur actione interrogatoria; si confitentur, constat eos teneri, si negant falso, hanc mendacii pœnam ferunt, vt in solidum teneantur. *l. de ætate* 11. §. *si cum esset* 2. *l. si seruum.* 16. *de interrogat. in iur. faciend.* Quid dicemus, si interrogatus à Prætore, tacuerit? Hic etiam tenetur in solidum, quasi contumax; quia, qui non respondet, contumax est, hoc est, Prætoris auctoritatem spernit, ideoque contumaciæ pœnam feret, vt si negasset, *d. l. de ætate.* §. *qui tacuit* 4. *&* §. *nihil interest* 6. *d. titul. l. non solum* 39. *de procurator.* Contumax est, qui prætori non respondet, & superbus est, qui alii non respondet. Eadem ratione in cessione in iure tacens neganti comparatur. Gaius 2. *Instit.* Est & alia differentia inter titulum de confessis, & titulum *de interrog. in iure faciend.* Nam ille pertinet ad eos, qui veluti conuenti incerti condictione fatentur se debere; qui conuenti actione *Leg. Aquil.* fatentur, se occidisse, vel vulnerasse; Qui conuenti rei vindicatione fatentur, rem suam non esse: Hic vero pertinet ad eos, qui fatentur; vt qui fatetur, se hæredem esse ex semisse; qua ex re actor cognoscit, se tantum agere pro semisse, & vero necesse est, vt actor de eo certioretur ne incidat in periculum

plus

plus petitionis, qua de cauſa interrogationes & reſponſiones in iis cauſis ſunt neceſſariæ; Tacens eſt contumax, & habetur pro negante, & tenetur in ſolidum. Itaque hæc regula non pertinet ad *tit. de interrogat. in iure faciend.* ſed ad *tit de confeſſis.* ex quo confeſſus habetur pro iudicato, ſed ſi propalam ſit confeſſus, non ſi tacuerit; Nam etſi habeatur pro confeſſo, qui mortem ſibi conſciuit, aut actori pretium dedit; tamen non habetur pro damnato. *l. eius* 29. *de iure fiſci. l. qui rei poſtulat.* 3. *de bon. eorum, qui ante ſentent.* Alia quæſtio eſt, an, qui tacet, conſentire videatur? Idem non eſt tacere & conſentire; In ſuperiore quæſtione taciturnitas, modo negationem, modo confeſſionem imitatur, & in *tit. de interrogat.* modo nullum conſenſum, modo neutrum. *l. item quæritur.* 13. §. *vlt. locati.* In hac autem quæſtione conſenſum imitatur taciturnitas, in iis ſcil. cauſis, in quibus voluntas exquiſita non requiritur. *l.* 3. & 4. *ſup. h. tit. Cuiac. in Recit.*

Ad Leg. 143. De contrahentibus & eorum ſucceſſoribus.

QVod ipſis, qui contraxerunt, obſtat, & ſucceſſoribus eorum obſtabit.

Succeſſoribus] *l.* 52. §. 1. *ſup. de pact. l.* 37. *ſup. de acquir. hæred.* hinc illa regula, Reſoluto iure

dantis, resoluitur ius accipientis & habentis ab eo causam. *v.l.2. C. pignus pignori.* *adde l.* 160. *in fin. inf. eod. Gothof.* Explicationem huius legis vide sup. *in l.* 54. vbi dixi. *Cuiac.*

Ad Leg. 144. *De licito & honesto: De tempore in stipulationibus spectando.*

NOn omne, quod licet, honestum est. §. In stipulationibus id tempus spectatur, quo contrahimus.

Non] Coniunge *l. si filiusfam.* 68. *de verb. obligat. Pac.*

Omne] *l.* 197. 2. *Ecl.* 3. *c.* 140. Exemplum vide in *l.* 14. §. 2. *sup. de ritu. Goth.*

Licet] i. impunitum legibus: Cum Iulia Nouerca Bassiani ei sinum nudasset, vellem, inquit, si liceret, at illa, si libet licet, an nescis Imperatorem leges dare, non accipere.

Honestum] Exemp. vide *in l.* 27. *in fin. sup. de hared. petit. l.* 1. *in fin. sup. de periculo.* tanta est honesti ratio; hinc turpis persona, *vide l.* 27. *sup. de inofficioso.* Conditio. *l.* 112. §. 3. *sup. de legat.* 1. *l.* 63. §. 7. *sup. ad Trebell.* Vita. *l.* 43. §. 5. *sup. de ritu.* arbiter. *l.* 9. §. 3. *sup. de arbitr.* turpiter datum, *sup. de condict. ob turp. Gothof.*

Est] Vel vtile πάντα μοι ἔξεστιν, ἀλλ᾽ οὐ πάντα συμφέρει; πάντα μοι ἔξεστιν, ἀλλ᾽ οὐ πάντα οἰκοδομεῖ. 1. *Corint.* 10. *vers.*

10. *verſ.*23. *& cap.*6. *verſ.*12. & Siracus *cap.*37. *verſ.*31. οὐ γὰρ τὰ πάντα πᾶσι συμφέρει, καὶ οὐ πᾶσα ψυχὴ ἐν παντὶ εὐδοκιμεῖ. *Goth.*

Stipulationibus] *l.*18.*ſup.eod.vide l.*78.*in fin. ſup.de verb.ob.* Licet habere concubinam, ſed non honeſtum eſt, *l. probrum* 41. *de ritu nupt.* licet dare meretrici, ſed non honeſtum eſt. *l.*4. §.1.*de condict. ob turp.cauſ.* hæc non prohibentur ob ſolam cauſam honeſtatis. Quædam tamen ſunt, quæ prohibentur ob ſolam honeſtatis rationem; eo referenda eſt regula; Non omne, quod licet, honeſtum eſt: hoc eſt, non non omne, quod licet, eſt permittendum. Nam in nuptiis naturale ius & pudor ſpectatur, non ciuile ius *leg. adoptiuus* 14. §.2.*de ritu nupt.* Boni mores, non leges: quod honeſtum eſt, non quod licet. *l.*197.*inf.hoc tit.* ſemper in coniunctionibus, hoc eſt in nuptiis. Poſt diuortium ab vxore ex alio ſuſceptam filiam mihi ducere licet, ſed non eſt honeſtum. Ergo ab eiuſmodi nuptiis abſtinendum eſt. §.*ſi vxor. Inſtit. de nuptiis.* Male Bulgarus: licere contrahentibus ſe inuicem decipere, non tamen decere. Nam honeſtum eſt cum dicatur, licere naturaliter. *l.item ſi pretio* 22. §.*vlt. & l.ſeq.locati.* Vendere licet pluris, ſi poſſum, Bulgarus tamen non debuit dicere, decipere; nam ſignificat dolum, ſed circumuenire, circumſcribere, quo ſignificatur fraus, quæ eſt in re ipſa;

Dolus debet abesse in contractu: non licet mihi dolo te inducere, vt mihi vendas minoris, sed detracto dolo, possunt se circumscribere contrahentes. Redeamus ad nuptias: licet ducere consobrinam, vel defunctæ vxoris sororem, honestum tamen non est. Ergo inhibendum, sic pleraque, quæ iure ciuili licent, iure Prætorio emendantur, quasi minus honesta, vt licet rem meam vendere, etiamsi fraudentur creditores: & tamen rescinditur venditio iure Prætorio. Licet vsucapere rem absentis metus causa, & vero res mea fit vsucapione: rescinditur tamen vsucapio ex iure Prætorio, *ex tit. quib. ex caus. maior.*

Ad §. In stipulationibus, &c.

Quæ ad hunc §. *spectant tradita sunt sup. in l. 13. & l. 115. Cui. in Recit.*

Ad Leg. 145. An quis fraudari dicatur.

NEmo videtur fraudare eos, qui sciunt & consentiunt.

Nemo] Ex tit. *qua in fraud. Creditorum.*

Sciunt] *c. scienti & consentienti 27. de reg. in 6. 2. ecl. 3. c. 41. l. 1. in fin. sup. de act. empt. l. 24. §. 9. sup. de adilitio. l. 1. §. 3. sup. depositi l. 1. in fin. supr. quod falso tutore:* & hæc quidem locum habere existi-

exiſtimo, in ſciente ſimul, & conſentiente. *Gothofr.*

Conſentiunt] *l.11. ſup. ſi quid in fraud. patroni.* & volunt *l. 11. in fin. ſup. de in ius vocando l. 1. §. 5. ſup. de iniuriis. l. 8. §. 5. ſup. de aqua pluu. l. 3. §. 5. ſup. de homine libero*, voluiſſe intelligitur, qui aduerſus ſe aliquid ſcripſit. *leg. 8. §. 6. ſupr. eod. Gothofr.*

Pertinet ad actionem Paulianam, & eſt refert ta ex *leg. 6. §. præterea, quæ in fraud. cred.* & locum habetur in actionibus, Pauliana, Fabiana, & Caluiſiana. Si quid libertus geſſerit conſentiente patrono, non eſt ſatis, ſcire, ſed conſentire eſt neceſſe. *leg. non videtur ſi quid in fraud. patroni. leg. 9. de aq. pluu. arc. Cuiac. in Recitat.*

Ad Leg. 146. De eo quod quis egit ante libertatem.

QVod quis, dum ſeruus eſt, egit, proficere libero facto non poteſt.

Proficere] *l. 98. §. vlt. de ſolut. Et nocere vide leg. 1. & paſſim tit. Codicis an ſeruus ex ſuo facto. Gothofr.*

Ait proficere; addatur, vel nocere, quod ſeruus egit in ſeruitute, id poſt libertatem neque prodeſt ei, neque nocet, vt ſi ſeruus ante conditionem libertatis exſiſtens, pactus ſit cum

creditoribus hæreditariis, pactum non prodest; ideo non datur exceptio pacti, sed doli, *l. Iurisgent.* 7. §. *penult. de pact.* Eadem regula constituitur in filiofamilias. Nam quod ante manumissionem egit, nihil prodest, vel nocet. Verbum egit refertur ad contractum & pactum. Nam ex delicto in seruitute commisso seruus tenetur. Sed de hac regula & eius vitiis est tit. *Cod. an seruus post manumiss. pro suo facto teneatur. Cuia. in Recit.*

Ad Leg. 147. De generalibus & specialibus.

SEmper specialia generalibus insunt.

Specialia] *v. l.* 80. *l.* 113. *sup. eod.* 2. *ecl.* 3. *cap.* 141. species inest suo generi, inest, id est, comprehenditur *c. generi per speciem derogatur* 34. *de reg. in* 6. *Goth.*

Vide *sup. in l.* 110. vbi tractatum est quod huc pertinet. *Cuiac.*

Ad Leg. 148. De eo, cuius effectus omnibus prodest.

CVius effectus omnibus prodest, eius & partes ad vniuersos pertinent.

Cuius] ex tit. *de reb. auth. iud. possid.*

Eius] Qui omnibus prospicit, nullos excipit, hinc, qui totum restituere tenetur vindicanti,

canti, nullam partem retinere debet. *adde l. 67. ſup. de rei vind.* Qui totum alienat, nullam partem retinet. *l. 25. ſup. de vſur.* Qui omnes ſeruos legat, nullum excipit. *l. 52. ſup. de leg. Goth.*

Pertinent] Hinc colligunt, idem ius eſſe in parte quod in toto *arg. l. 82. ſupr. de acq. hæred. cuius reg. 4. except. vid. hic apud Dec.* Nihil eorum quæ tradunt Interpretes, conuenit huic regulæ: Nos vtamur hoc exemplo, vno creditore miſſo in poſſeſſionem rei ſeruandæ cauſa, vel poſsidere iuſſo, eius rei effectus omnibus prodeſt. Nam miſsio poſſeſſionis fit in rem, non in perſonam, & poſsidere iuſſus, poſsidet omnibus. *l. is qui §. ſi plures. vt in poſſeſſ. leg. cauſ. leg. cum vnus 12. de rebus aut. iud. poſſid.* Creditor fructus reſtituere debet *l. Prætor 9. §. his verbis 3. l. creditor 14. d. tit.* Cum igitur effectus rei eius proſit omnibus, impenſæ etiam pertinent ad omnes: hoc eſt, ſi vnus miſſus ſit, & impenderit neceſſaria, vt ſi fulcierit ædificia, ad omnes pertinet, quia commune negocium geſsit. *d. l. Prætor 9. §. generaliter, 4. d. tit.* cuius rei pars eſt, vt communiter omnia onera ſuſtineant. *Cui. in Recit.*

Ad Leg. 149. De lucro ex perſona alterius.

EX qua perſona quis lucrum capit, eius factum præſtare debet.

Lucrum]

Lucrum] *l. 10. sup. eod. l. 10. sup. si quis omissa causa l. 13. §. 1. sup. de acq. possess. l. 14. sup. de rei vindicat.*

Debet] Excipe donatarios, *l. 15. C. de donat.* & eos qui succedunt facto inuentario, nec enim factum defuncti præstant. Decius *hic nu. 2. Gothofr.*

Eadem est sententia huius legis, quæ superioris. Factum scilicet defuncti *l. si Titio 22. de pignor. l. 3. & l. 5. de rei [illegible] non alienan. l. cum autem fundi 52. De rei [illegible] abeo de li. caus.* Vt si defunctus rem hæ[illegible] obligauerit, id pignus tanquam a[illegible] valet, sed cum dominus rei hæres extiterit, [illegible]m habere debet. Aliud exemplum peti p[illegible]st ex lege *si non solum 10. si quis omiss. caus.* [illegible] *Cuiac. in Recitat.*

Ad Leg. 150. De eo qui possidet, vel ha[illegible] aut dolo desiit possidere, vel habere.

PArem esse conditionem oportet eius, qui quid possideat, vel habeat: atque eius, cuius dolo malo factum sit, quo minus possideret vel haberet.

Parem] Ex tractatu interdictorum.

Cuius dolo malo] *vid. l. 131. sup. eod. l. 2. §. 42. sup. ne quid in loco publico.*

Hæc

Hæc lex iam explicata eſt ſupra *l.* 131 *Cuiac.*

Ad Leg. 151. De damno.

NEmo damnum facit, niſi qui id fecit, quod facere ius non habet.

Ex tit. *ne quid in loco publico*, vbi mentio fit damni.

Quod facere ius non habet] Damnum dare eſt iniuriam facere. *l.* 1. §. 10. 11. *ſup. ne quid in loco publico.* vi facit, qui facit iniuriam. *l.* 73. §. 2. *ſup. eod.* vim non facit, qui ſuo iure vtitur. *l.* 155. *inf. eod.* qui iniuria quid facit, punitur: è contra, factum legitime, pœnam non meretur. *l.* 6. *C. de adulteriis. vid. Goth.*

Pertinere videtur hæc regula ad legem Aquiliam. Nam etſi damnum facere dicamus aliquando pro pati, tamen hoc loco dare intelligitur. *l.* 30. *ad leg. Aquiliam.* Is porro videtur damnum facere, hoc eſt dare, qui id facit, quod facere ius non habet: vt ſi quid violentius fecerit magiſtratus aduerſus ſe defendētem acrius: vel qui ſuam attrectantem vxorem occiderit, non tenetur l. Aquilia. Et hoc in l. Aquilia eſt euidentiſsimum: cum ſit additum, contra ius. Et cum actio legis Aquiliæ ſit iniuria damni dati, propriȩ tamen, ſicut ſuperior regula, pertinet ad interdictum, ne quid in loco publico. *Cuia. in Recit. hic.*

Ad

terrogationibus ad eos, qui interrogati à Prætore, vel aduersario, instante Prætore, coguntur respondere. Hi ex confessione sua, vel mendacio tenentur actione interrogatoria; si confitentur, constat eos teneri, si negant falso, hanc mendacii pœnam ferunt, vt in solidum teneantur. *l. de ætate* 11. §. *si cum esset* 2. *l. si seruum.* 16. *de interrogat. in iur. faciend.* Quid dicemus, si interrogatus à Prætore, tacuerit? Hic etiam tenetur in solidum, quasi contumax; quia, qui non respondet, contumax est, hoc est, Prætoris auctoritatem spernit, ideoque contumaciæ pœnam feret, vt si negasset, *d. l. de ætate.* §. *qui tacuit* 4. & §. *nihil interest* 6. *d. titul. l. non solum* 39. *de procurator.* Contumax est, qui prætori non respondet, & superbus est, qui alii non respondet. Eadem ratione in cessione in iure tacens neganti comparatur. Gaius 2. *Instit.* Est & alia differentia inter titulum de confessis, & titulum *de interrog. in iure faciend.* Nam ille pertinet ad eos, qui veluti conuenti incerti condictione fatentur se debere; qui conuenti actione *Leg. Aquil.* fatentur, se occidisse, vel vulnerasse; Qui conuenti rei vindicatione fatentur, rem suam non esse: Hic vero pertinet ad eos, qui fatentur; vt qui fatetur, se hæredem esse ex semisse; qua ex re actor cognoscit, se tantum agere pro semisse, & vero necesse est, vt actor de eo certioretur ne incidat in periculum

plus

plus petitionis, qua de cauſa interrogationes & reſponſiones in iis cauſis ſunt neceſſariæ; Tacens eſt contumax, & habetur pro negante, & tenetur in ſolidum. Itaque hæc regula non pertinet ad *tit. de interrogat. in iure faciend.* ſed ad *tit de confeſſis.* ex quo confeſſus habetur pro iudicato, ſed ſi propalam ſit confeſſus, non ſi tacuerit; Nam etſi habeatur pro confeſſo, qui mortem ſibi conſciuit, aut actori pretium dedit; tamen non habetur pro damnato. *l. eius 29. de iure fiſci. l. qui rei poſtulat. 3. de bon. eorum, qui ante ſentent.* Alia quæſtio eſt, an, qui tacet, conſentire videatur? Idem non eſt tacere & conſentire; In ſuperiore quæſtione taciturnitas, modo negationem, modo confeſſionem imitatur, & in *tit. de interrogat.* modo nullum conſenſum, modo neutrum. *l. item quæritur. 13. §. ult. locati.* In hac autem quæſtione conſenſum imitatur taciturnitas, in iis ſcil. cauſis, in quibus voluntas exquiſita non requiritur. *l. 3. & 4. ſup. h. tit. Cuiac. in Recit.*

Ad Leg. 143. De contrahentibus & eorum ſucceſſoribus.

QVod ipſis, qui contraxerunt, obſtat, & ſucceſſoribus eorum obſtabit.

Succeſſoribus] *l. 52. §. 1. ſup. de pact. l. 37. ſup. de acquir. hæred.* hinc illa regula, Reſoluto iure

dantis,resoluitur ius accipientis & habentis ab eo causam. *v.l.2. C. pignus pignori.* *adde l.* 160. *in fin.inf.eod.Gothof.* Explicationem huius legis vide sup. *in l.*54. vbi dixi. *Cuiac.*

Ad Leg.144. De licito & honesto: De tempore in stipulationibus spectando.

NOn omne,quod licet,honestum est.

§. In stipulationibus id tempus spectatur,quo contrahimus.

Non]Coniunge *l.si filiusfam.68. de verb. obligat.Pac.*

Omne]*l.*197.2.*Ecl.*3.*c.*140. Exemplum vide in *l.*14.§.2.*sup. de ritu. Goth.*

Licet]i.impunitum legibus: Cum Iulia Nouerca Bassiani ei sinum nudasset, vellem, inquit,si liceret,at illa,si libet licet,an nescis Imperatorem leges dare,non accipere.

Honestum] Exemp. vide *in l.27.in fin.sup. de hared.petit.l.1.in fin.sup.de periculo.* tanta est honesti ratio;hinc turpis persona, *vide l.27.sup. de inofficioso.* Conditio.*l.*112.§.3.*sup. de legat.*1. *l.*63. §.7.*sup.ad Trebell.* Vita.*l.*43.§.5.*sup.de ritu.* arbiter. *l.*9.§.3.*sup. de arbitr.* turpiter datum, *sup.de condict.ob turp.Gothof.*

Est]Vel vtile πάντα μοι ἔξεστιν, ἀλλ᾽ οὐ πάντα συμφέρει; πάντα μοι ἔξεστιν, ἀλλ᾽ οὐ πάντα οἰκοδομεῖ. 1. *Corint.* 10. *vers.*

10. *verſ.*23. & *cap.*6. *verſ.*12. & Siracus *cap.*37. *verſ.*31. οὐ γὰρ τὰ πάντα πᾶσι συμφέρει, καὶ οὐ πᾶσα ψυχὴ ἐν παντὶ εὐδοκιμεῖ. *Goth.*

Stipulationibus] *l.*18.*ſup.eod.vide l.*78.*in fin. ſup.de verb.ob.* Licet habere concubinam, ſed non honeſtum eſt, *l. probrum* 41. *de ritu nupt.* licet dare meretrici, ſed non honeſtum eſt. *l.*4. §.1.*de condict. ob turp.cauſ.* hæc non prohibentur ob ſolam cauſam honeſtatis. Quædam tamen ſunt, quæ prohibentur ob ſolam honeſtatis rationem; eo referenda eſt regula; Non omne, quod licet, honeſtum eſt: hoc eſt, non omne, quod licet, eſt permittendum. Nam in nuptiis naturale ius & pudor ſpectatur, non ciuile ius *leg. adoptiuus* 14. §.2.*de ritu nupt.* Boni mores, non leges: quod honeſtum eſt, non quod licet. *l.*197.*inf.hoc tit.* ſemper in coniunctionibus, hoc eſt in nuptiis. Poſt diuortium ab vxore ex alio ſuſceptam filiam mihi ducere licet, ſed non eſt honeſtum. Ergo ab eiuſmodi nuptiis abſtinendum eſt. §.*ſi vxor. Inſtit. de nuptiis.* Male Bulgarus: licere contrahentibus ſe inuicem decipere, non tamen decere. Nam honeſtum eſt cum dicatur, licere naturaliter. *l.item ſi pretio* 22. §.*vlt.* & *l.ſeq.locati.* Vendere licet pluris, ſi poſſum, Bulgarus tamen non debuit dicere, decipere; nam ſignificat dolum, ſed circumuenire, circumſcribere, quo ſignificatur fraus, quæ eſt in re ipſa;

V 4 De-

Dolus debet abesse in contractu: non licet mihi dolo te inducere, vt mihi vendas minoris, sed detracto dolo, possunt se circumscribere contrahentes. Redeamus ad nuptias: licet ducere consobrinam, vel defunctæ vxoris sororem, honestum tamen non est. Ergo inhibendum, sic pleraque, quæ iure ciuili licent, iure Prætorio emendantur, quasi minus honesta, vt licet rem meam vendere, etiamsi fraudentur creditores: & tamen rescinditur venditio iure Prætorio. Licet vsucapere rem absentis metus causa, & vero res mea fit vsucapione: rescinditur tamen vsucapio ex iure Prætorio, *ex tit. quib. ex caus. maior.*

Ad §. In stipulationibus, &c.

Quæ ad hunc §. *spectant tradita sunt sup. in l. 13. & l. 115. Cui. in Recit.*

Ad Leg. 145. An quis fraudari dicatur.

NEmo videtur fraudare eos, qui sciunt & consentiunt.

Nemo] Ex tit. *qua in fraud. Creditorum.*

Sciunt] *c. scienti & consentienti* 27. *de reg. in 6. 2. ecl. 3. c. 41. l. 1. in fin. sup. de act. empt. l. 24. §. 9. sup. de ædilitio. l. 1. §. 3. sup. depositi l. 1. in fin. supr. quod falso tutore*: & hæc quidem locum habere existi-

exiſtimo, in ſciente ſimul, & conſentiente. *Gothofr.*

Conſentiunt] *l.11.ſup.ſi quid in fraud. patroni.* & volunt *l. 11.in fin.ſup. de in ius vocando l.1. §5.ſup. de iniuriis. l.8.§.5.ſup. de aqua pluu. l.3.§. 5.ſup. de homine libero*, voluiſſe intelligitur, qui aduerſus ſe aliquid ſcripſit. *leg. 8. §. 6. ſupr. eod. Gothofr.*

Pertinet ad actionem Paulianam, & eſt repet ta ex *leg. 6. §.præterea, quæ in fraud. cred.* & locum habetur in actionibus, Pauliana, Fabiana, & Caluiſiana. Si quid libertus geſſerit conſentiente patrono, non eſt ſatis, ſcire, ſed conſentire eſt neceſſe. *leg. non videtur ſi quid in fraud. patroni.leg. 9. de aq. pluu. arc. Cuiac. in Recitat.*

Ad Leg.146. De eo quod quis egit ante libertatem.

QVod quis, dum ſeruus eſt, egit, proficere libero facto non poteſt.

Proficere] *l.98. §. vlt. de ſolut. Et nocere vide leg.1. & paſſim tit. Codicis an ſeruus ex ſuo facto. Gothofr.*

Ait proficere; addatur, vel nocere, quod ſeruus egit in ſeruitute, id poſt libertatem neque prodeſt ei, neque nocet, vt ſi ſeruus ante conditionem libertatis exſiſtens, pactus ſit cum

creditoribus hæreditariis, pactum non prodest; ideo non datur exceptio pacti, sed doli, *l. Iurisgent.* 7. §. *penult. de pact.* Eadem regula constituitur in filiofamilias. Nam quod ante manumissionem egit, nihil prodest, vel nocet. Verbum egit refertur ad contractum & pactum. Nam ex delicto in seruitute commisso seruus tenetur. Sed de hac regula & eius vitiis est tit. *Cod. an seruus post manumiss. pro suo facto teneatur. Cuia. in Recit.*

Ad Leg. 147. De generalibus & specialibus.

SEmper specialia generalibus insunt.

Specialia] *v. l. 80. l. 113. sup. eod.* 2. *ecl.* 3. *cap.* 141. species inest suo generi, inest, id est, comprehenditur *c. generi per speciem derogatur* 34. *de reg. in* 6. *Goth.*

Vide *sup. in l.* 110. vbi tractatum est quod huc pertinet. *Cuiac.*

Ad Leg. 148. De eo, cuius effectus omnibus prodest.

CVius effectus omnibus prodest, eius & partes ad vniuersos pertinent.

Cuius] ex tit. *de reb. auth. iud. possid.*

Eius] Qui omnibus prospicit, nullos excipit, hinc, qui totum restituere tenetur vindicanti,

canti, nullam partem retinere debet. *adde l. 67. sup. de rei vind.* Qui totum alienat, nullam partem retinet. *l. 25. sup. de vsur.* Qui omnes seruos legat, nullum excipit. *l. 52. sup. de leg. Goth.*

Pertinent] Hinc colligunt, idem ius esse in parte quod in toto *arg. l. 82. supr. de acq. hered. cuius reg. 4. except. vid. hic apud Dec.* Nihil eorum quæ tradunt Interpretes, conuenit huic regulæ: Nos vtamur hoc exemplo, vno creditore misso in possessionem rei seruandæ causa, vel posidere iusso, eius rei effectus omnibus prodest. Nam misio possessionis fit in rem, non in personam, & posidere iussus, posidet omnibus. *l. is qui* §. *si plures. vt in possess. leg. caus. leg. cum vnus* 12. *de rebus aut. iud. possid.* Creditor fructus restituere debet *l. Prætor* 9. §. *his verbis* 3. *l. creditor* 14. *d. tit.* Cum igitur effectus rei eius prosit omnibus, impensæ etiam pertinent ad omnes: hoc est, si vnus missus sit, & impenderit necessaria, vt si fulcierit ædificia, ad omnes pertinet, quia commune negocium gessit. *d. l. Prætor* 9. §. *generaliter*, 4. *d. tit.* cuius rei pars est, vt communiter omnia onera sustineant. *Cui. in Recit.*

Ad Leg. 149. De lucro ex persona alterius.

EX qua persona quis lucrum capit, eius factum præstare debet.

Lucrum]

Lucrum] *l.* 10. *sup. eod. l.* 10. *sup. si quis omissa causa l.* 13. §. 1. *sup. de acq. possess. l.* 14. *sup. de rei vindicat.*

Debet] Excipe donatarios, *l.* 15. *C. de donat.* & eos qui succedunt facto inuentario, nec enim factum defuncti præstant. Decius *hic nu.* 2. *Gothofr.*

Eadem est sententia huius legis, quæ superioris. Factum scilicet defuncti *l. si Titio* 22. *de pignor. l.* 3. & *l.* 5. *de reb. alien. non alienan. l. cum autem fundi* 52. *De rei vindicat. l. Labeo de li. caus.* Vt si defunctus rem hæredis pignori obligauerit, id pignus tanquam alienum non valet, sed cum dominus rei hæres extiterit, ratum habere debet. Aliud exemplum peti potest ex lege *si non solum* 10. *si quis omiss. caus. test.* *Cuiac. in Recitat.*

Ad Leg. 150. *De eo qui possidet, vel habet, aut dolo desiit possidere, vel habere.*

PArem esse conditionem oportet eius, qui quid possideat, vel habeat: atque eius, cuius dolo malo factum sit, quo minus possideret vel haberet.

Parem] Ex tractatu interdictorum.

Cuius dolo malo] *vid. l.* 131. *sup. eod. l.* 2. §. 42. *sup. ne quid in loco publico.*

Hæc

Hæc lex iam explicata eſt ſupra *l.* 131 *Cuiac.*

Ad Leg. 151. De damno.

NEmo damnum facit, niſi qui id fecit, quod facere ius non habet.

Ex tit. *ne quid in loco publico*, vbi mentio fit damni.

Quod facere ius non habet] Damnum dare eſt iniuriam facere. *l.* 1. §. 10. 11. *ſup. ne quid in loco publico.* vi facit, qui facit iniuriam. *l.* 73. §. 2. *ſup. eod.* vim non facit, qui ſuo iure vtitur. *l.* 155. *inf. eod.* qui iniuria quid facit, punitur: è contra, factum legitime, pœnam non meretur. *l.* 6. *C. de adulteriis. vid. Goth.*

Pertinere videtur hæc regula ad legem Aquiliam. Nam etſi damnum facere dicamus aliquando pro pati, tamen hoc loco dare intelligitur. *l.* 30. *ad leg. Aquiliam.* Is porro videtur damnum facere, hoc eſt dare, qui id facit, quod facere ius non habet: vt ſi quid violentius fecerit magiſtratus aduerſus ſe defendẽtem acrius: vel qui ſuam attrectantem vxorem occiderit, non tenetur l. Aquilia. Et hoc in l. Aquilia eſt euidentiſsimum: cum ſit additum, contra ius. Et cum actio legis Aquiliæ ſit iniuria damni dati, propriẽ tamen, ſicut ſuperior regula, pertinet ad interdictum, ne quid in loco publico. *Cuia. in Recit. hic.*

Ad

Ad Leg. 152. De mandato. De ratihabitione. De hærede.

HOc iure vtimur, vt quidquid omnino per vim fiat, aut in vis publicæ, aut priuatæ crimen incidat. §. 1. Deiicit & qui mandat §. 2. In maleficio ratihabitio mandato comparatur. §. 3. In contractibus, quibus doli præstatio vel bona fides inest, hæres in solidum tenetur.

Hoc iure] ex tit. *de vi arm.*

Aut in vis publicæ] vis omnis aut est publica, aut priuata. §. 8. *Instit. de publicis Iudiciis 2. Eclog. 3. c. 142.*

Et qui mandat] *l. 169. inf. eod. vid. l. 1. sup. quod iussu l.* 1. §. 12. 13. *sup. de vi & vi arm. leg.* 11. *sup. de iniuriis.*

Ratihabitio] *vid. l. 60. sup. eod. cap. ratihabitio* 10. *de regul. in 6.*

Quibus doli] *l. 157. in fin. inf. eod.*

Præstatio] vbi dolus & bona fides præstatur, hæres in solidum tenetur. *Goth.*

Tota hæc lex pertinet ad interdictum, *vnde vi.* Ne quid vi fiat, non tantum prospicitur interdicto, quo coërcetur vis publica & priuata, vis armata & non armata: sed etiam corrigitur & prospicitur legibus Iuliis de vi publica & priuata *l. 1. §. ne quid. de vi & vi arm.* & ex legibus Iuliis priuatorum & publicorum iudiciorum *l. si preces. 32. de pœnis.*

Ad

Ad §.1. Deiicit.

Ille §. pertinet ad interdictum vnde vi. de quo *ſup. in l. 60.* Hic vero explicatus eſt *in l. 34. & in l. 38. Cuiac. in Recit.*

Ad Leg. 153. De obligatione & liberatione. De adquiſitione & amiſſione. De poſſeſſione.

FEre quibuſcunque modis obligamur, iiſdem in contrarium actis liberamur, cum quibus modis acquirimus, iiſdem in contrarium actis, amittimus. Vt igitur nulla poſſeſſio adquiri, niſi animo & corpore poteſt: ita nulla amittitur, niſi in qua vtrumque ſit in contrarium actum.

Ferè] Cur hæc particula fere, ſeu σχεδὸν addita eſt? vt intelligas poſſeſſionem non iiſdem ſemper modis amitti, quibus adquiritur: facilius enim amittitur, quam adquiritur. Corpus requiritur in adquirenda; at ſolus animus ſufficit in amittenda. *l. 3. §. 6. ſupr. de adquir. poſſeſ.* vid. Scholion apud *Harm. 2. tit. 1. Gothofred. hic.*

Quibuſcunque modis] *l. 35. l. 100. ſup. eod. l. 8. ſup. de adquir. poſſeſſ. l. 80. ſup. de ſolutio.*

Vtrumque in contrarium] Imo ſolo animo poſſeſſio amitti poteſt. *l. 3. §. 6. ſup. de adquir. poſſeſ.*

possess. vtique si animo eam amittere incipimus; secus si corpore. *Gothofr. hic.*

Vide quæ dicta sunt *in l.35.* quas huic plane consonat. *Cuiac.*

Ad Leg. 154. De petitore & possessore. De dolo & pœna.

CVm par delictum est duorum, semper oneratur petitor, & melior habetur possessoris causa: sicut fit, cum de dolo excipitur petitoris, neque enim datur talis replicatio petitori, *Aut si* (NON) *rei quoque in ea re dolo actum sit.* §.1. Illi debet permitti pœnam petere, qui in ipsam non incidit.

Cum] Ex tractatu interdictorum.

Oneratur petitor] *l.33. super eod. c. in pari delicto 65. de regul. in 6. 2. Eclog. 3. c. 150. reus potior. l.38. sup. de re iudic.*

Possessoris causa] id est dolosi, à quo petitur *l.36. sup. de dolo. l.57. in fin. sup. de contrah. empt. l.4. §.13. sup. de doli mali except. l.91. §.3. in fin. sup. de verb. oblig.* vid. Dynum *ad c.65. de regul. in 6. Gothof. hic.*

Replicatio] *l.4. §.13. sup. de doli mali, &c.*

Aut si] si non rei.

Rei] hinc constat, non audiri replicationem actoris dolosi, aduersus reum dolosum excipientem.

Qui

Qui in ipsam] *l.54.§.1.in fin.sup.locati l.77.§.27.sup.de legat.2.*

Non incidit] Cur ita? nemini datur actio, nisi ex honesta causa *l.76.in fin.sup.de furt. Goth.*

Initio ostenditur in pari delicto meliorem esse causam possessoris, qua de re tractatur in *l.33.sup.* sicut in pari causa lucri, melior est causa possessoris: sic in pari causa damni aduersus doli exceptionem non datur alia replicatio. *l.apud Celsum* 4.§. *Marcellus*.13. *de doli except.* Dolus vero debet actori nocere, non reo. Communis dolus nocet magis actori, quam reo. *l.si seruum* 91.§.*sequitur*.3. *de verb.oblig.* Qua de causa & dolo non agit, qui & ipse in eadem re dolum facit, sed dolus cum dolo compensatur. *l.si duo*. 36.*de dolo.* Et similiter de pœna non agit, qui & ipse in pœnam incidit, hoc est, quod dicitur in hac lege: Illi debet permitti, pœnam petere, qui in ipsam non incidit: Recte. Vt si actor & reus mutuo stipulati sunt pœnam iudicii sistendi causa, si neuter sistat, neuter aget ex stipulatu de pœna: nam vterque incidit in pœnam. Similiter dicimus in *l.si vxor*.13.§. *iudex* 5. *ad l. Iul.de adult.* virum ab vxore iure pudicitiam non exigere, nisi & ipse exhibeat.

Cuiac. in Recitat. posthum. hic.

X Ad

Ad Leg. 155. Cui factum noceat. De eo qui iure suo vtitur. De causis pœnalibus.

FActum cuique suum, non aduersario nocere debet. §. 1. Non videtur vim facere, qui iure suo vtitur, & ordinaria actione experitur. §. 2. In pœnalibus causis benignius interpretandum est.

Factum] *ex tract. interdictorum.*

Cuique suum] *leg. 39. l. 49. l. 134. sup. eod. l. 9. sup. quæ in fraudem credit.*

Iure suo] *v. l. 151. sup. eod. l. 12. in fin. sup. de vi.*

Benignius] *c. in pœnis. 49. de reg. in 6. l. 192. in fin. infr. eod. l. 2. supra de liberis & posthum.* mitior lex sequenda. *l. 32. in fin. supr. de pœnis.* pœnæ molliendæ. *l. 42. sup. de pœnis.* humaniorem sententiam sequi oportet. *l. 10. §. 1. sup. de reb. dubiis.* si modo negocium id pati potest, si non præsumitur delictum. *vid. Alciat. 3. præsumpt* 1. puta furtum. *l. 51. sup. pro socio.* inusta infamia. *l. 4. §. 2. supr. de suspectis. adde l. 23. in fin. supr. de adulteriis.* siquidem, odia & pœnas quantum fieri potest, restringi oportet. *c. odia* 15. *de reg. in 6. Goth. hic.*

Pertinet ad interdictum, vnde vi, hoc modo. Finge: Proprietarius deiecit fructuarium, ita vt non possit frui fundo: vnde accidit, vt vsusfructus non vtendo interierit. Factum igitur

tur proprietarii nocet fructuario ipſo iure, quia finitur vſusfructus ipſo iure. Sed quia iniquum eſt, ideo prætor iubet vſumfructum reſtaurari: & hoc à proprietario, quia ſuum cuiq; factum nocet. *l. ſi plures. 9. §. fin. de vi & vi armat.* Sumi etiam poteſt exemplum (latiſſime enim patet hæc regula) *ex l. 1. §. ſi reus. 3. de eo, per quem fact. erit quo minus quis in iudic. ſiſt.* Repromiſit pœnam iudicio ſiſtendi cauſa, dolo actoris non ſtitit: hoc eſt, per actorem factum eſt, ne ſiſteret ſe iudicio, an incidit in pœnam? Reſpondeo: quod non. Nam ſi petatur pœna ex ſtipulatu, quia non ſtetit, repellitur actor doli exceptione.



Ad §. Non videtur. & §. In pœnalib.

De eo quod ſequitur in hac lege, ſatis dictum in *l. ſemper 56. ſup.* quod ſcil. pertineat ad interdictum *Vnde vi. Cuiac. in Recit.*

Lex 156. Inuitum non defendere. De actione & exceptione. De eo qui in alterius locum ſucceßit. De auctore & emtore.

De inuito.

Ex tractatu interdictorum.

INuitus nemo (rem) cogitur defendere. §. 1. Cui damus actiones, eidem & exceptionem

competere multo magis quis dixerit. §. 2. Cum quis in alterius locum successerit, non est æquum, ei nocere hoc, quod aduersus eum nocuit, in cuius locum successit. §. 3. Plerumque emtoris eadem causa esse debet, circa petendum ac defendendum, quæ fuit auctoris. §. 4. Quod cuique (pro eo) præstatur, non inuito tribuitur.

Inuitus] adde quæ dixi *ad leg.* 59. *s eod. Goth.*

Cogitur defendere] *l.* 17. *C. de procur.* puta noxali iudicio. *l.* 29. *l.* 33. *sup. de noxali.* sed & executor esse. Decius *hic num.* 1. procuratoris munus sustinere, *l.* 8. §. 1. *sup. de procurator.* datus tamen ad agendum, cogitur defensionem suscipere. *l.* 33. §. 4. *sup. de procur. l* 4. *sup. de tutelis.* & munus persequi, satisdare. *l.* 35. §. 2. *sup. de procurator.* non tamen vltra prouocationem. *l.* 17. *C. de procur.* nec extra suam prouinciam *l.* 35. §. 2. *sup. de procur.* non absimiliter cogitur nemo inuitus agere & accusare *l.* 1. *C. vt nemo inuitus.* vectigal conducere. *l.* 29. §. 1. *sup. de publicanis.* aut in conductione vectigalis perseuerare, lustro peracto *l.* 3. §. 6. *sup. de iur. fisci.* seu frumentum vilius, quam annona exigit, vendere. *l. vlt. sup. de annona.* potest tamen quis iusta de causa cogi inuitus negociationem aliquam exercere. *l.* 9. §. 9. *sup. de pœnis.* & seruos suos distrahere *l.* 2. *sup. de his qui sunt sui iuris.* potest etiam cogi aduocatus ad postulandum. *vid. l.* 7. *C. de postul.*
doctor

doctor ad conſiliũ dandum. *vid. l. 6. C. de aduocatis diuerſorum iudiciorum*, eaque quis procuratione defungi, quam noſtro tempore procuratores exercere ſolent. Decius hic argum. *l.* 1. §. 11. *ſup. de variis & extraordin.* Ita notarius inſtrumentum conficere cogi poteſt, vt & caupo, hoſpes, nauta, tabernarius, commeantes, & vectores, excipere *l. 1. ſup. nautæ, caupones,* quod Decius turpiſſime, & contra omnem iuris & æqui artem extendit ad meretrices in lupanari ſtantes. *Goth. hic.*

Actiones] actionem vulgat. *Hal.*

Multo magis] nota argumentum ab eo quod minus, ad id quod magis æquum eſt. *add. cap. qui ad agendum admittitur* 71. *de regul. in 6. l. 1. §. 4. ſup. de ſuperficiebus.*

Quis dixerit] fauetur enim reis *l.* 125. *ſupr. eod.* & retentioni. *l. 4. C. de vſuris.* & liberationi *l. 5. ſup. de pœnis.* Id tamen fallit in iudiciis recuperandæ poſſeſſionis, in quibus reo, qui ſpoliauit, non datur exceptio dominii, niſi prius reſtituerit poſſeſſionem. Datur ei actio, negatur exceptio *l. 25. C. de locato: l. 1. C. ſi per vim l. 7. C. de vi publica l.* 14. *C. de agricolis.* adde *Nouel.* 88. & merito, cum actio & exceptio referantur ad res diuerſas: hæc ad poſſeſſionem, illa ad proprietatem. *Goth. hic.*

In alt. locum] *vulg. Hal.* alicuius, & ita *Cui.*

Æquum ei nocere hoc] ſucceſſori non no-

cet, quod eius auctori nocere non potuit. *l. 3. §. 2. in fin. sup. de itinere actuque.* adde *l. 76. in fin. sup. de contrahenda empt. l. 37. sup. de acquir. hæreditate.* & contra quod auctori nocere potuit, successori nocere potest. *leg. 143. supr. eodem. Gothofr. hic.*

Plerunque] nam quod auctoribus bonæ fidei prodesse potuit, successori malæ fidei nocere incipit. *l. 2. §. 17. sup. pro emptore.*

Eadem causa esse debet] 2. *Eclog. 2. c. 152. §. 3. l. 2. sup. de hæreditat. vendit. l. 20. sup. de adquir. rer. domin. l. 2. in fin. sup. pro emptore. l. 5. C. de hæreditate vendita. l. 26. C. de euict. Goth. hic.*

Inuito] *l. 69. sup. eod. l. 19. §. 2. sup. de donat.*

Non tribuitur] Quidam ita legunt, non eripitur *ex cap. indultum 17. de regul. in 6.*

Rem alienam scilicet nemo inuitus defendit. Nam tutor & curator quidē datur inuitus, & defendit pupillū inuitus: quia hæc sunt munera publica, sed ad agendum, vel defendendum procurator non datur inuitus, *l. si filiusfamilias 8. §. inuitus 1. de procur.* Defensor enim nullus est, hoc est, nullus accedit ad defensionem nisi voluntarie. Veruntamen procurator, postquam datus est ad agendum, & suscepit mandatum; cogitur omnino defendere actorem, si sint mutuæ petitiones, & eo nomine debet cauere, Iudicatum solui. Omnino cogitur, alioqui non agit. Quod agit, debet cauere

uere rem ratam haberi, vt demonſtratur *l.33.§. vlt. & l.35.§.defendere 3.l. 43.§.pœna 4.de procurator.* Procurator autem datus ad defendendum, à quo dominus cauit, iudicatum ſolui; vel etiam ſi ipſe cauit; omnino cogitur iudicium accipere. An etiam ſi iuſtam cauſam habeat excuſationis? non vtique omnino, ſecundum Labeonem. *d. l. 43. §. vltim.* Aliud iudicium fuit Sabino, qui putauit, eiuſmodi cauſam habentem, nullo modo cogendum iudicium accipere, etiamſi ſatis dederit Iudicatum ſolui: ſed dicebat committere ſtipulationem iudicatum ſolui ob rem non defenſam. Sic non cogetur rem omnino defendere, ſi iuſtam habeat cauſam: ſed tenebitur ob rem non defenſam, in qua etiam cauſa habebitur ratio excuſationis iuſtæ: ſecundum præſcriptum *l. 45. de procurator.*

Ad §. Cui damus.

Sumitur *ex l. vnic. §. is autem verſic. plane de ſuperfici.* Superficiario datur vindicatio vtilis aduerſus dominum ſoli. Superficies quidem cedit ſolo: cuius eſt ſolum, eius eſt ſuperficies: ſed ſuperficiarium Prætor habet pro domino, eique dat vtilem actionem: multo magis dabit exceptionem doli. Eodem modo ex edicto, *Ex quibus cauſis maiores*; datur actio: multo magis igitur exceptio *l. nec non 28. §. exemplo 5.*

ex quibus causis maior. Ergo cui damus actionem, eidem & damus exceptionem. Contra vero, cui damus exceptionem, non semper damus actionem. Nam sunt multæ causæ, ex quibus retentionem habemus ope exceptionis, non tamen petitionem habemus. *l. Paulus* 14. *de doli except*. vt si quis in alieno solo ædificauerit, non potest sumptus petere à domino: sed si possideat ædificium, eos seruabit per retentionem & exceptionem doli *l. 2. §. 1. de rei vindic. C. Gregor*.

Ad §.3. Plerumque emptoris.

Quod ad sequentes duas sententias attinet, sciendum, interdictum de itinere actuque priuato, & aqua quotidiana, & æstiua non dari tantum actori *l. 2. in fin. si seruit. vindic. l. penult. de itin. actuque priuato l. 1. §. ait Prætor* 37. *de aqu. quotid. & æstiua*. Et eo referendæ sunt hæ duæ sententiæ, quarum vna est de hærede, altera de emptore, quam exposui *in l. 54. sup*.

Ad §.4. Quod cuiq.

Vt inuitus nemo defendit, ita inuitus nemo defenditur, *l. 27. §. 1. de procurator*. Et generaliter, vnusquisque renunciare potest iis, quæ pro se introducta sunt *l. penult. C. de pactis*. Et sic priuilegio fori renunciare possumus. Hæres remit-

remittere potest l. Falcidiam. *Cuiac. in Recit. posthum. hic.*

Lex 157. De seruis. De eo, qui dolo fecit, quo minus haberet. De successoribus.

AD ea, quæ non habent atrocitatem facinoris, vel sceleris, ignoscitur seruis, si vel dominis, vel his, qui vice dominorum sunt, veluti tutoribus, & curatoribus obtemperauerint. §.1. Semper qui dolo fecit, quo minus haberet, pro eo habendus est ac si haberet. §.2. In contractibus successores ex dolo eorum, quibus successerunt, non tantum in id, quod peruenit, verum etiam in solidum tenentur: Hoc est, vnusquisque pro ea parte, qua hæres est.

Ad] Ex tractatu interdictorum. *l. is qui in puteum. §. si tut. quod vi aut clam.*

Ea] *l. 7. §. 2. sup. de noxalibus l. 21. §. 1. sup. rerum amot. l. 11. §. 7. sup. quod vi l. 17. §. 7. sup. de iniuriis l. 25. §. 2. sup. de falsis 2. Eclog. 3. c. 152. §. 5. l. 8. C. ad l. Iuliam de vi Goth.*

Qui vice dominorum] tutores sunt vice dominorum pupillarium rerum, vt hic: domini loco. *l. 27. sup de administr. tutor.* adde *l. 56. §. 4. sup. de furt. Goth.*

Obtemperauerint] *l. 167. in fin. inf. eod.*

Quo minus haberet] *vid. l. 78. 150. sup. eod.*

Ex dolo] *vid. l. 152. in fin. sup. eod.*

In solidum tenentur] imo tunc non tenetur, §. 1. *vers. aliquando Instit. de perpet. & temp. act.*

Hoc est] Puto legendum tenentur, vel vnusquisque, &c. vt sit sensus, socium hæredem in solidum, teneri etiam in solidum: pro parte, ex rata partis. *l. 9. sup. de condict. furtiua.* & ita intellige *leg. 12. leg. 49. supr. de obligat. Gothofredus hic.*

Sumpta est ex *l. 11. §. si tutoris ff. quod vi aut clam.* Eo interdicto non coërcetur vis atrox, sicut interdicto, *vnde vi*: quo coërcetur is, qui deiecit aliquem armis, vel sine armis. Sed interdicto, *quod vi aut clam*, tenetur, qui contra, quam prohibeatur, facit, quia putat se hoc iure facere, & tenetur, siue ius habuerit faciendi, siue non: nam non debebat contemnere prohibitionem. Finge. Seruus Pupilli iussu tutoris facit opus vi aut clam, an erit in noxa seruus, hoc est, an pupillus tenetur noxali actione? an seruus ipse tenetur post manumissionem: quia noxa caput sequitur? Et verius est, seruum non esse in noxa. Vis non est ita atrox, vt imputari debeat ei, qui paruit domino; imo & ei ignoscitur qui paruit tutori: nam tutor est vice domini, hoc est, pupilli. Quod ita verum est, vt seruus non possit torqueri in tutorem *l. 2. C. de quæst.* Sic etiam si iussu vxoris, seruus eius res amouerit marito diuortii

cau-

cauſa, ignoſcitur ſeruo. Ideo non eſt in noxa. Nam & hoc non habetur pro facinore, hoc eſt, pro furto. Furtum eſt ſcelus. Sed aliud eſt furari: aliud amouere. Fere hoc etiam eſt furari: ſed rem ipſam lenitate verbi mitigant. Itaque hoc non habetur pro furto. Si vero ipſe ſeruus ſine iuſſu dominæ ſurripuerit, erit noxalis actio & liber factus tenebitur: ſi iuſſu dominæ; excuſabitur. *l. ſi cum mulier* §. *penult. rerum amot.* ſic ſi ſeruus iuſſu domini libertatem ſibi adſcripſerit, cum ſcriberet teſtamentum, non tenetur. Sciendum eſt, ſcriptorem teſtamenti, qui ſibi aliquid adſcribit, teneri falſi, niſi ſua manu id poſtea approbarit teſtator in calce teſtamenti. Nunc ſi ſeruus iuſſu domini ſibi adſcripſit libertatem, non tenetur, nec amittit libertatem *leg. diuus* 15. §. *& quatenus* 3. *de leg. Corn. de falſ.* ſimiliter is, qui damnum iniuria dedit iuſſu domini, non tenetur: ſecus eſt, ſi ſciente tantum domino, & patiente, damnum dedit. Nam tunc dominus tenetur non tantum ſuo nomine in ſolidum, quod paſſus eſt damnum dare: ſed & noxaliter, quod noxa caput ſequitur. Nam differentia eſt inter ſcienter, & libenter. Et ita accipe *l.* 2. §. 1. *de noxal. act.* ita etiam accipienda eſt *l.* 169. *infr.* quæ tota eſt de noxal. act. Is damnum dedit, qui iubet dare: eius vero ſerui nulla eſt culpa, qui fecit iuſſu domini. Seruus talis non eſt in noxa.

Ad

Ad §. Semper.

Hic §. expositus est in *l.* 131. & 151.

Ad §. In contractibus.

De hoc vltimo §. huius legis vide, quæ dicta sunt *sup. in l.* 38. *Cui. in Recit.*

Ad Leg. 158. *De Pignore.*

CReditor, qui permittit, rem venire, pignus demittit.

Creditor] Ex tit. *de migrando.*

Demittit] dimittit Hal. i. remittit ius pignorum; *l.* 4. §. 1. *sup. quibus modis pig. l. vlt. Cod. de remiss. pign.* non tamen ipsum delictum. *l.* 3. *s de pactis*, causa dubitandi in hac lege sumi potest ex *l.* 160. *inf. eod. Goth.*

Rem scilicet pignori obligatam, pignus soluitur, si debitor id vendat voluntate creditoris: nisi consenserit salua pignoris causa: *l. sicut* 8. §. *si volunt.* 6. *quib. modis pignus solu.* in qua lege plenissime hac de re disseritur. *Cuiac. in Recit. posthum.*

Ad Leg. 159. *Differentia obligationis & dominii.*

NOn vt ex pluribus causis deberi nobis idem potest, ita ex pluribus causis idem possit & nostrum esse.

Non]

Non] Ex pluribus causis rem eandem possidere possumus : *l.3.* §.4.*sup. acquirenda possess.* semel res mea esse potest, sæpius deberi potest, *l.*14.§.2.*supr. de excep. rei iudicatæ.* Quod iam nostrum est, aut proprium, magis aut amplius nostrum fieri non potest §.10.*Instit. de legatis* §.4.*Instit. de act.* Goth.

Coniunge *l. & an eadem* §.1. *de except. rei iudicatæ*, ait : *non ex pluribus causis*. Id declaratur in *d.l. & an eadem*. Res amplius, quam semel nostra esse non potest : nam quod factum est meum ex vna causa, non potest adhuc meum fieri ex alia, §. *si ita Instit. de actionibus.* Itaque si egero vindicatione, & litem amisero, non possum eandem rem postea vindicare, quasi ex alia causa ; cum iam non potuerit esse mea ex pluribus causis, sed res eadem nobis debetur ex pluribus causis sæpius, vt ex mutuo, ex stipulatu, ex testamento. Item nobis potest quis debere ex pluribus causis, ideoque si egero in personam ex vna causa; nec obtinuero, non postea prohibeor agere ex altera. Et hac in re differunt, actio in rem, & in personam ; actio in rem non iteratur : actio in personam iteratur, mutata causa. Ergo aliud est, nobis deberi, aliud nostrum esse. Pecunia, q̃ in arca est, nostra est; quæ in nominib. est, nõ est nostra. *l. singularia* 15. *de reb. cred.* Eadem est differentia inter dominium & possessionem; Res mea tantum

mea esse potest ex vna causa; possidere eam possum ex pluribus causis; vt emptor, qui vsucepit, possidet pro emptore, & pro suo; dominus est per vsucapionem tantum. *l. 3. §. ex plurimis 4. de acquir. possess.* Sicut aliud est, nobis quid deberi, aliud nostrum esse: ita & aliud, possideri à nobis, & aliud, aliquid nostrum esse. Nam quæcunque possidentur à nobis, non sunt nostra. Itaque hæc non sunt permiscenda. *l. naturaliter 12 §. nihil de acquirend. possess. l. pen. §. 1. eod. l. 1. §. huius. vti possidetis. Sen. 4. nat. quæst.*

Ad Leg. 160. Differentia inter vendere, & vendenti consentire. De eo, quod fit per maiorem partem. De iure Legatarii, &c.

ALiud est vendere, aliud est vendenti consentire. §. 1. Refertur ad vniuersos quod publice fit per maiorem partem. §. 2. Absurdum est plus iuris habere (eum) cui legatus sit fundus, quam hæredem, aut ipsum testatorem, si viueret.

Ex tit. de litigiosis.

Aliud] Imo non aliud *l. 158. sup. eod.*

Est] Nisi sit vtrobique eadem ratio, hinc minor nec alienare, nec alienationi consentire potest. *l. 2. si aduersus donationem.* cui vnum eorum

rum permittitur, alterum quoque conceditur, *l.162.l.165.inf.eod.Goth.*

Aliud] si aliud est, igitur cui vnum eorum non licebit, aliud ei permitti intelligetur. *l.2. C.de manumiss.vindicta.*

Consentire] Hinc, aliud est contrahere, aliud contrahenti consentire.

Maiorem] *v.l.3.l.4.supra quod cuiusque. l.19. supra ad municipalem:* facit *l.10.supra de pactis. l. 7. in fine Cod.de omni agro deserto. l.148.sup. eod.* & ita intellige *l.10.sup. de aqua pluuia,* vel per eos, à quibus res municipii geri solent. *l.97. sup. de condit. & demonstr.l.vni.* §.1.*sup.de liber. vniuers.l.1.*§.2.*sup.de acquir.possess.* Sic maioris partis bonorum litis ratio habetur in excusando tutore.*l.21.sup.de excusat.tut.* & maioris partis anni, vt res aliqua fundi esse dicatur vel negetur *l.18.*§.12.*sup.de instruct.* quod omnes tangit, & ab omnibus debet approbari. *c.quod omnes 29.de reg.in 6.Goth.*

Legatus] Legatarius non est potioris iuris, quam hæres, aut defunctus, *l.120.l.143.sup.eod. l.176.in fin.inf.eod.Gothof.*

Initium huius legis expositum est *in l. 21. sup.Cuia.*

Ad §. Refertur.

Sensus est; quod facit maior pars creditorum, omnes fecisse videntur. ***leg.iurisgent.7. §. vlt.***

ult. & l. seq. de pact. l. vlt. C. qui bon. ced. poss. l. quod si nemo de excus. tutor. Et quod maior pars curiæ facit. *l. quod maior ad municip. Cuiac. in Recit.*

Ad §. Absurdum.

Hic §. expositus est in *l. 54. supra.*

Ad Leg. 161. De eo per quem factum est, quo minus conditio impleatur.

IN iure ciuili receptum est, quoties per eum, cuius interest, conditionem non impleri, fiat, quo minus impleatur, perinde haberi, ac si impleta conditio fuisset: quod ad libertatem, & legata, & ad hæredum institutiones perducitur; quibus exemplis stipulationes quoque committuntur, cum per promissorem factum esset, quo minus stipulator conditioni pareret.

In] Ex tractatu *Pratoriar. stipulat.*

Interest] *cap. imputatur* 41. *c. cum non stat* 66. *de regulis in sext.* 2. *Ecloga* 25. *cap.* 156. *v. l.* 24. *sup. de condit. & demonst.*

Conditionem] Πληρωθῆναι τὴν αἵρεσιν impleti conditionem Ecl. ibidem οὐδὲν διαφέρει πληρωθῆναι 6. Harmenop. 2. Plane ordo est inuersus, sic restituo; Quoties per eum, cuius interest, conditionem impleri, non fiat, quo minus impleatur, &c. quod optime conuenit *legi* 3. §. 10. *in fine,*

fine, l.28. ſup. de ſtatulib. cap. imputari 41. *& cap. cum non ſtat per eum* 66. *de reg. in ſext.* Vt interim dicam in dicto cap. 66. quo minus ſumi pro quin, vel quod magis. *Gothof.*

Libertatem] *Ecl. ibidem l.20.§.3.l.28. ſup. de ſtatulib.*

Legata] *Eclog. ibid. & l.24. l.5. § 5. ſup. quando dies legati.*

Inſtitutiones] *Ecl. ibid. & dict. l.24. l.3. ſup. de condit. inſtit.*

Stipulationes] *Ecl. ibid. & dicta l.24.*

Cum pareret] *Leg.85. ſup. de verbor. oblig.*

Huius legis explicatio iam præmiſſa eſt *in leg.39. ſup. Cuiac.*

Ad Leg.162. De receptis propter neceſſitatem.

QVæ propter neceſſitatem recepta ſunt, non debent in argumentum trahi.

Neceſſitatem] τὰ δὲ ἀνάγκην 2. *eclog.* 3. *cap.*162. τὰ παρὰ κανόνας νόμου λεχθέντα. 6. *Harmenop.*2. contra rationem iuris. *l.14. l.15 ſup. de leg.* contra tenorem rationis. *l.16. ſup. de legib.* vt ea quæ à iure communi exorbitant, *cap. qua à iure* 28. *de reg. in ſext.* quæ ob gratiam alicui conceduntur, *cap. quod ob gratiam* 61. *de regul. in ſext.* ſic neceſſitas probabilem facit manumiſſionem. *l.* 27. *ſup. de manumiſſ. teſtam.* Clarus etiam id innui

Y putat,

putat, furem excusari à pœna furti commissi, propter extremam necessitatem 5. *sentent.* §. *furtum vers. quandoque*: Necessitas etiam excusat venditionem filii. *l.* 2. *Cod. de pat. qui filios.* Quod non est licitum in lege, necessitas facit licitum *cap. quod non est extra de regulis*; hinc illud, necessitas non habet legem: Non ignoscitur tamen ei, quæ obtentu paupertatis turpissimam vitam agit. *l.* 45. §. 5. *sup. de ritu Gothof.*

Argumentum] Consequentias. *l.* 14. *sup. de oblig.* ad regulas iuris. *l.* 15. ꝟ *de legib.* εἰς ὑπόδειγμα *Ecl. ibidem.* Harmenop. ibid. id est exemplum; hinc sine exemplo subuenire §. 9. *in fine Instit. de iure naturali.* sanstirer eri consequenz. *Gothof.*

Vide *l.* 141. paulo ante explicatam, & *l.* 110. §. 1. & 2. *Cuiac. in Recit.*

Ad Leg. 163. De donatione, venditione, concessione.

CVi ius est donandi, eidem & vendendi, & concedendi ius est.

Cui ius] Ex *tit. de liber. causa.*

Donandi] Argumentum à maiori ad minus, qui potest donare, potest vendere, multo magis concedere, 2. *ecl.* 3. *c.* 158. *adde l.* 21. *sup. eod.* sic, cui testamenti factio est, donare potest mortis

mortis cauſa, & non cauſa *l.7. in fin. ſup. de donat.* ſic, qui poteſt alienare, poteſt alienationi conſentire *l.165. ſup. eod. Goth.*

Eidem &] Et econtra prohibitus vendere, donare non poteſt, imo poteſt *l.4. C. de fideiuſſorib.* ſolue. Voluntati defuncti non repugnat, qui donat ſorori, quod extra familiam vendere aut pignori dare non poteſt. *Goth.*

Concedendi] *καὶ ἐγχωρεῖν αὐτῷ δύναται, Ecl. ibidem*, id eſt, etiam credere poteſt: Concedendi vocabulo quidam intelligunt colonarium contractum. *Goth.*

Ius eſt] imo non eſt. Decurio donare poteſt, vendere non poteſt *l. vlt. C. de prædiis Decurionum.* id merito ſublatum *Nouella* 38. *Gothofr.*

Huius regulæ exempla & ratio explicata ſunt *in l.21. ſup. Cuiac.*

Ad Leg. 164. De Hæredibus & iudiciis pœnalibus.

POenalia iudicia ſemel accepta in hæredes tranſmitti poſſunt.

Pœnalia] Ex tit. *de liberali cauſa l. vtique.*

Semel] 2. *Eclog.* 3. *cap.* 159. alias non conteſtata minime tranſmittuntur *l.11. in fin. ſupr. eod. l.26. l.58. ſup. de obligat.* §. 1. *in fine Inſtit. de perpetuis l. vnica C. ex delicto defuncti.* Quin, non o-

mnia contestata in hæredes transeunt, hæredes rei ob delictum (paucis exceptis) non tenentur, nisi lata sententia. *l. 20. sup. de accusat. Gothofred.*

De hac lege vide explicationem *l. nemo.* 87: *sup. Cuiac.*

Ad Leg. 165. De eo qui alienat vel alienanti consentit.

CVm quis possit alienare, poterit consentire alienationi; cui autem donare non conceditur, probandum erit, nec si donationis causa consenserit, ratam eius voluntatem habendam.

Alienare] Cui maius licet, eidem minus est permissum *v. l. 21. l. 66. sup. eod. Goth.*

Et hæc lex intelligitur ex explicatione *legis* 21. *sup. Cuiac.*

Ad Leg. 166. De defensore rei alienæ.

QVi rem alienam defendit nunquam locuples habetur.

Qui] Ex *tit. de damno infecto.*

Habetur] Nota argumentandi speciem à contrario sensu, id est, nunquam ita quisquam locuples habendus est, vt immunis à satisdando sit eius nomine, quem defendit *l. 35. §. 3. l. 51. in fin.*

in fin. l.52. l. 53. ſup. de procurat. niſi defendat neceſſariam perſonam *l. 3. ſup. in ius vocati. l. 2. §. 2. ſup. qui ſatiſdare*, adde *l. 95. ſup. eod. l. 134. §. 1. ſup. de verb. ſignificat. l. 63 in fin. princ. ſupr. ad legem Falcid. Goth. Vide ſup. in l. 35. Cuia.*

Ad Leg. 167. De his, quæ accipientis non fiunt. De iuſſu Iudicis.

NOn videntur data, quæ eo tempore, quo dantur accipientis non fiunt. §. 1. Qui iuſſu iudicis aliquid facit, non videtur dolo malo facere, qui parere neceſſe habet.

Non] ex *tit. de aqu. plu. arc.*

Videntur] Proprie, ſecus improprie, ratione perſonæ *l. 55. ſup. de cond. & demonſtr.* vel contractus *l. 4. ſup. de vſur.*

Data] *v. l. vlt. ſup. de condict. cauſa data leg. 75. in fin. de verborum obligat. §. 14. Inſtit. de actionibus.*

Iudicis] *l. 269. inf. eod.* adde *l. 137. ſup. eodem.* vel ſuperioris *l. 157. ſup. eod.*

Non] iuſſus iudicis excuſat à dolo & delicto. *l. 6. §. 4. ſup. de iuriſd. l. 7. §. 2. in fin. ſup. de minorib. l. 8. ſup. de leg. Commiſſor. l. 4. ſup. de aqua pluuia l. 13. §. 2. ſup. de iniur.* non confert tamen ad lucrum, idque ſentit Oldendorp. *claſſ. 1. act. 3. in fine. Gothofr.*

Dare, eſt rem perfecte accipientis facere; &

proprie ita accipitur in stipulatione, Rem dari, *l. vbi autem 75. §. vlt. de verbo. obligat. l. 1. C. de contrahend. stipul.* & in formula actionis in personam, quod te dare & facere oportet. *§. sic itaque Instit. de act.* & in vulgari formula testamentorum Dari, aut donari, Data aut donata, & frequentissime ab authoribus nostris *l. 4. Cod. de præpos. sac. arar.*

Ad §. Qui iussu, &c.

Sepulcri violati actione tenetur is, cuius dolo malo sepulcrum violatum est, vt prima edicti verba demonstrant *l. 1. de sepul. violat.* Itaque non tenetur hac actione, qui iussu iudicis sepulcrum demolitus est, puta ex ea causa, vt si ex eo aqua pluuia noceat vicino, & ita huic regulæ coniungenda est *l. 4. de aq. & aq. plu. arc.* ait, quia parere necesse habet. Et eadem ratione parcitur seruo, quod diximus *in l. 157. sup.* proinde sicut in atrocioribus, si paruerit domino seruus, nõ excusatur: ita nec excusatur is, qui aliquid atrocius iussu iudicis admisit. *Cuiac. in Recit.*

Ad Leg. 168. De obscuris.

CApienda occasio est, quæ præbet benignius responsum. §. 1. Quod factum est cum in ob-

in obscuro sit, ex affectione cuiusque capit interpretationem.

Occasio] id est, interpretatio.

Benignius] *v.l.56.sup.eod.* τὸ φιλάγαθον *2.Ecl.3. cap.164.vt & cap.57.* φιλάνθρωπον.

Obscuro] De obscuro adde *l.9.sup.eod.*

Cuiusque] puta testatoris, *l.12 sup.eod.*

Principium huius legis enarratum est *supr. in l. 65.*

Ad §. Quod factum, &c.

Varii sunt modi obscuritatis explicandæ, de quibus superius; Eos in summam digeram hoc loco, qui videlicet hoc titulo continentur. Non volo omnes, cum iurisperiti ea de re dicendo suppeditent innumeros: explicatur obscuritas eo assumto, quod verisimilius, est siue quod actum cogitatumque verisimilius videtur, quod plerunque fit, quod est minimum, quod est benignius, quod significatur, quod stat à re fauorabili, veluti libertate, dote, vel à persona fauorabili, vel rei gerendę aptius, quod sententiæ proferentis proximius, & vt hic traditur, quod affectioni, charitati, necessitudini respondet. Affectio indicium voluntatis. *Cuiac. in Recit.*

Ad Leg. 169. De eo quod pendet.

IS damnum dat, qui iubet dare: eius vero nulla culpa est, cui parere necesse est. §. Quod pendet, non est pro reo, quasi sit.

Iubet] *v. l. 157. §. 1. §. 2. sup. eod. l. 1. sup. quod iussu l. 37. sup. ad l. Aquil. cap. qui facit per alium 22. de reg. in 6. v. l. 5. C. de accusationib.*

Nulla culpa est] imo est *v. leg.* 1. §. 13. *supr. quod vi.*

Parere] *l. 167. in fin. sup. eod. v. l. 11. §. 7. sup. quod vi.*

Pendet] *l. 35. sup. de iudiciis l. 12. in fin. l. 25. §. 1. sup. de vsufruct. l. 9. sup. de reb. credi. l. 1. §. 1. sup. de Senatusconsult. Macedon. l. 43. sup. de adilit. l. 20. sup. de don. int. virum l. 9. §. 2. sup. de liberis. l. 59. §. 6. sup. de hæredib. instit. l. 36. §. 4. sup. de legatis 2. l. 52. l. 53. sup ad l. Falcid. l. 2. §. 3. sup. vnde legit. l. 43. §. 2. sup. de acquir. rerum l. 28. sup. eod. 2. ecl. 3. cap. 168. Goth.*

Principium huius legis explicatum exemplis & ratione in *leg.* 157.

Ad §. Quod pendet.

Hoc pertinet ad noxalem actionem. Statuliberas, hoc est, libertas, quæ pendet ex conditione & die, pro eo non est, quasi sit: quia statuliber detentus est noxæ *l. 19. de noxal. act. Cuia. in Recit.*

Ad

Ad Leg. 170. De facto à Iudice.

FActum à Iudice, quod ad officium eius non pertinet, ratum non eſt.

Factum] Res iudicata *l. 116. in fin. ſup. de verb. oblig. §. 5. Inſtit. quib. modis ius patriæ*, factum prętoris iuri derogare non debet *l. vnica C. qui pro ſua iuriſd. Gothof.*

Quod] *c. ea quæ fiunt à Iudice 26. de regul. in ſext. 2. Eclog. 3. c. 166.*

Officium] & iuriſdictionem *v. leg. vlt. ſup. de Iuriſdict.*

Non eſt] tunc etiam habetur pro priuato.

Quod ad officium eius non pertinet, Græci interpretantur iuriſdictionem; officium tamen latius patet: Nam & ea complectitur, quæ non ſunt imperii, neque iuriſdictionis. *l. 1. de iuriſdict. omn. Iud.* Sed forte iuriſdictionem accipiunt pro notione, quod probo: Factum à iudice quod ad notionem eius non pertinet, ratum non eſt, vt ſi Iudex communi diuidundo fundum hæreditarium non hæreditario ſeruire diſponat. *leg. vt fund.* 18. *com. diuidund. l.* 10. *vſufruct. quemadmod. caueat.* vel ſi Iudex familiæ erciſcundæ fundum duobus hæredibus prælegatum diuidat. *l. item Labeo* 22. §. 1. *famil. erciſcund. Cuiac. in Recitat.*

Ad Leg. 171. De obligatione.

NEmo ideo obligatur, quia recepturus est ab alio, quod præstiterit.

Obligatur] Puta ad opus, sua impensa Titio restituendum.

Quia] id est, Quamuis, vt sit sensus, non si socius impensas socii nomine factas ab eodem potest repetere, tenetur eas actori præstare, est enim iniquum, innocentem nocentis facto obligari *l.11.§.2.sup.de aq.plu.Gothof.*

Recepturus est] iudicio communi diuidundo scilicet.

Ab alio] Puta à Mæuio, socio, qui opus Titio damnosum fecit.

Sumatur exemplum ex *l.sup.11.§. apud 2. de aq.& aq.plu.arc.* Fundus communis est duorum, si in eo vnus opus facit, ex quo aqua pluuia vicino nocet, alter non facit; hic qui non facit, non tenetur aquæ pluuiæ arcendæ, vt opus restituat, quod actione communi diuidundo recepturus sit à socio, quia nemo ideo obligatur; & is, qui obligatus non est, non ideo obligatur, quod actionem habiturus sit de eo, quod præstiterit; alioquin obligaretur quilibet hac ratione ad soluendum pro alio, quia recepturus est actione negotii gesti. *Cuiac. in Recit.*

Ad

Ad Leg.172. De ambiguis.

IN contrahenda venditione ambiguum pactum contra venditorem interpretandum est. Ambigua autem intentio, ita accipienda est, vt res salua actori sit.

Contra] Pactio obscura vel ambigua venditori nocet. *l.39. sup. de pact. l.33. in fin. ff de contrahend. emptione,* & stipulatori. *l.38. §.15. sup. de verb. obligat.* quia potuit re integra apertius dicere *l.21. sup. de contrah. empt.* imo venditori est vtilis *l.34. sup. de contrahenda empt.* solue *vt ibidem. Gothof.*

Interpretandum est] Aliud in oratione aperta, & magis verisimili. *l.34. sup. eod.* beneficiis principum. *l.43. sup. de vulgar.* iudiciis §.1. *inf. eod.* & confessione Decius hic. *Gothof.*

Intentio] ἐναγωγὴ 2. ecl. 3. cap. 167. Intentio iudicialis ambigua secundum præsentem intelligitur *l.66. sup. de iudiciis. l.20. in fin. sup. de except. rei iudic. l.83. §.1. sup. de verborum obligat. Gothof.*

Vt res] ne alioquin actus ipse pereat *l.12. sup. de reb. dubiis.*

Sit] si id interpretatio ferre potest, quid enim si impugnet testatoris voluntatem? *l.7. sup. de vulg.* quid si necessariis destituatur. *l.2. §.7. sup. de doli excep.* Vide quæ huc spectant *sup. in l.69. Cuiac.*

Ad

Ad Leg. 173. Condemnati in id, quod facere possunt: De restitutione: De mora: de eo qui petit, quod redditurus est.

IN condemnatione personarum, quæ in id, quod facere possunt, damnantur, non totum, quod habent, extorquendum est, sed & ipsarum ratio habenda est, ne egeant. §. 1. Cum verbum, Restituas, in lege inuenitur, etsi non specialiter de fructibus additum est, tamen etiam fructus sunt restituendi. §. 2. Vnicuique sua mora nocet, quod & in duobus reis obseruatur. §. 3. Dolo facit qui petit, quod redditurus est.

Quæ] *l. 20. sup. eod. l. 12. sup. soluto l. 6. sup. de re iud. 2. ecloga 3. cap. 169.*

Egeant] *l. 30. sup. de re indic.*

Restituas] *v. l. 38. §. 4. sup. de vsur. l. 75. sup. de verborum significat. 2. ecl. 3. cap. 169.*

Sua] vide *l. 134. in fin. sup. eod. c. mora sua cuilibet est nociua 25. de regul. in 6. l. 5. sup. de reb. cred. l. 12. in fin. sup. deposit. l. 3. in fin. sup. de actionibus emt. l. 32. §. 3. sup. de vsur. l. 14. sup. de iure dot. l. 39. §. 1. vers. ipsum l. 47. in fin. sup. de leg. 1. l. 78. in princ. & §. 2. l. 48. sup. de legatis. 2. l. 18. sup. ad Trebellian. l. 12. sup. de aqua pluu. Goth.*

Nocet] nocet tamen mora rei fideiussori. *l. 88. sup. de verb. oblig.*

Reis]

Reis] *l.32.§.4.ſup.de vſur.*

Obſeruatur] *vid. tamen l. penult. ſup. de duob. reis.*

Qui] *c.dolo facit 59.de reg. in ſext. l.8. ſup. de doli except.*

Redditurus eſt] eidem à quo petit, non alii. *l.44. in fin. ſup. ſoluto.* ſed nec ex interdicto recuperandæ. *v.l.14. C. de agric. & cenſ. Goth.*

Principium huius legis explicauimus *ſup. in l.28.*

Ad §.1. Cum verbum, &c.

Verbum, RESTITVAS, in legibus & edictis plenam ſignificationem habet, vt etiam fructus reſtituantur, *l. videamus 38. §. in Fabiana 4. de vſur.* quæ eſt *ex eodem lib. Cuiac.*

Ad §.2. Vnicuiq, &c.

Vnicuique, hoc eſt, non reo principali *l. mora 32. §. vlt. de vſur.* non aduerſario *l. emtor 12. de aq. & aq. pluuia arc.* non correo, quod additur in hac regula *dict. l. mora §. penult.* at mora rei fideiuſſori nocet, quia ſcilicet fideiuſſiones acceſſiones ſunt, quod in eod. lib. Paulus annotauerat, vt apparet ex *l.88. de verb. oblig.* Eadem regula de dolo traditur: vnicuique dolum ſuum nocere non alteri, *l. ſi ex duob. de tut. & rationib. diſtrah. l. 9. quæ in fraud. cred. l. ſi procurat. de doli except.* ſed quod regula ait de correis, ei ob-

ei obstare videtur *l. vlt. de duob. reis stipul.* verum ea de interruptione loquitur, non de mora. Interruptio generale quiddam est, mora fit in persona. Item obstare videtur *l. penult. eod. tit.* sed illa de facto loquitur (vt si vnus rem, puta hominem promissum, occiderit) non de mora. Is qui moram non fecit, liberatur, re naturaliter peremta, etiamsi correus moram fecerit: nam mora fit in persona, is qui non occidit, si correus occiderit, non liberatur. Hoc factum, hæc culpa communis est, & in rem. Vulgo male eam appellant moram in faciendo, *vt docui in l. 23. de verb. oblig.*

Ad §. 3. Dolo facit, &c.

Repetitus est hic §. *ex l. 8. de doli except.* quod redditurus est scilicet ei, à quo petit, non si alii *l. si socer §. penult. solut. matrim.* Iis obstare videtur *l. 1. §. 1. quorum legat.* verum, vt eleganter Iohannes ait, aliud est petere possessionem, aliud reddere, siue dare debere, sicut & effectu differunt. Nam aliud est proprietatem, aliud possessionem esse consecutum. *Cuia. in Recit.*

Ad Leg. 174. Posse de repudiatione.

QVi potest facere, vt possit conditioni parere, iam posse videtur. §. Quod quis, si velit, habere non potest, id repudiare non potest.

Qui

Qui] Coniunge *l.3.de bon.possess.*

Potest] Potentia faciendi, factum repręsentat *l.39.sup. de contrah. empt. leg.* 1. §. 8. *supr. si quis omissa causa. leg.* 40. *supr. de condit. & demonstrat.*

Non potest] Quod non potest haberi, repudiari non potest. *l.18.sup.de acquir.hæreditate.*

Non] Repudiatio est quædam priuatio quæ subiectum aliquod præsupponit. *l.* 8. §.2. *sup.de optione l.* 59. §.6. *in fin.sup.de hæredi. instit.v. l.3. sup.eod.* Institutus sub conditione casuali non potest repudiare, antequam conditio extiterit. Idem est in substituto sub conditione potestatiua. *l.13.§.1.de acquir. hæredit.* Nam conditioni parendo non ideo videtur statim pro hærede gerere. *l.5.de condit. & demonstr.* Ergo potest repudiare. Contra conditioni non parendo, non statim videtur repudiare hæreditatem, *l.* 1. *de curat. bon. dand.* Ergo adire potest, conditione postea impleta: sed à Prætore præstituetur tempus, intra quod conditioni pareat. Hanc repudiare videtur, dummodo tamen id dicat, cum potest conditioni parere *l.* 1. §. *qui sub condit. si quis omissa caus. testam.* Idemque est, si tum id dicat, cum potest facere, vt conditioni pareat, vt cum potest expedire negotia, quibus distringitur, ac tum instituere iter Alexandriam, cum forte hæc conditio adscripta fuisset, vt Alexandriam vel, &c. *Cuiac.*

Ad

Ad §. Quod quis, &c.

Hic §. iam explicatus est *sup. in l. 3. Cuia.*

Ad Leg. 175. Serui. Qui in alterius ius succedit.

IN his quæ officium per liberas fieri personas leges desiderant, seruus interuenire non potest. §. 1. Non debeo melioris conditionis esse, quam auctor meus, à quo ius in me transit.

In his] in omnibus officiis.

Seruus] *v. l. 22. sup. eod.*

Auctor] *v. l. 120. l. 160. in f. sup. eod.*

Quæ dicta sunt de fœminis *in l. 2. sup.* dicuntur etiam de seruis, nam ciuilia munera soli mares & liberi exercent. Ex hac ratione serui reipublicæ causa abesse non possunt *l. vlt. inf.* alia sunt officia seruilia, vel actuum gestus *l. 1. §. 1. C. ne quis liber.* erat olim seruile tabellarii officium *l. 3. de tab. exhib.* alia sunt officia liberorum hominum. In principio legis malo legere, in his officiis, quæ. *Cuiac.*

Ad §. Non debeo.

Hic §. expositus est *in leg. Nemo plus iuris 54. sup. Cuiac. in Recit.*

Ad Leg. 176. Ne ſingulis concedatur, quod per magiſtratum publice fieri poteſt. De libertate & neceſſitudine.

NOn eſt ſingulis concedendum, quod per magiſtratum publice poſſit fieri, ne occaſio ſit maioris tumultus faciendi. §. Infinita æſtimatio eſt libertatis, & neceſſitudinis.

Non] Ex tit. *de iniur. v. l. 13. & 14. eod. tit.*

Concedendum] Nemini permittendum eſt, vt ſibi ius dicat. 2. *ecl. 3. c. 171. l. 7. C. vnde vi. vide tamen l. 54. C. de decurionibus. Goth.*

Libertatis] *v. l. 106. ſup. eod.*

Neceſſitudinis] id eſt, Coniunctionis ſanguinis.

Quæ iure poteſtatis fiunt & neceſſitudinis, ad iniuriarum actionem non pertinent. *l. 13. §. quæ iure. de iniur.* quod poteſt quis per magiſtratum, non poteſt per ſe. *Cuiac.*

Ad §. Infinita, &c.

Dixi de huius §. ſenſu *ſup. in l. libertas* 106.

Ad Leg. 177. Qui in ius alterius ſuccedit. De ignorantia.

QVi in ius dominiumve alterius ſuccedit, iure eius vti debet. §. Nemo videtur dolo

exsequi, qui ignorat causam, cur non debeat petere.

Qui] ex *tit. de hæred. vend.*

Dominiumve] *v. l. 69. sup. eod. l. 37. sup. de acquir. hæred. 2. Eclog. 3. cap. 174.*

Ignorat] *v. l. 19. sup. eod.*

Principium huius legis explicatum in *l. nemo 54. hoc tit.*

Ad §. Nemo videtur, &c.

Exsequi est petere; exsecutio est petitio. *l. in exsecut. 85. de verb. obligat.* Qui petit, non repellitur exceptione doli, si ignorat causam, cur non debeat petere. *l. 2. §. sed & generaliter. de doli except. Cuiac. in Recit.*

Ad Leg. 178. De principali & accessorio.

CVm principalis causa non consistit, plerunque ne ea quidem, quæ sequuntur, locum habent.

Principalis] *l. 129. in fin. sup. eod. l. 2. sup. de pecul. 2. eclog. 3. c. 174.*

Plerumque] si non eadem est ratio: sed diuersa, Decius hic.

Hanc sententiam etiam Paulus lib. 21. ad edictum expresserat. vnde est *l. 129. sup.* vbi explicata est.

Ad

Ad Leg. 179. De obſcura voluntate manumittentis.

IN obſcura voluntate manumittentis, fauendum eſt libertati.

In] Coniunge *l. ſi pecul. de ſtatulib.*

Libertati] *v. l. 20. ſup. eod. 2. ecl. 3. c. 175.*

Eandem ſententiam aliis verbis expreſſit Pompon. *in l. quoties* 20. *ſup.* vbi exemplum tale ponitur: Seruus liber eſſe iuſſus, ſimulque ei legatum traditum eſt, ſi filius ad 14. annum peruenerit; Filius non peruenit ad 14. annum; Legatum perimitur, libertas competit. Nec propterea competit ex teſtamento; nam ſic etiam competeret legatum, ſed competit iure ſingulari; quia interpretamur pro libertate, licet legatum non competat. Quid ſi ſeruus iuſſus eſt liber eſſe, & hoc amplius fundum ſibi habere, ſi hæredi decem dederit mortuo hærede non acceptis decem, an fiet liber? Ac ſi paratam pecuniam morte hæredis non habuerit, dicemus legatum perimi, libertatem conſeruari, non ex teſtamento, ſed ex conſtituto iure. *l. ſi ſeruus* 19. *cum l. ſeq. §. is cui de ſtatuliberis.* Similiter ſi ſeruus ſit legatus teſtamento primum, deinde eodem teſtamento liber eſſe iuſſus ſit, & legatum ei relictum, legatum adimetur, libertas præſtabitur. Et contra primum liber eſſe iuſſus eſt, deinde legatus alteri, an vindicetur libertas?

minime, nisi euidenter constet esse ademtam. Item Stichus liber esse iubetur; duo sunt Stichi, neuter liber erit *l. ex plurib. 31. de manumiss. test.* quia constitutiones nihil inducunt sine colore aliquo; Hic nullo colore defendi libertas potest, qui enim nomen expressit, de certo Sticho sensit, itaque noluit, duos libertos fieri: ius non deest, sed probatio; Propter incertam igitur voluntatem, neutri debetur. Eo modo licet causa tutoris sit fauorabilis, tamen si testator Titium dederit tutorem, & duo sint Titii, neuter erit; *l. duo sunt Titij 30. de test. tut.* non deficit fauor, sed color fauoris inducendi. Atque rursus quæritur, si testator legauit Stichum & duos Stichos habuerit, quis debeatur? Et minorem deberi dicimus, *l. si seruus §. vlt. de legat.* 1. Sic etiam, testator legat Titio, duo sunt Titii eiusdem nominis, valet legatum, & præstabitur ei, cui hæres voluerit. *l. 3. §. si duobus de alim leg.* ratio diuersitatis est, quia libertas relinquitur directo, & competit ipso iure; non videtur venire ab hærede, & Orcinus ille libertus dicitur. Item de tutoris datione constitutum est, eam non tenere, nisi directis fiat verbis. *l. 1. de confirm. tut.* quæ ait inutilem esse dationem tutoris, si detur qui non potest dari; item inutilem, si non detur, quando oportet, male equidem, si detur rebus, non personis. Sed si illa tota lex legatur, patet inutiliter dari,

hoc

hoc modo, rogo te, sis tutor. Nam precaria verba sunt: cum directis verbis sit vtendum, legati hæc causa est, vt præstetur ab hærede: itaque incertum explicare potest ipse hæres præstando legatum, eliget, quem volet, vel dabit, cui volet, sed tutore dato, vel libertate, non est qui possit explicare. *Cuia. in Recit.*

Ad Leg. 180. De eo qui iussu alterius soluit.

QVod iussu alterius soluitur, pro eo est, quasi ipsi solutum esset.

Quod] coniunge legem, *si donaturus de condict. caus. data.*

Iussu] *v. l. 56. sup. de solut. ecl. ibid. c. 176.*

Quod iussu meo soluis alteri, mihi soluisse videris; ergo liberaris *leg. cum iussu 64. de solut.* certum est, etiam me teneri condictione indebiti, si per errorem indebitum solueris: Est & alius effectus huius regulæ, *in l. mortuo hærede 15. §. vlt. de statu liber. Iunge l. si donaturus 9. de condict. caus. dat. Cuia. in Recit.*

Ad Leg. 181. Si nemo adierit ex testamento.

SI nemo subiit hæreditatem, omnis vis testamenti soluitur.

Nemo] *l. 12. §. 5. sup. de bon. libert. l. 1. §. 1. sup. quis ordo in bonorum possess.*

Omnis vis] omne ius.

Soluitur] & res ad intestati causam redit. *d.* §.1.*l.*89.*sup.eod.l.*9.*sup.de test.tut.l.* 10.§.4.*in fine l,* 38.*in fin. sup. de vulg.* nisi hæredes pro adita habeant, & nisi testator pro adita esse velit, quod sæpissime euenit propter codicillos, vel similes clausulas. *Goth.*

Subire est adire, vt docui in obseruat. Cum semel adita est hæreditas, omnis defuncti voluntas constituitur. *l.si patroni* 55.§.*qui fideicommissum ad Senatusconf. Trebell.* contra si nemo adierit, constituitur irrita *l.* 9.*de test.tutel.Leam quam C.de fideicommiss. Cuiac.in Recit.*

Ad Leg.182. De eo quod nullius esse potest.

QVod nullius esse potest, id, vt alicuius fieret, nulla obligatio valet efficere.

Nullius] *l.*82.§.5.*sup. de verborum obligat.* 2. *ecl.*3.*c.* 178.

Liber homo nullius esse potest, & ideo in obligationem deduci non potest, quia ea sola in obligatione consistere possunt, quæ pecunia lui darique possunt. *l.*1.§.*penult. de statulib. Cuiac.in Recit.*

Ad

Ad Leg. 183. Solemnia non facile mutanda.

ETsi nihil facile mutandum est in solemnibus; tamen vbi æquitas euidens poscit, subueniendum est.

Vbi] *l.85. in fin. l.90. de in integ. l.2. sup. de const. princip.* de æquitate alibi dixi. *Goth.*

Repetita est ex *leg. penultim. de in integ. restit.* aliud addatur exemplum ex *l. si seruus communis* 8. *de noxa. act. Cuiac.*

Ad Leg. 184. De vano timore.

VAni timoris iusta excusatio non est.

Vani] *v. l.4. sup. si cui plus, quam per legem, & l.13. sup. de re iudica.* qui & ἄλογος & μάταιος *2. Ecl. 3. c.* 180.

Bulgarus & Iohannes legunt: non iusta excusatio est; sed legendum, nulla æstimatio, *ex l. si quis ab alio 13. de re iudicata*, & illius legis inscriptio verior fortasse est, de specie *vide Cuiac. in l.98. de verb. obligat.*

Ad Leg. 185. De impossibilibus.

IMpossibilium nulla obligatio est.

Impossibilium] *v. l.135. l.182. sup. eod. l.35. l. 69. sup. de verbor. obligat. ecl. 9. d. loco c.181. c. nemo potest ad impossibile obligari 6. de reg. in 6.*

Nulla obligatio, ciuilis aut naturalis scil. *l.31. sup.* Qua de causa ex falsa confessione non teneor, nisi naturæ conueniat. *l. confessionib.* 13. §. 1. *& l. seq.* § *vlt. de interrog. Cuiac. in Recit.*

Ad Leg. 186. Quando peti potest.

NIhil peti potest ante id tempus, quo per naturam solui possit; & cum soluendi tempus obligationi additur, nisi eo tempore præterito, peti non potest.

Ante] *v. l. 73. sup. de verborum obligationib. ecl. d. loco c.* 182.

Nisi] *v. l. 46. sup. de verb. obligat. ecl. ibid. adde l.* 17. *sup. eodem.*

Ex stipulatione, cui tacite inest tractus temporis, agi non potest, antequam id tempus præterierit *l. quoties* 24. *de oper. libert. l. interdum pura* 73. *de verb. obligat.* similiter ex stipulatione, cui tempus palam additum est, agi non potest, nisi tempore præterito. §. *omnis Instit. de verb. obligat. Cuiac. in Recit.*

Ad Leg. 187. Qui vxorem prægnantem reliquit.

SI quis vxorem prægnantem reliquit, non videtur sine liberis decessisse.

Prægnantem] *l.* 18. *sup. quando dies legati. ecl. ibid. c.* 183.

Sine

Sine liberis] de hac conditione adde *l.*77.§. 13.*l.*89.§.5.*sup.de lega.*2.*l.*17.§.4.*sup. ad Trebell.l.* 148.*sup.de verb.signif.*

Orbitatis olim erant pœnæ quædam; orbi sunt, qui liberos non habent, sed qui vxorem prægnantem reliquit, non videtur orbus decessisse; consequenter & patronum habet is, cuius patronus mortuus est, relicta vxore prægnante, orba etiam non videtur, quæ moritur pleno vtero, nam etsi mortuæ filius extrahitur, videtur tempore mortis filium habuisse. *Cuiac. in Recit.*

Ad Leg. 188. Si testator pugnantia iusserit. De impossibilibus.

VBi pugnantia inter se in testamento iubentur, neutrum ratum est.

§. 1.

Quæ rerum natura prohibentur, nulla lege confirmata sunt.

Pugnantia] 2.*Ecl.*3.*cap.*184.*l.*16.*sup. de condit. instit. l.* 13. §.3. *l.*27.*sup.de reb. dub. v.l.*14. *C. de fide instrum.*

Prohibentur] *v.l.*185.*sup.eod. adde l.*12. §.2. *sup.de captiuis. eclog.d.loco.*

Vt, si iusserim agrum in familia retineri, ac deinde iusserim Titio eundem vendi certo pretio, neutrum valet; Atque dici solet, nouissimam

simam scripturam spectari. Hoc cum sola legati causa mutatur; Cum enim adimitur, quod antea testatorem voluisse constat, neutrum ratum est. Qua de causa etsi iubeat seruum manumitti, ac deinde eundem seruum iubeat Titio præstari, si obscurum sit, an ante, vel post libertatem eam legauerit, neutrum valere videtur, hoc tamen fauore libertatis præualere dicimus.

Ad §. Quærerum, &c.

Si minor adoptauerit maiorem, hæc adoptio nulla est, nec vlla lege confirmatur, alias adoptio non iure facta, à principe confirmari potest *l. adoptio. 38. de adopt. Cuiac. in Recit.*

Ad Leg. 189. De pupillo & authoritate tutoris.

Pupillus nec velle, nec nolle in ea ætate nisi apposita tutoris auctoritate creditur. Nam quod animi iudicio fit, in eo tutoris authoritas necessaria est.

Pupillus] *l. 43. sup. de oblig. ecl. ibidem. cap. 185.*

Velle] *v. l. 2. §. 19. sup. vi bonorum rapt.*

De hac lege dixi *in l. 3. sup.* inscriptio suspecta est, quia non seruatur series librorum. *Cuiac.*

Ad

Ad Leg. 190. De euictione.

QVod euincitur, in bonis non eſt.

Euincitur] *l. 52. ſup. de acquir. rerum dominio l. 25. ſup. de verborum ſignif.*

In bonis] *v. l. 49. ſup. de verb. ſignif.*

Non eſt] Imo eſt, *v. l. 15. §. 6. ſup. qui ſatisdare.*

Et ideo non liberatur, qui rem, quæ euincitur, ſoluit. *l. ſi homo. 69. de ſol.* quæ euincitur; etſi nondum euicta ſit, vel etiam quæ euinci poſſit. *l. 139. §. vlt.* nec etiam in bonis eſſe videtur, niſi quod retinere poſſumus. *l. rem in bonis 52. de acquir. rerum domin. l. non videtur 22. de acquir. poſſeſſ. Cuiac. in Recit.*

Ad Leg. 191. De beneficio principis.

NEratius conſultus, an quod beneficium ſe dare quaſi viuenti Cæſar reſcripſerat, iam defuncto dediſſe exiſtimaretur? reſpondit, non videri ſibi principem, quod ei, quem viuere exiſtimabat, conceſſiſſet, defuncto conceſſiſſe, quem tamen modum ſui beneficii eſſe vellet, ipſius exiſtimationem eſſe.

Iam] Priuilegium alicui datum tanquam viuenti, ei mortuo non competit, id eſt, ad hæredes non extenditur *eclo. ibid. cap. 187.* facit *lex 2. ſup. quæ ſententiæ ſine appellatione.*

Ipſius] interpretatio priuilegii, vel beneficii ſpectat

ſpectat ad principem, qui conceſſit. *l. 43. ſup. de vulgari. ecl. ibid.*

Beneficium, quod princeps viuenti conceſſit (vt ſi quid largiatur viuenti) iam defuncto non conceſſiſſe videtur, *argumento l. de qua re 74. de iudic.* ſed ſuum ipſe beneficium interpretabitur ex animi ſententia. *l. ex facto quaritur 43. de vulg. ſubſtit. Cuiac. in Recit.*

Ad Leg. 192. De hæredibus & obligatione indiuidua. De re dubia.

EA, quæ in partes diuidi non poſſunt, ſolida à ſingulis hæredibus debentur. §. In re dubia benigniorem interpretationem ſequi, non minus iuſtius eſt, quam tutius.

Non poſſunt] vt via, vt actus: aquæductus. *l. 17. ſup. de ſeruitutibus l. 11. §. 24. ſup. de legat. 3. l. vlt. ſup. de ſeruit. legat.*

Solida] *l. 2. §. 2. ſup. de verb. obligat.*

Benigniorem] *v. l. 155. in fin. ſup. eod. l. 54. ſup. de acquirend. hæreditate.*

Ea, quæ diuidi poſſunt, debentur ab hæredibus, portionibus hæreditariis ex 12. Tabulis; quæ diuidi non poſſunt, vt iura prædiorum, ſolida debentur à ſingulis. *l. hæredes 25. §. 9. famil. herciſcund. l. 2. §. his de verb. obligat.* Sumatur aliud exemplum ex *l. ſi duo 22. depoſit.*

Ad §. In re dubia, &c.

Vide *ſup. l.* 58. *Cuiac.*

Ad Leg. 193. De aditione cum tempore mortis continuanda.

OMnia ferè iura hæredum perinde habentur, ac ſi continuo ſub tempus mortis hæredes extitiſſent.

Continuo] *v. l. 3. ſup. de hæred. petit. l.* 5. §. 1. *ſup. quod cum eo l.* 7. *in fin. ſup. de acquir. hæred. l.* 65. *l.* 70. *ſup. de verb. ſignificatione l. vlt. C. de hæred. inſtituend. Goth.*

Quòd hic dicitur, idem ex Paulo relatum eſt ſupra in *l.* 138. *vbi vide Cuia.*

Ad Leg. 194. De hæredibus hæredum.

QVi per ſucceſſionem, quamuis longiſſimam, defuncto hæredes conſtiterunt, non minus hæredes intelliguntur, quam qui principaliter hæredes exiſtunt.

Succeſſionem] ceſſionem.

Longiſſimam] niſi hæredis vocabulo adiecta ſit reſtrictio, puta, lego hæredibus infra ſcriptis, niſi agatur de odio, niſi quædam ſpecialis affectio defuncti aliud requirat. v. Decium hic *Gothofr.*

Conſtiterunt] alii exſtiterunt.

Hæres

Hæres hæredis est hæres testatoris *l. vlt. C. de hæred. instit.* Hæres scriptus directè, principaliter suo nomine *l. vlt. de legat.* 3. Non hæres hæredis per successionem, nam hic alieno nomine, non suo, non ex iudicio defuncti venit. *l. l. qui liberis* 8. §. *vlt. de vulg. & pupill. substit.* nisi ab eo fideicommissum relinquatur, *l.* 5. §. 1. *de legat.* 3. sicut legitimus hæres remotior ex iudicio defuncti non venit, nisi ab eo fideicommissum relinquatur *l.* 1. §. 1. *de legat.* 3. & incertus est *l. sciendum* 70. *de verborum signific.* quæ differentiam facit in quibusdam speciebus, vbi hæredis appellatione non comprehendantur. *Cuiac. in Recit.*

Ad Leg. 195. *De expressis & tacitis.*

EXpressa nocent; non expressa non nocent. *Nocent*] Interdum. *l.* 77 *sup. eod. l.* 77. *inf. sup. de condit. & demonstr.* Interdum verò magis prosunt, quam tacita. de quib. vide Decum hic. *Goth.*

Vim huius reg. exposui in *l. actus legitimi* 77. *sup. Cuiac.*

Ad Leg. 196. *De priuilegiis.*

PRiuilegia quædam causæ sunt, quædam personæ: & ideo quædam ad hæredem trans-

transmittuntur, quæ causæ sunt, quæ personæ sunt, ad hæredem non transeunt.

Priuilegia] Ex tit. *de iure immunitat.*

Causæ] πράγματι διδόμενα προνομία 2. *Ecl. 3. cap.* 192.

Personæ] *v.l.68.sup.eod.*

Ad Leg.197. De coniunctionibus, licito & honesto.

SEmper in coniunctionibus non solum quid liceat, considerandum est, sed quid & honestum sit.

Semper] Coniunge *l.42.de rit.nupt.*

Coniunctionibus] ἐν τοῖς γάμοις 2. *ecl.3.cap.*193. in conuentionibus. Haloand. contractibus, Dynus.

Honestum] *l.*144.*sup.eod.* εὐπρεπὲς *Eclog. ib.* naturale ius & pudor. *v.l.*14.*sup.de ritu.* facit *lex* 10.§.2.*sup.de instit.*

Eandem sententiam retulit sup. *leg.* 144. *in princip.* ex Paulo, vbi vide *Cuiac.*

Ad Leg.198. De dolo tutoris.

NEque in interdicto, neque in cæteris causis pupillo nocere oportet dolum tutoris, siue soluendo est, siue non est.

Interdicto] *l.* 11.§.6.*sup.quod vi.*

Dolum] *l.4.sup.quando ex facto tutoris.c. delictum personæ.*76.*de reg.in* 6.

Siue

Siue] 2. *Ecl.* 3. *cap.* 194.

Ex dolo tutoris pupillus non tenetur interdicto, quod vi aut clam *l.* 11. §. *si tutoris*, *quod vi aut clam.* auctor huius regulæ illo loco nominatur Cassius, & sane inscriptio eruta est ex libris Cassii. Non tenetur etiam interdicto, de tabulis exhibendis. Huic regulæ locus est, siue solummodo tutor sit, siue non, videlicet, si pupillus ex dolo tutoris locupletior factus non sit. Nam si locupletior factus sit, tenetur *l. sed & ex dolo* 15. *de dol. leg. apud* 4. §. *illa etiam* 23. *de doli except.* Et tenetur indistincte, siue soluendo tutor sit, siue non, cum scilicet dolus ex contractu descendit: Extra contractum non tenetur, nisi tutor soluendo sit. Cætera *in l. Heredib. de dolo. vide apud. Cuiac.*

Ad Leg. 199. *De eo, qui imperio Magistratus non paruit.*

NOn potest dolo carere, qui imperio magistratus non paruit.

Non paruit] *l. vnica sup. si quis ius dicenti l.* 13. §. 2. *sup. de iniuriis.*

Neque enim hoc quisquam ignorat, magistratui esse parendum, cum sit innatum vnicuique, sicut & illud, *parentibus & patriæ esse parendum.* Igitur non potest non contumax videri, qui imperio Magistratus non paret. Dolo ca-

lo caret ignarus malitiæ, cuius malitiæ ignorantiam nemo prætendere poteſt, niſi demens ſit, vel admodum impubes. Contumacia dolus eſt, qui in non faciendo conſiſtit. *Cuiac. in Recitat.*

Ad Leg. 200. De minori iniquitate eligenda.

QVoties nihil ſine captione inueſtigari poteſt, dicendum eſt, quod minimum habet iniquitatis.

Sine captione] χωρὶς βλάβης Ecl. ibid. *c.* 195. 6. *Harmenop.* 2.

Inueſtigari] fieri non poteſt οὐκ ἐνδέχεται ζητεῖσθαι *ecl.c.* 195. 6. *Harmenop.* 2.

Minimum] ἥττον ἄδικον 2. *ecl.* 3. *cap.* 195. hinc illæ regulæ; Ex duobus malis minus eligendum: odia reſtringi *c. odia* 15. *de regul. in* 6.

Sumatur exemplum ex *l.* 4. *de diuerſ. & temp. præſcript.* Seruus hæreditarius ſatis accepit in diem certum; poſtea adita eſt hæreditas, quæritur; an tempus ſatiſdationis cedat & computetur ex die accepti fideiuſſoris, ex quo agi cum eo potuit; an ex adita hæreditate? Item quæritur: ſi ſeruus eius qui eſt apud hoſtes fideiuſſores acceperit, vtrum ex die accepti fideiuſſoris, an ex quo poſtliminio reuertitur, tempus ſatiſdationis cedat? Si dixeris: ex die interpoſitæ

Aa ſtipu-

stipulationis, captio erit actoris. Nam tempus cedit antequam agere possit. Contra si dixeris; ex die, quo dominus agere possit, captio erit rei, hoc est fideiussoris. Nam in longius tempus extenditur obligatio. Quid fiet? Eligamus, quod minimum in se habet iniquitatis; Iniquius autem est grauari reum, quam actorem, iniquius ex conditione actoris extendi obligationem rei. Itaque melius est ita constitui, Tẽpus cadere statim ex die interpositæ stipulationis. Et hoc Iauolenus docte censuit. *in d. l.* 4. quæ cum hac regula optime conuenit. Iauolenus ex Cassianis fuit, & Cassius idem censuit, vt refertur *in l. si seruus* 25. *de stipul. seruorum.* Cassius, inquam, existimat, tempus ex eo computandum, ex quo agi cum eis potuerit, cum iis scilicet fideiussoribus: licet nondum fuerit, qui agere possit, quod sequitur *in d. l. si seruus*, id est, ex quo adeatur hæreditas, aut postliminio dominus reuertatur. Huic regulæ simile quicquam habuimus *in l.* 85. §. *vlt. sup. Cuiac.*

Ad Leg. 201. De his quæ ex testamento proficiscuntur.

OMnia, quæ ex testamento proficiscuntur, ita statum euentus capiunt, si initium quoque sine vitio ceperint.

Euentus] id est, effectus ἀποτελέσματα 2. *ecl.* 3. *cap.* 197.

Ini-

Initium] *l. 29. l. 178. ſup. eod. l. 210. inf. eod. vide l. 1. ſup. de reg. Catoniana.*

Vide *l. 29. & l. 178. ſup. eod. & l. 210. inf. hoc tit. Cuiac.*

Ad Leg. 202. Definitiones eſſe periculoſas.

OMnis definitio in iure ciuili eſt periculoſa, parum enim eſt, vt non ſubuerti poſſit.

Definitio] *l. 1. ſup. eod. adde l. 32. ſup. eod.* νομικὸς κανὼν *ecl. ibid. c. 198. 6. Harmenop. 2.*

Parum] id eſt, vix eſt, ſic Græci δυσχερὲς τὸ ἀνατρέποντι *Ecl. ibid. Harmenop.*

Etiam de hac lege *in l. 1. ſup. Cuiac.*

Ad Leg. 203. De damno & culpa.

QVod quis ex ſua culpa damnum ſentit, non intelligitur damnum ſentire.

Damnum] *c. damnum 86. de reg. in 6.* ζημιούμενος *Ecl. ibid. c. 199. l. 46. §. 5. ſup. de procurat. l. 9. inf. l. 17. in f. princ. ſup. de noxalib. l. 44. §. 5. ſi familiæ l. 15. ſup. qui omiſſa causa. Goth.*

Sentire] ab alio ſcilicet.

Ideo ſi culpa emtoris res euincatur, non committitur ſtipulatio duplæ. *l. ſi ideo de euict.* ſi ex delicto ſuo procurator pœnam præſtiterit, non recuperat eam contrario mandati iudi-

rio, *l. qui proprio* 46. §. *item* ꝰ *de procurat.* Idem in socio est, *l. cum duobus* §. *vlt. pro socio*, sumatur exemp. *ex l.* 44. *de dam. infect. Cuiac.*

Ad Leg. 204. *De actione.*

MInus est, actionem habere, quam rem.

Minus] re & effectu, idem fictione. *l.* 15. *sup. eod. adde l.* 38. §. 9 *sup. eod.*

Qui actionem habet, videtur rem habere, *l.* 25. *sup.* videri est πλασινὸν. Nam reuera minus est habere actionem, quam rem. Qua de causa, & qui actionem habet, non in rem condemnatur, satis namque est, actionem cedi. *l.* 20. §. *bonæ fid. de petit. hæredit. Cuiac.*

Ad Leg. 205. *De his, quæ à nobis abire possunt. De obligatis Fisco.*

PLerunq; fit, vt etiam ea, quæ à nobis abire possunt, proinde in eo statu sint, atque si non essent eius conditionis, vt abire possent, & ideo quòd fisco obligamus & vindicare interdum, & alienare, & seruitutem prædio imponere possumus.

Quæ nobis] Quæ à nobis vulgat. *Hal.*

Proinde] Perinde *vulgat. Hal.*

Vindicare] Non ideo minus vt nostrum, recte id vindicabimus, quod abire à nobis dominium speretur. *l.* 66. *sup. de rei vind. Gothof.*

Dixi

Dixi *in l. omnes actiones. 139. sup. Cuiac.*

Ad Leg. 206. Ne quis lucretur cum iactura alterius.

IVre naturæ æquum est, neminem cum alterius detrimento & iniuria fieri locupletiorem.

Iure naturæ] naturâ *l. 14. sup. de condic. indeb.* ex æquo & bono *l. 66. sup. de condic. indeb.* iure gentium *l. 25. in f. sup. rerum amot. Goth.*

Detrimento] 2. *ecl. 3. c. 200. d. l. 14. cap. locupletari 48. de regul. in 6. l. 16. sup. de seruit. rust. l. 13. §. 1. sup. communia prædiorum. l. 17. §. 4. in f. sup. de institut. l. 12. §. 1. sup. de distract. pig. l. 2. §. 10. sup. ne quid in loco publico. Goth.*

Locupletiorem] ideo minor obligatur, quatenus est locuples *l. 1. sup. de auct. tut.* Id tamen cessat in vsucapionibus, *l. 1. de vsurp.* & quoties vtilitas publica requirit vsum, & tamen non iniquum rei priuatæ, *l. 15. §. 2. sup. de rei vindicat. l. 13. sup. comm. præd. l. 11. supr. de euictionibus. Gothofr.*

Hac ratione hæredes ex delicto defunctorum tenentur: & prædo, si vtiles & necessarias fecerit impensas, earum ratio habetur officio iudicis, vel exceptione doli vel condictione certi; hæc enim est omnium condictionum causa. *Cuiac.*

Ad Leg. 207. De re iudicata.

Res iudicata pro veritate accipitur.

Iudicata] *l. 25. in f. sup. de statu hom.*

Repetita est ex *l. ingenuum de stat. hom.* Res iudicata ingenuum facit, ingenuus est, quem esse ingenuum iudicatum est; patronus est, quem esse patronum pronunciatum est. *l. si iuramento de iure patronatus.* Suus est, quem suum esse pronunciatum est. *l. 3. de lib. agnosc.* Res autem iudicata non tollit naturalem obligationem. *l. Iulianus de condict. indeb.* & nunquam possessori parit actionẽ *l. 7. de pignor.* Idem dici etiam potest de sententia arbitri, vt pro veritate habeatur; Sed excipiendi sunt duo casus, quibus sententia eius ius non facit; Si colluserit præses, & si condemnatus sit ex edicto peremptorio. *Cuiac. in Recit.*

Ad Leg. 208. Desinere habere.

Non potest videri desiisse habere, qui nunquam habuit.

Qui] *l. 81. l. 174. sup. desiisse non videtur quod nec incepit. l. 5. sup. de iniusto l. 96. in princ. & §. 1. sup. de condit. & demonstr. l. 13. sup. de suis l. 116. sup. de verb. oblig. l. 19. sup. quemadmodum seruitutes amittuntur. Goth.*

Et ideo non tenetur, qui non potuerit immissum habere, interdicto; *Ne quid in loco publico,*

blico, fœmina non deſiit ſuos habere hæredes. *l. nulla de ſuis & legit. hæred.* quod propriè ad hanc regulam pertinere puto, quod ſimilitudo inſcriptionis ad l. Iul. & Papiam facit, & ideo qui deſinit ſuos habere capite minutos, non amittit ius legitimæ ſucceſſionis. *Cuiac.*

Ad Leg. 209. De ſeruitute.

SEruitutem mortalitati fere comparamus.
Seruitutem] & manumiſſionem *v. leg. 92. ſup. de ſolut.*
Mortalitati] *v. l. 59. in f. ff. de cond. & demonſt.* Vide ſup. *in l. 39. Cuiac.*


Ad Leg. 210. De inſtitutione.

QVæ ab initio inutilis fuit inſtitutio, ex poſt facto conualeſcere non poteſt.
Ab initio] *v. l. 29. ſup. eod.*
Ex poſt facto] id eſt, tractu temporis. Docui in *l. 29. ſup. vbi vide.*

Ad Leg. 211. De ſeruo & abſentia Reip. cauſa.

SEruus reipub. cauſa abeſſe non poteſt.
Seruus] adde *l. 140. ſup. eod.*
Repetita eſt ex *l. ſi quis ſeruum 7. ſi quis caut. in iud. ſiſtend. cauſ. fact. non obtemper.* Et hanc non eſſe vltimam ſuſpicabar, quod in Florentino libro imperfecta ſit, ſed Baſilικῶν libri vltimam eſſe, teſtantur. *Cuiac.*

FINIS.





INSTITVTIONES CAII, VNA CVM NOTIS SVCCINCTIS ac selectis optimorum Iurisconsultorum.

Tit. I. De Libertatibus seruorum.



Aij Institutionum liber primus dicit, omnes homines, aut liberos esse, aut seruos. Sed ex ipsis, qui liberi sunt, alios esse ingenuos, alios libertinos. Ingenuos, qui ingenui nati sunt: Libertinos, qui pro iusta seruitute manumissi, liberi fiunt. Ingenuorum omnium vnus status est. Libertorum vero ideo non vnus est, quia tria sunt genera libertorum: quia Liberti aut ciues Romani sunt, aut Latini, aut Dedititii. Tamen qui ciues Romani sint, qui Latini, qui Dedititii, breuiter explanandum est. Ciues Romani sunt, qui in his tribus modis, id est, testamento, aut in Ecclesia, aut ante Consulem fuerint manumissi. Latini sunt, qui aut per epstolam, aut inter amicos, aut conuiuii adhibitione manumittuntur.

Dedititii vero sunt, qui post admissa crimina suppliciis subditi, & publice pro criminibus cæsi sunt: aut in quorum facie vel corpore quæcunque indicia aut igne, aut ferro impressa sunt, & ita impressa sunt, vt deleri non possint. hij si manumissi fuerint, Dedititii appellantur. Sed inter hæc tria genera libertorum ideo ciues Romani meliorem statum habent: quia & testamenta facere, & ex testamento quibuscunque personis succedere possunt. Nam & Latini, & Dedititii nec testamenta condere, nec sibi ex testamento aliorum aliquid dimissum possunt vllatenus vindicare. Tamen Latini certis rebus priuilegia ciuium Romanorum Libertorum consequi possunt: Dedititii vero nulla ratione possunt ad ciuium Romanorum Libertorum beneficium peruenire. Nam Latini patronorum beneficio, id est, si iterum ab ipsis aut testamento, aut in Ecclesia, aut ante Consulem manumittantur, ciuium Romanorum priuilegia consequuntur. Non tamen omnes domini seruos suos manumittere possunt. Nam si aliquis multa debita habeat, cuius substantia à creditoribus teneatur obnoxia, si in fraudem creditoris sui seruos suos manumittere voluerit, collata manumissio non valet. Aut si libertus ciuis Romanus filios liberos non habuerit, & in fraudem patroni sui seruos suos manumittat, similiter data manu-

missio

missio non valet. Præterea minor quicunque viginti annorum dominus, seruo suo libertatem dare non potest, nisi forte tantum minor manumissor, cui pater suus & mater à patrono donati sunt, eosdem manumittat, aut certe pædagogum, aut collactaneum manumittat. Nam quamlibet dominus, id est, quatuordecim annos egressus, testamentum facere possit, & hæredem instituere, & legata relinquere, libertatem tamen seruis non potest in hac ætate conferre.

Omnes homines] *Inst. de iure person. in princ. l. 3. ff. de statu.*

Ingenuos] *Instit. de ingenuis.*

Qui pro] ex iusta. *l. 6. ff. de stat. hominum.*

Iusta] de iusta seruitute. *vid. leg. 3. ff. de stipul. seru.*

Qui pro iusta] Al. qui iusta. *Caius l. 6. eod.*

Quia tria sunt genera] *vid. sup. in notis ad Vlpian. Goth. 1. §. 5. &c.*

§. 2. Ciues Romani sunt, qui his tribus modis, id est, testamento, aut in Ecclesia, aut ante consulem fuerint manumissi.

Testamento] vid *sup. in not. Gothofr. Vlpian. 1. §. 6.*

Aut in ecclesia] at quid Caio Ethnico Ecclesiæ nomen? lege igitur, aut censu, aut ante consulem *vid. Goth. hic.*

Ante consulem] idem ac si diceret apud Prætorem,

torem, vel vindicta. *vid. in notis ad Vlpian. d. loco* §. 7.

§. 3. Latini sunt, qui aut per epistolam, aut inter amicos, aut conuiuii adhibitione manumittuntur.

Latini] vid. *C. de latina libert.*

Aut per epistolam] vid. *l. vnic.* §. 1. *C. de Latin. libertate.*

Inter amicos] vid. *sup. in not. ad Vlpian.* 1. §. 10. *adde l. vn.* §. 7. *C. de Latin. libert.*

Conuiuij adhibitione] per mensam. Teoph. *Inst. de libert.*

§. 4. Dedititii vero sunt, qui post admissa crimina suppliciis subditi, & publice pro criminibus cæsi sunt: aut in quorum facie vel corpore quæcunque indicia aut igne aut ferro impressa sunt, & ita impressa sunt, vt deleri non possint, ii si manumissi fuerint, Dedititii appellantur.

Dedititij vero sunt] v. C. *de dedititia libertate toll. Vlp.* 1. §. 11.

Facie vel corpore] aut fronte, Theoph. *Inst. de libert.* §. τῶν δὲ ἀπελευθέρων.

Quæcunque inditia] στίγματα Theoph. ibi, vestigia. *Vlpian.* 1. §. 11. cicatrices, notæ. *l.* 1. §. 8. *ff. de fugitiuis.* vbi *Gothofred.* de huiusmodi notis.

Aut ferro] aut verubus, vnde subuerbustæ, quasi verubus vstæ. Plautus vlcerosam, compeditam, subuerbustam, sordidam. Festus in voce sub-

ce subuerbustam. Tertullianus *in libro de Pallio*, subuerbustos in liberalibus, intelligit autem *στιγματίας. vid. Goth. hic.*

§. 5. Sed inter hæc tria genera libertorum, ideo ciues Romani meliorem statũ habent: quia & testamenta facere, & ex testamento quibuscunq; personis succedere possunt. Nã & Latini, & Dedititii, nec testamẽta condere, nec sibi ex testamento aliorũ aliquid dimissum possunt vllatenus vindicare. Tamen Latini certis rebus priuilegia ciuium Romanorum libertorũ consequi possunt: Dedititii vero nulla ratione possunt ad ciuium Romanorum Libertorum beneficium peruenire. Nam Latini Patronorum beneficio, id est, si iterum ab ipsis, aut testamẽto, aut in ecclesia, aut ante consulem manumittantur, ciuium Romanorum priuilegia consequuntur.

Testamenta condere] *vid. §. 4. Inst. de success. libertor.*

Certis rebus] de quibus *vid. sup. Vlpian.* 3.

Si iterum ab ipsis] 3. *Vlpiani* 4.

Aut in ecclesia] Cuiac. *lib. 7. obseruat. cap. 15.* Priscianum *lib. 6.* allegat ex fide manuscriptorum (quod hac in parte Priscianus valde corruptus sit) *Caius inquit in primo Instit.* Adhibitis non minus quinque testibus puberibus, item libripende. *In eodem*, qui libram æneam teneat, qui appellatur libri pens, &c. *Quæ cum*

non

non ita sint in Caij institutionibus, quæ vulgo circumferuntur, apparet interpretationem Aniani ad illas eam esse, non ipsum Caij *contextum, quod & argumento manumissionis factæ in ecclesia, quam manumissioni censu factæ substituit Anianus*: Et adfiliatorum *appellationis*, qua etiam vtitur in *l.* 2. *C. Theod. de legitim. hæred.* & multis aliis comprobari potest. Hæc Cuiac. Pacius hic.

§.6. Non tamen omnes domini seruos suos manumittere possunt. Nã si aliquis multa debita habeat, cuius substantia à creditoribus teneatur obnoxia, si in fraudem creditoris sui seruos suos manumittere voluerit, collata manumissio non valet.

Obnoxia] Nec sit soluendo. *vid. Vlpian.* 1. §. 14. *vid. Inst. quib. ex caus. manumitt. non licet. leg.* 10. *l.* 16. *ff. qui & à quib. manum. liberi non fiant.*

§.7. Aut si libertus ciuis Romanus filios liberos non habuerit, & in fraudem Patroni sui seruos suos manumittat, similiter data manumissio non valet.

In fraudem patroni sui] vid. Gothofr. in notis ad. *Vlpian*, 1. §. 15.

§.8. Præterea minor quicunque viginti annorum dominus, seruo suo libertatem dare non potest, nisi forte tantum minor manumissor, cui pater suus & mater à patrono donati sunt, eosdem manumittat, aut certe pædagogum, aut collactaneum manumittat.

mittat. Nam quamlibet dominus, id est, quatuordecim annos egressus, testamentum facere possit, & hæredem instituere, & legata relinquere, libertatem tamen seruis non potest in hac ætate conferre.

Pedagogum] *c.5. Inst. quib. ex caus. manumit. non licet l.13. ff. de manum. vind.*

Annos egressus] *d. l. 13.*

Non potest in hac ætate] Id merito hodie abrogatum & immutatum est §. 7. *Instit. qui manumitt.*

Tit. II. De numero seruorum testamento manumittendorum.

CONstitutum est, quantum seruorum numerum testamento, de quanta familia liceat manumitti, hoc ordine: vt si quis duos seruos habet, ambos manumittere possit: qui vero tres, duos testamento manumittat. Qui quatuor, similiter duos. Qui sex, tres. Qui octo, quatuor. Qui decem, quinque. Qui vndecim, duodecim, tredecim, quatuordecim, quindecim, sedecim, decem & septem: similiter quinque. Qui decem & octo, sex. Et ab hoc numero vsque ad triginta, tertiam partem manumittere liceat. Qui amplius quam triginta habuerit, vsque ad centum, quartam partem de numero seruorum manumittere potest.

Qui

Qui vero plures quam centum habuerit, quintam partem manumittere potest. Sed & hoc statutum est, vt de qualibet grandi familia, nulli amplius, quam centum testamento manumittere liceat. Nam qui voluerit aut in Ecclesia, aut ante Consulem, aut inter amicos, aut per epistolam manumittere, potest his manumissionibus omnem familiam iugo seruitutis absoluere. Nam si aliquis testamento plures manumittere voluerit, quam continet numerus suprascriptus, ordo seruandus est: vt illis tantum libertas valeat, qui prius manumissi sunt, vsque ad illum numerum, quem explanatio continet superius comprehensa. Qui vero postea supra constitutum numerum manumissi leguntur, integre in seruitute eos certum est permanere. Quod si non nominatim serui, vel ancillæ in testamento manumittantur, sed confuse omnes seruos suos, vel ancillas is qui testamentum facit, liberos facere voluerit, nulli penitus firma esse iubetur hoc ordine data libertas, sed omnes in seruili conditione, qui hoc ordine manumissi sunt, permanebunt. Nam & si ita in testamento seruorum manumissio adscripta fuerit, id est, in circulo, vt qui prior, qui posterior nominatus sit, non possit agnosci, nulli ex hiis libertatem valere manifestum est, si agnosci non potest qui prior, qui posterior manumissus fuerit. Nam si aliquis in ægri-

ægritudine constitutus, in fraudem huius legis facere noluerit testamentum, sed epistolis, aut quibuscunque aliis rebus seruis suis pluribus quam per testamentum licet, conferre voluerit libertates, & sub tempore mortis hoc fecerit, hii qui prius manumissi fuerunt, vsque ad numerum superius constitutum, liberi erunt. Qui vero post statutum numerum manumissi fuerint, serui sine dubio permanebunt: nam si incolumis quoscunque diuerso tempore manumisit, inter eos qui per testamentum manumissi sunt, nullatenus computentur.

De numero] *vid. l. 5. ff. qui testam.*

§. 1. Constitutum est, quantũ seruorum numerũ testamento de quãta familia liceat manumitti, hoc ordine, vt si quis duos seruos habet, ambos manumittere possit. Qui vero tres, duos testamẽto manumittat. Qui quatuor, similiter duos. Qui sex, tres. Qui octo, quatuor. Qui decem, quinque. Qui vndecim, duodecim, tredecim, quatuordecim, quindecim, sedecim decem & septem; similiter quinque. Qui decem & octo, sex. & ab hoc numero vsque ad triginta, tertiam partem manumittere liceat. Qui amplius quam triginta habuerit, vsque ad centum, quartam partem de numero seruorum manumittere potest. Qui vero plures quam centum habuerit, quintam partem manumittere potest. Sed & hoc statutum est, vt

de qualibet grandi familia, nulli amplius quam centum testamento manumittere liceat.

Constitutum est] lege Fusia Caninia vid. *Inst. de lege Fusia Caninia tollenda.*

Hoc ordine] *Paul.* 4. *sent.* 14. §. *vlt.* Numerus seruor. manumittendorum hic traditur.

Quam centum] *Gothofr. ad Vlpian. d. loco.* Vopiscus in Tacito. Seruos manumisit intra centum tamen, ne Caniniam transisse videretur.

§. 2. Nam qui voluerit aut in ecclesia, aut ante consulem, aut inter amicos, aut per epistolam manumittere, potest his manumissionibus omnem familiam iugo seruitutis absoluere.

Omnem familiam] omnem familiam manumittere possumus. *Inst. de leg. Fusia Caninia.*

§. 3. Nam si aliquis testamento plures manumittere voluerit, quã continet numerus suprascriptus, ordo seruandus est: vt illis tantum libertas valeat, qui prius manumissi sunt vsque ad illum numerum, quem explanatio continet superius comprehensa. Qui vero postea supra constitutum numerum manumissi leguntur, integre in seruitute eos, certum est, permanere. Quod si non nominatim serui, vel ancillæ in testamento manumittantur, sed confuse omnes seruos suos, vel ancillas, is, qui testamentum facit, liberos facere voluerit, nulli

nulli penitus firma esse iubetur hoc ordine data libertas, sed omnes in seruili conditione, qui hoc ordine manumissi sunt, permanebunt. Nam etsi ita in testamenro seruorum manumissio adscripta fuerit, id est, in circulo, vt qui prior, qui posterior nominatus sit, non possit agnosci, nulli ex his libertatem valere manifestum est, si agnosci non potest, qui prior, qui posterior manumissus fuerit.

Qui prius manumissi] vid sup. in not. Goth. ad *Vlpian.* 1. §. 24. *in fin.*

Certum] decretum.

Nulli penitus] *l.* 42. *l.* 45. *ff. de hæred. inst.*

In circulo] id est, in orbe & permixtim.

§. 4. Nam si aliquis in ægritudine constitutus in fraudẽ huius legis facere noluerit testamentum, sed epistolis, aut quibuscunque aliis rebus seruis suis pluribus, quam per testamentum licet, conferre voluerit libertates, & sub tempore mortis hoc fecerit, ii qui prius manumissi fuerunt, vsque ad numerum superius constitutum, liberi erunt. Qui vero post statutum numerum manumissi fuerint, serui sine dubio permanebunt.

In fraudem huius legis] vetitus testamento plures (quam lege definiti sint) seruos manumittere, in fraudem legis per epistolam manumittere alios non potest. *Goth. hic.*

Sed Epistolis] Epistola manumittere quis

seruum potest, vt & Codicillis. *Paul. 4. sent.* 14. §. 2.

§. 5. Nam si incolumis quoscunque diuerso tempore manumisit: inter eos, qui per testamentum manumissi sunt, nullatenus computentur.

Tit. III. De Iure personarum.

Aliquæ personæ sui iuris sunt, aliquæ alieno iuri subiectæ sunt. Itaque cum ostenditur, quæ personæ alieno iuri subiectæ sint, tunc euidenter agnoscitur quæ sui iuris sint. In potestate itaque dominorum sunt serui, quam potestatem omnes gentes habere certum est: sed distringendi in seruos dominis pro sua potestate permittitur, occidendi tantum seruos suos domini licentiam non habebunt: nisi forte seruus dum pro culpæ modo cæditur, casu forsitan moriatur. Nam si seruus dignum morte crimen admiserit, iis iudicibus, quibus publici officii potestas commissa est, tradendus est, vt pro suo crimine puniatur. In potestate etiam patrum sunt filii, ex legitimo matrimonio procreati.

§. 1. Aliquæ personæ sui iuris sunt, aliquæ alieno iuri subiectæ sunt. Itaque cum ostenditur, quæ personæ alieno iuri subiectæ sint, tunc euidenter agnoscitur, quæ sui iuris sint.

Sui

Sui iuris] vid. not. Goth. ad *Vlpian. t.* 4.

Cum ostenditur] *l.* 1. *ff. de his, qui sunt sui: Inst. de his qui sunt sui in princ.*

§. 2. In potestate itaque dominorum sunt serui, quam potestatem omnes gentes habere, certum est: sed distringendi in seruos dominis pro sua potestate permittitur, occidendi tantum seruos suos domini licentiam non habebunt: nisi forte seruus, dum pro culpæ modo cęditur, casu forsitan moriatur. Nam si seruus dignum morte crimen admiserit, iis iudicibus, quibus publici officii potestas commissa est, tradendus est, vt pro suo crimine puniatur.

In potestate] *d. l.* 1. §. 1. §. 1. *Instit. de his qui sunt sui.*

Occidendi tantum] *d. l.* 1. §. 2. *l.* 2. *ff. de his qui sunt sui* §. 2. *Inst de his qui sunt sui.*

Non habebunt] Et ita ius vetus vitæ & necis abrogatur, adde *l.* 11. *ff. de sicar.*

Nam si seruus] vid. *l.* 96. *ff. de verb. obligat.*

§. 3. In potestate etiam patrum sunt filii, ex legitimo matrimonio procreati.

In potestate etiam] *Inst. de patria potest. in princ. l.* 3. *ff. de his qui sunt sui.*

Tit. IV. De Matrimoniis.

Legitimæ sunt nuptiæ, si Romanus Romanam nuptiis interuenientibus, vel con-

ſenſu ducat vxorem. Sed non omnes perſonas vxores ducere licet : quia nec patri filiam, nec filio matrem, nec auo neptem, nec nepoti auiam. Quod non ſolum de perſonis, quæ nobis propinquitate coniunctæ ſunt, ſed etiam de adoptiuis, hoc eſt, adfiliatis iuſſum eſt obſeruari. Nam etſi per emancipationem adoptio diſſoluatur, nuptias tamen inter has perſonas ſemper conſtat illicitas. Inter fratrem quoque & ſororem, ſiue eodem patre ac matre nati fuerint, ſiue diuerſis matribus aut patribus, matrimonia eſſe non poſſunt. Inter adoptiuos etiam fratres illicita ſunt coniugia, niſi forte adoptio emancipatione fuerit diſſoluta: nam ſi emancipatio interuenerit, nuptiæ inter huiuſmodi fratres licito contrahuntur. Fratris quoque & ſororis filiam vxorem ducere non licet: ſororem quoque patris ac matris vxores accipere non licet : genero quoque ſocrum ſuam : nec ſocero nurum vxorem accipere licet, neque vitrico priuignam, neque priuigno nouercam. Fratres enim amitinos vel conſobrinos in matrimonium iungi nulla ratione permittitur. Sed nec vni viro duas ſorores vxores habere: nec vni mulieri duobus fratribus iungi permittitur. Quod ſi quis inceſtas vel nefarias, id eſt, quæ ſunt ſuperius comprehenſæ, nuptias inierit, nec vxorem habere videtur, nec filios. Nam hii qui ex huiuſmodi conce-

ptione

ptione nati fuerint, quamlibet matrem videantur habere, patrem vero nullatenus habere censentur, & tanquam si de adulterio concepti fuerint computantur: qui spurii appellantur, hoc est, sine patre filii. Regula iuris hoc continet, vt qui legitime concipiuntur, tempore conceptionis statum sumant: qui vero non de legitimo matrimonio concipiuntur, statum sumant eo tempore quo nascuntur. Ac proinde legitima coniunctione conceptus, etiamsi mater eius statum mutet, id est, si ancilla fiat, ille, qui legitime conceptus est, ingenuus nascitur. nam qui non legitimo matrimonio concipitur, si mater eius ex ancilla dum prægnans est, libera facta fuerit, liber nascetur: si vero ex ingenua ancilla prægnans facta fuerit, seruus nascetur: quia non legitime, sed vulgo conceptus est.

§.1. Legitimæ sunt nuptiæ si Romanus Romanam, nuptiis interuenientibus, vel consensu, ducat vxorem.

Romanus Romanam] vid. *Inst. de nupt. in princ. Goth. ad Vlpian.* 5. §. 4.

Nuptiis] id est, ritu solenni.

Vel consensu] vid. *l.* 15. *in fin. ff. de condit. & demonstr. l.* 30. *ff. de regul. iuris.*

§ 2. Sed non omnes personas vxores ducere licet: quia nec patri filiam, nec filio matrem, nec auo neptem, nec nepoti auiam. Quod

non solum de personis, quæ nobis propinquitate coniunctę sunt. sed etiam de adoptiuis, hoc est adfiliatis, iussum est, obseruari. Nam etsi per emancipationem adoptio dissoluatur, nuptias tamen inter has personas semper constat illicitas.

Sed non omnes] §.4. *Inst. de nupt.*

Nec patri filiam] *d.*§.4.*l.*53.68.*ff. de ritu. l.*17. *C. de nupt.*5. *Vlpian.*6.

Sed etiam de adoptiuis] *d.*§.4. *vers. Et hæc adeo l.*55.*ff. de ritu.*

Etsi per emancipationem] *d.* §. 4. *in fin. d. l.* 55.*l.*13.*in f. ff. de adopt.*

§.3. Inter fratrem quoque & sororem, siue eodem patre ac matre nati fuerint, siue diuersis matribus aut patribus, matrimonia esse non possunt. Inter adoptiuos etiam fratres illicita sunt coniugia, nisi forte adoptio emancipatione fuerit dissoluta, nam si emancipatio interuenerit, nuptiæ inter huiusmodi fratres licito contrahuntur.

Inter fratrem] §. 2. *vers. Sane inter fratrem. Inst. de nupt. l.*17. *C. de nupt.*

Siue eodem patre] *d. vers. Sane.*

Nisi forte] *d.*§.2. *vers. sed si qua l.* 17. *ff. de ritu.*

§.4. Fratris quoque & sororis filiam vxorem ducere non licet.

Sororis filiam] §.3. *Inst. de nupt. l.*39. *ff. de ritu. l.*17. *C. de nupt. l. vlt. C. de incestis.*

§.5. So-

§. 5. Sororem quoque patris ac matris vxores accipere non licet.

Sororem quoque patris] id est, amitam §. 2. *Inst. de nupt. l. 17. in fin ff. de ritu.*

Ac matris] id est, materteram. *d. §. 5. d. l. 1. ff. de ritu l. 17 C. de nupt.*

§. 6. Genero quoque socrum suam: nec socero nurum vxorem accipere licet, neque vitrico priuignam, neque priuigno nouercam.

Socrum suam] §. 7. *Instit. de nupt. l. 17. C. de nuptiis.*

Nec socero nurum] §. 6. *Institut. de nupt. d. l. 17. l. 5. in fin. ff. de condict. sine causa l. 38. ff. de adulteriis.*

Vitrico priuignam] *d. §. 6. vers. Item si adhuc priuigna. l. 5. in fin ff. de condict sine causa. l. 14. in fin. l. 40. ff. de ritu. l. 38. ff de adult. l. 17. C. de nupt. Gothofr.*

Neque priuigno nouercam] *l. 38 ff. de adult. Nouel. 115. c. 3. §. 5. l. 17. C. de nupt.*

§. 7. Fratres enim amitinos vel consobrinos, in matrimonium iungi nulla ratione permittitur.

Nulla ratione permittitur] Imo permittitur. §. 4. *Instit. de nupt. vid. Gothofr. ad leg. 19. Cod. de nupt.*

§. 8. Sed nec vni viro duas sorores vxores habere, nec vni mulieri duobus fratribus iungi permittitur.

Duas sorores] *l. 5. l. 8. C. de incestis.*

Duobus fratribus] *l. 5. l. 8.*

§. 9. Quod si quis incestas vel nefarias, id est, quæ sunt superius comprehensæ, nuptias inierit, nec vxorem habere videtur, nec filios. Nam ii, qui ex huiusmodi conceptione nati fuerint, quamlibet matrem videantur habere, patrem vero nullatenus habere censentur, & tanquam si de adulterio concepti fuerint, computantur: qui spurii appellantur, hoc est, sine patre filii.

Nec vxorem habere] Pœna incestarum nuptiarum.

Nec filios] nec dotem §. 12. *Inst. de nupt. l. vlt. ff. de condict. sine causa l. 52. ff. de ritu.*

Qui spurii] *vid. Goth. ad Vlpian. 4. §. 2.*

§. 10. Regula iuris hoc continet, vt qui legitime concipiuntur, tempore conceptionis statum sumant: qui vero non de legitimo matrimonio concipiuntur, statum sumant eo tempore, quo nascuntur. Ac proinde legitima coniunctione conceptus, etiamsi mater eius statum mutet, id est, si ancilla fiat: ille, qui legitime conceptus est, ingenuus nascitur, nam qui non legitimo matrimonio concipitur, si mater eius ex ancilla dum prægnans est, libera facta fuerit, liber nascetur: si vero ex ingenua ancilla prægnans facta fuerit, seruus nascetur: quia non legitime, sed vulgo conceptus est.

Non

Non de legitimo matrimonio] *adde leg.* 42. *ff. de statu.*

Sed vulgo conceptus est] qui vulgo conceptus *vid. l.* 23. *ff. de statu hominum.*

Tit. V. De Adoptionibus.

ADoptio naturæ similitudo est, vt aliquis filium habere possit, quem non generauerit. Et ipsa adoptio duobus modis fit. vna, quæ adrogatio dicitur: alia, quæ adoptio. Adrogatio est, quando aliquis patrem non habens adoptatur, & ipse se in potestatem adoptiui patris dat. Et ideo adrogatio dicitur, quia & ille qui adoptat interrogatur, vtrum illum quem adoptat filium habere velit: & ille, qui adoptatur, interrogatur, vtrum id fieri velit. Illa vero alia adoptio est, vbi quis patrem habens, ab alio patre adoptatur: & ita ille, qui adoptatur, de certi patris potestate discedit, & in adoptiui patris incipit esse potestate. Nam & fœminæ adoptari possunt, vt loco filiarum adoptiuis patribus habeantur: fœminæ vero adoptare non possunt, quia nec filios ex se natos in potestate habent. Spadones autem qui generare non possunt, adoptare possunt. Et licet filios generare non possint, quos adoptauerunt filios habere possunt. Si quis vero filios habens se dederit adoptandum, non solum ipse

ipse in patris adoptiui potestatem redigitur, sed & filii eius, si tamen auum paternum non habuerint, in adoptiui patris transeunt potestatem, tanquam nepotes.

De adoptionibus] *l.1.ff.§.1. Inst.11.8.Vlp.*

§.1. Adoptio naturæ similitudo est, vt aliquis filium habere possit, quem non generauerit.

Naturæ similitudo est] *l.1.l.16 ff.de adop.§.8. Inst.de adopt.8.Vlpian.1.*

§.2. Et ipsa adoptio duobus modis fit: vna, quæ adrogatio dicitur, alia, quæ adoptio. Adrogatio est, quando aliquis patrem non habens adoptatur, & ipse se in potestatem adoptiui patris dat. Et ideo adrogatio dicitur, quia & ille, qui adoptat, interrogatur, vtrum illum, quem adoptat filium habere velit: & ille, qui adoptatur, interrogatur, vtrum id fieri velit. Illa vero alia adoptio est, vbi quis patrem habens, ab alio patre adoptatur: & ita ille, qui adoptatur, de certi patris potestate discedit, & in adoptiui patris incipit esse potestate.

Duobus modis] §.1. *Instit. eod. l.* 1. *in fin. l. 2. ff. eod.*

Patrem non habens] id est, qui sui iuris sit. *d.* §.1. *d. l.2.*

Adrogatio dicitur] vnde dicta sit adrogatio.

Patrem habens] & ita non sui iuris.

§.3. Nam & fœminæ adoptari possunt, vt loco

loco filiarum adoptiuis patribus habeantur: fœminæ vero adoptare non possunt, quia nec filios ex se natos in potestate habent.

Fœminæ adoptari possunt] 8. *Vlpian. 5. l. 21. ff. eod.*

Adoptare non possunt] *vid. 8. Vlpian. 9. §. 10. Inst. eod.*

§. 4. Spadones autem qui generare non possunt, adoptare possunt. Et licet filios generare non possint, quos adoptauerunt, filios habere possunt.

Spadones autem] 8. *Vlpianus 6. §. 9. Inst. eo. l. 2. §. 1. l. 40. in fin. ff. eod.*

§. 5. *Si quis vero filios habens, se dederit adoptandum, non solum ipse in patris adoptiui potestatem redigitur, sed & filii eius, si tamen auum paternum non habuerint, in adoptiui patris transeunt potestatem, tanquam nepotes.*

Sed & filii] *d. l. 40. in princ. 8. Vlpian. 8. §. 11. Instit. eod.*

Tit. VI. Quibus modis filii exeunt de potestate patris.

Filii qui in potestate patris sunt, mortuo patre sui iuris fiunt. Sed si hic filius, qui morte patris sui iuris effectus est, filios habeat, in eius post patris sui obitum erunt filii potestate. Nam

te. Nam si pater moriatur, & auus paternus viuat nepos ex filio sui iuris esse non potest: quia in aui remanet potestate, qui auo mortuo sui iuris efficitur. Item si moriatur pater, & relinquat filium emancipatum, & ex eodem filio emancipato nepotes, tunc nepotes liberi & sui iuris erunt, & in patris emancipati potestatem non veniunt. Item de potestate patris exeunt filii, si pater eorum in exilium missus fuerit: quia non potest filium ciuem Romanum in potestate habere homo peregrinæ conditionis effectus. Item filius si viuo patre in exilium missus fuerit, in potestate patris ciuis Romanus esse non potest, quia similiter peregrinæ conditionis factus cognoscitur. Item si ab hostibus pater captus sit, in potestate quamdiu apud hostes fuerit, filios non habebit. Sed si de captiuitate euaserit, iure postliminii omnem, sicuti in aliis rebus, ita & in filios recipit potestatem. Si vero pater, qui ab hostibus captus est, in captiuitate moriatur, ab eo tempore, quo ab hostibus captus est, filii sui iuris effecti intelliguntur. Item per emancipationem filii sui iuris efficiuntur. Sed filius masculus tribus emancipationibus de potestate patris exit, sui iuris efficitur. Mancipatio autem, hoc est, manus traditio quædam similitudo venditionis est: quia & in emancipationibus præter illum, hoc est, certum patrem, alius pa-

ter,

ter adhibetur, qui fiduciarius nominatur. Ergo iste naturalis pater filium suum fiduciario patri mancipat, hoc est, manu tradit: à quo fiduciario patre naturalis pater vnum aut duos nummos, quasi in similitudinem pretii accipit, & iterum eum acceptis nummis fiduciario patri tradit. Hoc secundo & tertio fit, & sic de patris potestate exit. Quæ tamen mancipatio solebat ante Præsidem fieri, modo ante Curiam facienda est, vbi quinque testes ciues Romani in præsenti erunt, & pro illo, qui Libripens appellatur, id est, stateram tenens. & qui Antestatus appellatur, alii duo, vt septem testium numerus impleatur: tamen cum tertio mancipatus fuerit filius à patre naturali fiduciario patri, hoc agere debet naturalis pater, vt ei à fiduciario patre remancipetur, & à naturali patre manumittatur: vt si filius ille mortuus fuerit, ei in hæreditate naturalis pater, non fiduciarius succedat. Fœminæ, vel nepotes masculi ex filio, vna emancipatione de patris vel aui exeunt potestate, & sui iuris efficiuntur. Et hii ipsi quamlibet vna mancipatione de patris vel aui potestate exeant, nisi à patre remancipati fuerint, & à naturali patre manumissi, succedere eis naturalis pater non potest, nisi fiduciarius à quo manumissi sunt. nam si remancipatum sibi naturalis pater vel auus manumiserit, ipse eis in hæreditate succedit.

Quod

Quod si habeat quis filium, & ex eo nepotes; & voluerit filium emancipare, & nepotes in sua potestate retinere, in arbitrio eius est: aut si voluerit nepotes emancipare, & filium in sua potestate retinere, & hoc ei pro iuris ordine licere manifestum est. Quod non solum de nepotibus, sed & de pronepotibus similiter facere potest.

Quibus modis] I. *Inst.* 12. *Nouel.* 81. de emancipationibus liberorum *l.* 8. *Cod. eod.* quemadmodum filii efficiuntur sui iuris. *Paul.* 2. *sentent.* 25. 10. *Vlpian.* qui in potestate mancipiove sunt, quemadmodum eo liberentur. *Gothofred. hic.*

§. 1. Filii qui in potestate patris sunt, mortuo patre sui iuris fiunt. Sed si hic filius, qui morte patris sui iuris effectus est, filios habeat, in eius post patris sui obitum erunt filii potestate. Nam si pater moriatur, & auus paternus viuat, nepos ex filio sui iuris esse non potest: quia in aui remanet potestate, qui auo mortuo sui iuris efficitur. Item si moriatur pater, & relinquat filium emancipatum, & ex eodem filio emancipato nepotes, tunc nepotes liberi & sui iuris erunt, & in patris emancipati potestatem non veniunt.

Auus paternus] *Inst. eod. in princ. l.* 15. *ff. quando dies.* 10. *Vlp.* 2.

Qui

Qui suo mortuo] *leg. 5. in fin. ff. de his qui sunt sui.*

Tunc nepotes] *Inst. eod. in princ.*

§. 2. Item de potestate patris exeunt filii, si pater eorum in exilium missus fuerit: quia non potest filium ciuem Romanum in potestate habere, homo peregrinæ conditionis effectus. Item filius si viuo patre in exilium missus fuerit, in potestate patris ciuis Romanus esse non potest, quia similiter peregrinæ conditionis factus cognoscitur.

In exilium] Exilio patris, filius fit sui iuris, *vt hic*, exilio filii pater suam potestatem amittit, *infr.* adde deportationem insulæ, §. 1. *Inst. eod.* aquæ & ignis interdictionem 10. *Vlpian.* 3. relegationem §. 2. *Inst. eod.* pœnæ seruitutem §. 3. *Inst. eod. l. 7. ff. de his qui sunt sui. Goth. hic.*

Peregrinæ conditionis] Peregrinus ciuem in sua potestate non habet. *vt hic.* vt è contra, Ciuis in sua potestate peregrinum non habet. *Vlpian.* 10. §. 3. *Goth. ibid.*

In exilium missus] *v. sup. eod.*

§. 3. Item si ab hostibus pater captus sit: in potestate quandiu apud hostes fuerit, filios non habebit. Sed si de captiuitate euaserit, iure postliminii omnem, sicuti in aliis rebus, ita & in filios recipit potestatem. Si vero pater, qui ab hostibus captus est, in captiuitate mo-

riatur, ab eo tempore, quo ab hostibus captus est, filii sui iuris effecti intelliguntur.

Pater captus sit] *Vlpian.* 10. §.1. §.5 *Inst. quib. mod. ius.*

§.4. Item per emancipationem filii sui iuris efficiuntur. Sed filius masculus tribus emancipationibus de potestate patris exit, & sui iuris efficitur. Mancipatio autem, hoc est, manus traditio quædam similitudo venditionis est: quia & in emancipationibus præter illum, hoc est, certum patrem, alius pater adhibetur, qui fiduciarius nominatur. Ergo iste naturalis pater filium suum fiduciario patri mancipat, hoc est, manu tradit, à quo fiduciario patre naturalis pater vnum aut duos nummos, quasi in similitudinem precii accipit, & iterum eum acceptis nummis fiduciario patri tradit. Hoc secundo & tertio fit, & sic de patris potestate exit. Quæ tamen mancipatio solebat ante præsidem fieri, modo ante curiam facienda est: vbi quinque testes ciues Romani in præsenti erunt, & pro illo qui Libripens appellatur, id est, stateram tenens, & qui Antestatus appellatur, alii duo, vt septem testium numerus impleatur. Tamen cum tertio mancipatus fuerit filius à patre naturali fiduciario patris, hoc agere debet naturalis pater vt ei à fiduciario patre remancipetur, & à naturali patre manumittatur: vt si filius ille mortuus fuerit, ei

rit, ei in hæreditate naturalis pater, non fiduciarius succedat. Fœminæ, vel nepotes masculi ex filio, vna emancipatione de patris vel aui exeunt potestate, & sui iuris efficiuntur. Et il ipsi, quamlibet vna mancipatio de patris vel aui potestate exeant, nisi à patre remancipati fuerint, & à naturali patre manumissi, succedere eius naturalis pater non potest, nisi fiduciarius, à quo manumissi sunt. nam si remancipatum sibi naturalis pater vel auus manumiserit, ipse eis in hæreditate succedit. Quod si habeat quis filium & ex eo nepotes, & voluerit filium emancipare, & nepotes in sua potestate retinere, in arbitrio eius est: aut si voluerit nepotes emancipare, & filium in sua potestate retinere, & hoc ei pro iuris ordine licere manifestum est. Quod non solum de nepotibus, sed & de pronepotibus similiter facere potest.

Per emancipationem filii sui] *t. C. de emancipation. Paul. 2. sentent. 25. §. 2. 3. 4. 5.*

Tribus emancipationibus] *vid.* 10. *Vlpian.* 10.

Similitudo venditionis est] Mancipatio similitudo venditionis. Ter igitur mancipari, est ter vendi. Trina mancipatio trina venditio.

Et in emancipationibus Huiusmodi vẽditiones liberarum personarum figuratæ. *l. 6. C. de emancip. liber.* & imaginariæ dicuntur §. *6. Inst.*

quib. mod. ius patriæ potest. vanæ obseruationes. *d.l.6.* & antiquæ *d.§.6.* vt quæ non sine iniuriis & alapis fierent. *Nouel.* 81. idque receptum erat *ex l.* 12. *tab.* si pater filium ter venundarit, filius à patre liber esto. *Vlpian.* 10. §. 1. Quam itidem constat ex legibus Romuli mutatam. *Dionys. Halicarnas.* 12. Olim parentibus licuit filios quoque interficere. *vid. Goth. ad l.* 11 *in fin. ff. de liberis. ad l. vlt. C. de patria potestate.* Hodie vetitum est, ne quis filios vendat, donet, vel pignoret. *l.* 1. *l.* 2. *C. de patrib. qui filios distraxerunt.* vetitum est etiam ne interficiat *d. leg. vltim. Gothofred.*

Fiduciario patre] Fiduciarius pater.

Hoc secundo & tertio fit] ne id ita intelligas, quasi trinæ illæ venditiones fierent vno & eodem tempore: cum singulis diebus, adhibitis testibus fieri possent, vel eodem die, vel intermisso. *Paul.* 2. *sentent.* 25. § 2. adeo vt filius, ex prima secundave mancipatione manumissus reuersus in patriam potestatem adgnasceretur suus hæres. *Vlpian. tit.* 23. §. 3. *vid. Goth. hic.*

Fœminæ] *vid. Gothofr. ad Vlpian.* 10. §. 1. *in fin.*

Tit. VII. De Tutelis.

TVtores aut legitimi sunt, aut testamentarii. Legitimi sunt, qui pupillo per virilem sexum

ſexum propinquitate coniunguntur: & qui proximior fuerit de agnatis, ad ipſum legitima tutela pertinet: quia is qui proximus fuerit ad tutelam, ipſe proximus eſt ad hæreditatem. Teſtamentarij ſunt, quos patres aut aui paterni in teſtamento ſuo tutores filiis, aut nepotibus delegauerint. Quod ſi nec teſtamentarius tutor fuerit, nec legitimus, tunc inquiſitione iudicis pupillis tutores dantur.

De tutelis] 11. *Vlpian.* 1. *Inſtit.* 13. *Cuiac. l.* 7. *ff. de leg. tut.*

§.1. Tutores aut legitimi ſunt aut teſtamentarii. Legitimi ſunt, qui pupillo, per virilem ſexum propinquitate coniunguntur: & qui proximior fuerit de agnatis, ad ipſum legitima tutela pertinet: quia is, qui proximus fuerit, ad tutelã, ipſe proximus eſt ad hæreditatem. Teſtamentarii ſunt, quos patres, aut aui paterni in teſtamento ſuo tutores filiis, aut nepotibus delegauerint. Quod ſi nec teſtamentarius tutor fuerit, nec legitimus, tunc inquiſitione iudicis pupillis tutores dantur.

Per virilem] 11. *Vlpian.* 4. §. 1. *Inſtit. de legit. agnator. tut.*

Sexum] Legitimi tutores propinqui maſculi.

Quia is qui proximus] vbi tutela, ibi hæreditas. *l.* 1. *ff. de legit. tut.*

Teſtamentarii] *vid. ff. de teſtam. tut.*

Patres] id est, parentes, *l.1.ff.de testam.tut.§.3.Instit.de tutel.*

Aut aui paterni] Quid mater? Ea liberis tutorem dare potest, confirmandum tamen à magistratu.*l.1.§.1.l.2.ff.de confirmando tutore. Gothofr. hic.*

Tutores filiis] in potestate.*d.l.1.11.Vlpian.15.*

Tutores dantur] *vid. tit.ff. de tutor. dat.adde Inst.de Attiliano tutor.*11.*Vlpian.*18.

Tit.VIII.De Curatoribus.

PEractis pupillaribus annis, quibus tutores absoluuntur, ad curatores ratio minorum incipit pertinere. Sub curatore sunt minores ætate, maiores euersores, insani. Hii qui minores sunt, vsque ad viginti & quinque annos completos sub curatore sunt. Qui vero euersores, aut insani sunt, omni tempore vitæ suæ sub curatore esse iubentur: quia substantiam suam rationabiliter gubernare non possunt.

De curatoribus] 12.*Vlpian.1.Inst.23.27.ff.eod.*

§.1. Peractis pupillaribus annis, quibus tutores absoluuntur, ad curatores ratio minorum incipit pertinere. Sub curatore sunt minores ætate, maiores euersores, insani. Ii, qui minores sunt, vsque ad viginti & quinque annos completos sub curatore sunt. Qui vero euersores, aut insani sunt, omni tempore vitæ

suæ

ſuæ ſub curatore eſſe iubentur; quia ſubſtantiam ſuam rationabiliter gubernare non poſſunt.

Maiores euerſores] Prodigos intelligit, qui neque tempus, neque finem impenſarum habent. *l.1.ff. de curatoribus* 12. *Ulpian.* 2. §. 3. *Inſt. de tutor.* hinc domus euerſio. *leg. vlt. ff. de officio Præſidis.* quam Græci οἴκου ἀνατροπὴν, patrimonium euertere. *l.1.ff. ſi familia.* Interuerſores. *l.8. C. de iure fiſci.* euerſores. *l.2. C. de palatinis ſacr. largit. l.1. C. Theodoſ. de ſuſcept.*

Gothofred.

Finis Libri primi.

INSTITVTIONVM CAII LIBER SECVNDVS.

Tit. I. De Rebus.

CAius superiori commentario de iure personarum aliqua disputauit. Nunc in hoc commentario de rebus iterum tractat. Omnes itaque res aut nostri iuris sunt, aut diuini, aut publici. Nostri iuris sunt, quæ in proprietate nostra esse noscuntur. Diuini iuris sunt ecclesiæ, id est, templa Dei, vel ea patrimonia, ac substantiæ, quæ ad Ecclesiastica iura pertinent. Publici iuris sunt muri, fora, portæ, theatra, circus, arena, quæ Antiqui sancta appellauerunt, pro eo quod exinde tolli aliquid aut contingi non liceret: sed hæc omnia in nullius bonis sunt, ideo publici iuris esse dicuntur. Sed & res hæreditariæ antequam aliquis hæres existat, id est, quando dubitatur, vtrum scriptus, an legitimus hæres succedere debeat, in nullius bonis esse videntur. Præterea quædam res corporales sunt, quædam incorporales. Corporales sunt, quæ manu tangi possunt: velut ager, mancipium, vestis, aurum, argentum, & hiis similia. Incorporales sunt, quæ tangi non possunt: qualia sunt ea, quæ non in corpore, sed in iure consistunt, sicut est hæreditas, & obligationes diuersis contractibus scriptæ.

scriptæ. Et licet hæreditas, vel emptio, aut diuersi contractus res corporales in se habeant, ius tamen ipsius hæreditatis vel emptionis, aliorumque contractuum incorporale est. Incorporalia etiam sunt iura prædiorum vrbanorum vel rusticorum. Prædiorum vrbanorum iura sunt, stillicidia, fenestræ, cloacæ, altius erigendæ domus, aut non erigendæ, & luminum; vt ita quis fabricet, vt vicinæ domui lumen non tollat. Prædiorum vero rusticorum iura sunt, via vel iter, per quod pecus aut animalia debent ambulare vel ad aquam duci, & aquæ ductus, quæ similiter incorporalia sunt. Hæc iura tamen rusticorum prædiorum Seruitutes appellantur. Item regulariter constitutum est, vt superposita inferioribus cedant: Vt si quis in solo nostro sine nostro permissu domum ædificauerit, ad eum cuius terra est, domus ædificata pertineat. Vel si aliquis in agro nostro arbores, aut vineas, vel plantas quascunque posuerit, similiter superficies solo cedat. Vel si messem in campo seminauerit, omnia hæc quæ in terram alienam iactantur, domino terræ acquiruntur. Quod & de chartis & pergamenis, si in alienis scribat, licet aureis vel argenteis literis, similiter eius est scriptura, cuius charta aut pergamenum fuerit. Quod & de tabula, hoc est, si aliquis in tabula mea picturam fecerit, obseruatur: quia statutum est,

vt tabulæ pictura cedat. Quod si quis ex vuis meis vinum, aut spicis frumentum, aut ex oliuis oleum fecerit, eius vinum, triticum, vel oleum est, cuius spicæ, aut vuæ, aut oliuæ fuerint. Si quis etiam ex tabulis alienis nauem aut armarium, aut quodcunque ad vsum pertinens, fecerit, simili ratione eius erunt quæ facta fuerint, de cuius ligno facta probantur. Similiter etiam, si ex lana vel lino vestimenta fecerit, eius erunt vestimenta, cuius lana vel linum fuisse probabitur. Sed in hiis omnibus superius comprehensis, quicunque in terra aliena aliquid posuerit, aut ædificauerit, aut horum quæ dicta sunt, aliquid fecerit, illis qui aliena præsumpserunt hoc competit, vt expensas vel impendia, quæ in hiis fecerint, à dominis qui rem factam vendicant, recipere possint. Acquiritur autem nobis non solum per nosmetipsos, sed & per eos qui in potestate nostra sunt. sicut filii vel serui: quia quicquid hiis à qualibet persona donatum, vel venditum fuerit, aut heredes fuerint instituti, id patribus & dominis sine aliqua dubitatione conquiritur: præter eos filios, quibus per leges castrense peculium habere permissum est. Hii vero serui qui in vsufructu nostro, & in proprietate alterius sunt, hoc tantum vsufructuario acquirere possunt, quod opere aut manibus suis fecerint, aut de mercedibus operis sui acceperint. Nam si eis aut hereditas,

ditas, aut legatum dimittatur, aut donationis aliquid conferatur, hoc proprietario domino, non vsufructuario acquiritur.

De rebus] *vid. Inst. de rerum diuis. & adquirend, ipsar. domin. 2. tit. Vlpian. 19. de domin. & adquisit. rerum. l. 1. ff. de diuision. rer.*

§. 1. Caius superiori commentario de iure personarum aliqua disputauit: Nunc in hoc commentario de rebus iterum tractat.

§. 2. Omnes itaque res aut nostri iuris sunt, aut diuini, aut publici. Nostri iuris sunt, quæ in proprietate nostra esse noscuntur. Diuini iuris sunt, Ecclesiæ, id est, templa Dei, vel ea patrimonia, ac substantiæ, quæ ad ecclesiastica iura pertinent. Publici iuris sunt muri, fora, portæ, theatra, circus, arena, quæ antiqui sancta appellauerunt, pro eo quod exinde tolli aliquid aut contingi non liceret. Sed hæc omnia in nullius bonis sunt, ideo publici iuris esse dicuntur. Sed & res hæreditariæ, antequam aliquis hæres existat, id est, quando dubitatur, vtrum scriptus, an legitimus hæres succedere debeat, in nullius bonis esse videntur.

Aut diuini] Caius in *l. 1. ff. de rer. diuis.*

Nostri iuris] Res nostri iuris, quæ & iuris humani dicuntur *in d. l. 1.*

In proprietate nostra] seu nostro patrimonio, *Inst. de rerum diuis. in princ.*

Diuini iuris] *d. l. 1.*

Publi-

Publici iuris] Publicæ res nullius in bonis sunt. *d. l.* 1.

Muri] Muri res sanctæ. §. 10. *Instit. de rerum diuision. l.* 1. *l.* 8. *in fin. ff. de diuis. rerum.* ideoque nullius. §. 7. *Instit. de rerum diuisione. dict. l.* 1. *Gothofr. hic.*

Portæ] *vid. d.* §. 10. *d. l.* 1. §. 8.

Theatra] Ea dicuntur esse vniuersitatis. §. 6. *Instit. de rerum diuision. leg.* 6. §. 1. *ff. de diuision. rerum.*

Arena] Locus gladiatorum. Hinc in arenam se dare. *l. vltim. ff. de fugitiuis l.* 4. *ff. de accusationibus.*

Quæ antiqui] Hæc particula referenda est ad muros, fora, portas, theatra, circum & arenam.

Sancta appellauerunt] §. 10. *Instit. de rerum diuis.*

Contingi non liceret] *facit l.* 8. *in fin. ff. de diuis. rerum.*

In nullius bonis] §. 7. *Inst. de rer. diuision.*

Ideo publici iuris] Quæ nullius, publica sunt.

Res hæreditariæ] *l.* 1. *ff. de diuis. rerum.*

Esse videntur] *vid. tamen l.* 31. *in fin. ff. de hæred. instit.*

§. 3. Præterea quædam res corporales sunt, quædam incorporales.

Corporales sunt] *vid.* §. 4. *inf. eod.*

Incor-

Incorporales] *vid.* §.5.*inf.eod.*

§. 4. Corporales sunt, quæ manu tangi possunt: velut ager, mancipium, vestis, aurum, argentum, & iis similia. Incorporales sunt, quæ tangi non possunt: qualia sunt ea, quæ non in corpore, sed in iure consistunt, sicut est hæreditas, & obligationes diuersis contractibus scriptæ. Et licet hæreditas, vel emtio, aut diuersi contractus res corporales in se habeant, ius tamen ipsius hæreditatis vel emtionis, aliorumque contractuum incorporale est.

Corporales sunt] *l.1.§.1.ff.de diuis.rerum* §. 1. *Inst.de reb.corporalib.*

Incorporales sunt] *l.1.§.1.ff.de diuis.rerum* §. 2.*Inst.de rebus corporal.*

Sed in iure consistunt] Incorporalia in iure consistunt.

Sicut est hæreditas] *l.119.ff.de verb.sig.*

§. 5. Incorporalia etiam sunt iura prædiorum vrbanorum, vel rusticorum. Prædiorum vrbanorum iura sunt stillicidia, fenestræ, cloacæ, altius erigendæ domus aut non erigendæ, & luminum: vt ita quis fabricet, vt vicinæ domui lumen non tollat. Prædiorum vero rusticorum iura sunt, via, vel iter, per quod pecus vel animalia debent ambulare, vel ad aquam duci, & aquæ ductus, quæ similiter incorporalia sunt. Hæc iura tamen rusticorum prædiorum *seruitutes* appellantur.

Incor-

Incorporalia etiam] §. 3. *Inst. de reb. corporal. l. 1. in f. ff. de diuis. rerum.*

Prædiorum vrbanorum] §. 1. *Inst. de seruit. præd. l. 2. ff. de seruit. præd. vrban.*

Prædiorum vero rusticorum] *Inst. de seruit. in princ. l. 1. ff. de seruit. rusticor.*

Seruitutes appellantur] *vid. titul. ff. de seruitut.*

§. 6. Item regulariter constitutum est, vt superposita inferioribus cedant; vt si quis in solo nostro sine nostro permissu domum ædificauerit, ad eum, cuius terra est, domus ædificata pertineat. Vel si aliquis in agro nostro arbores, aut vineas, vel plantas quascunque posuerit, similiter superficies solo cedat. Vel si messem in campo seminauerit, omnia hæc, quæ in terram alienam iactantur, domino terræ adquiruntur. Quod & de chartis, & pergamenis, si in alienis scribat, licet aureis vel argenteis literis, similiter eius est scriptura, cuius charta aut pergamenum fuerit. Quod & de tabula, hoc est, si aliquis in tabula mea picturam fecerit, obseruatur: quia statutum est, vt tabulæ pictura cedat.

In solo nostro] Ædificium solo cedit. §. 30. *Inst. rer. diuision.*

Plantas] Planta solo cedit. §. 31. *Institut. de rer. diuis.*

Super-

217

Superficies] superficium. Quæ vox reperitur *in l.32.ff.de iure dot.l.39.ff.de legat.2.*

Solo cedat] superficies cedit solo. *vid. ff. de superficiebus.*

In campo seminauerit] Res satæ solo cedunt. §.32. *Instit. de rerum diuis. leg. 9. ff. de rerum diuis.*

Et de chartis] Scriptura chartæ cedit. §. 33. *Institut. de rerum diuis. leg. 9. §. 1. ff. de acquir. rerum.*

Tabulæ pictura cedat] Tabulæ pictura cedit. §.33. *Inst. de rerum diuis. l.23. §.3. ff. de rei vindic.* Imo tabula picturæ cedit. *l.* 9. §. 2. *ff. de adquir. rerum.*

§. 7. Quod si quis ex vuis meis vinum, aut spicis frumentum, aut ex oliuis, oleum fecerit: eius vinum, triticum, vel oleum est, cuius spicæ, aut vuæ, aut oliuæ fuerint. Si quis etiam ex tabulis alienis, nauem aut armarium, aut quodcunque ad vsum pertinens, fecerit, simili ratione eius erunt, quæ facta fuerint, de cuius ligno facta probantur. Similiter etiam si ex lana vel lino vestimenta fecerit, eius erunt vestimenta, cuius lana, vel linum fuisse probabitur.

Ex vuis meis] §.25. *Inst. de rer. diuis. l.7. §.7. ff. de adquir. rer.*

Aut spicis] *d.* §.25. *d.* §.7.

Ex oliuis] *d.* §.7. *d.* §.25.

Nauem

Nauem aut armarium] *d. §.25. add. l.61. ff. de rei vindic.*

Si ex lana] *d. §. 25. in fin.*

§. 8. Sed in iis omnibus superius comprehensis, quicunque in terra aliena aliquid posuerit, aut ædificauerit, aut horum, quæ dicta sunt, aliquid fecerit, illis qui aliena præsumserunt, hoc competit, vt expensas vel impendia, quæ in iis fecerint, à dominis, qui rem factam vindicant, recipere possint.

Vt expensas] Nota de exceptione vel actione ad sumtus & expensas.

§. 9. Acquiritur autem nobis non solum per nosmetipsos, sed & per eos, qui in potestate nostra sunt. Sicut filii vel serui: Quia, quicquid iis à qualibet persona donatum, vel venditum fuerit, aut hæredes fuerint instituti, id patribus & dominis sine aliqua dubitatione conquiritur: præter eos filios, quibus per leges castrense peculium habere permissum est. Hi vero serui, qui in vsufructu nostro, & in proprietate alterius sunt, hoc tantum vsufructuario acquirere possunt, quod opere aut manibus suis fecerint, aut de mercedibus operis sui acceperint. Nam si eis aut hæreditas, aut legatum dimittatur, aut donationis aliquid conferatur, hoc proprietario domino, non vsufructuario adquiritur.

Sed

Sed & per eos] §.30.32. *Inst. de rerum diuis. vid. l.48. ff. de rei vindic.*

Sicut filii] *Inst. per quas person. cuique adquir. l.10. ff. de acquirend. rer. dom.*

Vel serui] §.1.2.3. *Instit. per quas personas cuique.*

Præter eos filios] §.1. *Inst. per quas person. cuique. vid. ff. de castrensi peculio.*

In vsufructu nostro] §.4. *Inst. per quas person. l.10. §.3. ff. de adquir. rer.*

Tit. II. De Testamentis.

PEr vniuersitatem, hoc est, omnia simul bona acquirimus hereditate, emptione, adoptione: quia is quem adoptauerimus, si sine patre est, cum omnibus bonis suis ad nos transit. Id quoque statutum est, quod non omnibus liceat facere testamentum. Sicut hij sunt, qui sui iuris non sunt, & alieno iuri subiecti sunt, hoc est, filii tam ex nobis nati, quam adoptiui. Item testamenta facere non possunt impuberes, id est, minores 14. annorum, aut puellæ 12. Item & hii qui furiosi, id est, mente insani fuerint, non possunt facere testamenta. Sed hij qui insani sunt: si interualla ipsius insaniæ habent, per interualla quibus sani sunt, possunt facere testamenta.

De testamentis] 20. *Vlpian.2.Inst.*10.3.*Paul.* 4.28.*ff.*1.6.C.22.23.

§. 1. Per vniuersitatem, hoc est, omnia simul bona acquirimus hæreditate, emptione, adoptione, quia is, quem adoptauerimus, si sine patre est, cum omnibus bonis suis ad nos transit.

Per vniuersitatem] §.*vlt.Inst.per quas person.*

Hæreditate] *d.*§.*vlt.*

Emptione] Successiones, quæ fiebant per bonorum venditionem, hodie sublatæ sunt. *Instit. de success. sublat. quæ fiebant per bonorum vendit.*

Cum omnibus bonis] *l.* 25.*ff. de adopt. Inst. de adquisit. per adrog.*

§. 2. Id quoque statutum est, quod non omnibus liceat facere testamentum. Sicut ii sunt, qui sui iuris non sunt, & alieno iuri subiecti sunt, hoc est, filij tam ex nobis nati, quam adoptiui.

Non omnibus] *vid.Inst.quib.non est permiss. facere.& ff.& C.qui testam.facere.*

Qui sui iuris non est] Qui sui iuris non est, testari non potest.*Inst.quib.non est permiss.*

Filij tam ex nobis] 20.*Vlpian.*11.*l.*6.*l.*16.*ff. qui testam.l.*3.*in fin.C.qui testam.fac.*nisi sint milites. Possunt enim milites testari de castrensi peculio.3.*Paul.*4.§.3.

§.3. Item testamenta facere non possunt impube-

pube-

puberes, id est, minores quatuordecim annorum, aut puellæ 12.

Impuberes] §. 1. *Inst. quib. non est permiss.* 20. *Vlpian.* 12.

Quatuordecim annorum] *Paul. 3. sentent.* 4. §. 1. *l.* 5 *ff. qui testam.*

§. 4. Item & ii, qui furiosi, id est, mente insani fuerint, non possunt facere testamenta.

Furiosi] §. 1. *vers. furiosi Inst. quib. non est permiss.* 20. *Vlpian.* §. 13. *l.* 16. *in fin. leg.* 17. *in fin. ff. qui testament.*

§. 5. Sed ii qui insani sunt, si interualla ipsius insaniæ habent, per interualla, quibus sani sunt, possunt facere testamenta.

Si interualla] 3. *Paul. sent.* 4. §. 5.

Tit. III. De Exheredatione liberorum.

IS qui filium in potestate habet, curam agere debet, vt testamentum faciens, masculum filium aut nominatim heredem instituat, aut nominatim exheredet. Nam si masculum filium in testamento præterierit, non valebit testamentum: si vero filiam præterierit, non rumpit testamentum filia prætermissa, sed inter fratres suos, legitimo stante testamento, suam sicut alij fratres consequitur portionem. Si vero testamento extranei heredes scripti fuerint, stante testamento filia medietatem here-

ditatis acquirit. Nam si facto testamento, in quo filius masculus prætermissus est, euenerit, vt viuente adhuc patre filius qui prætermissus est moriatur, sic quoque quamlibet filius ille mortuus fuerit, testamentum quod factum est non valebit. Posthumorum duo genera sunt: quia Posthumi appellantur hij, qui post patris mortem de vxore nati fuerint: & illi qui post testamentum factum nascuntur. Et ideo nisi is qui testamentum facit, in ipso testamento comprehenderit: *Quicunque filius aut filia mihi natus, natave fuerit, heres mihi sit*: aut certe dicat, *heres sit*, valere eius non potest testamentum: quia sicut superius iam dictum est, legitime concepti pro natis habeantur. Nisi quod melior conditio est posthumæ quam natæ: quia nata, si prætermissa fuerit, non rumpit testamentum: posthuma vero, sicut masculus, testamentum rumpit. Si quis post factum testamentum adoptauerit apud populum illum qui sui iuris est, hoc est, qui patrem non habet, aut apud Prætorem illum adoptauerit qui in potestate patris est, quasi ei filius natus sit, ita eius rumpitur testamentum: posteriore quoque testamento, quod iure factum est, id quod iure factum ante fuerat, rumpitur. Quod si facto posteriore testamento heres scriptus, aut ante aditionem hæreditatis moriatur, aut viuo testatore defecerit, aut conditio possibilis, sub

qua

qua heres institutus est, impleta non fuerit, is qui testamentum fecit intestatus mori videtur: quia testamentum quod prius fecerat, testamento posteriore rescissum est, & quod posterius factum est, hiis rebus, quas diximus, infirmatur. Alio quoque modo testamenta iure facta infirmantur, si aliquis post factum testamentum capite minuatur, id est, aut ab hostibus capiatur, aut pro crimine in exilium deputetur. Similiter & si qui adoptatus fuerit, testamentum quod antequam adoptaretur fecerat, non valebit.

Heredes autem sui sunt, aut necessarii, aut extranei. Sui heredes appellantur, filii aut nepotes ex filiis masculis, quos in potestate auus vel pater habet. Necessarii sunt heredes serui qui cum libertate heredes instituuntur. Necessarii ideo, quia aut velint aut nolint, necesse est eis heredes esse. Nam qui creditoribus tenentur obnoxii, & putant se non tantum in substantia, quantum in debitis relinquere, ipsi seruos suos manumittunt, & heredes necessarios faciunt, vt quo magis heres quam dominus infamiam incurrat, cum res eius, id est, hereditas domini pro debitis venditur, & creditoribus datur. Extranei sunt, qui nullo propinquitatis gradu testatori iunguntur, sed eos quicunque pro arbitrio suo scribit heredes.

De exhæredatione] *vid. 2. Inst. 13.*

§. 1. Is, qui filium in potestate habet, curam agere debet, vt testamentum faciens, masculum filium, aut nominatim hæredem instituat, aut nominatim exhæredet. Nam si masculum filium in testamento præterierit, non valebit testamentum.

§. 2. Si vero filiam præterierit, non rumpit testamentum filia prætermissa, sed inter fratres suos, legitimo stante testamento, suam, sicut alii fratres, consequitur portionem. Si vero testamento extranei hæredes scripti fuerint, stante testamento, filia medietatem hæreditatis acquirit. Nam, si facto testamento, in quo filius masculus prætermissus est, euenerit, vt viuente adhuc patre, filius, qui prætermissus est moriatur, sic quoque quamlibet filius ille mortuus fuerit, testamentum, quod factum est, non valebit.

Si vero filiam] Filiæ quondam poterant præteriri à patre *Inst. eod. vers. sed non ita de filiabus.* 22. *Vlpian.* 16. 20.

§. 3. Posthumorum duo genera sunt: quia posthumi appellantur ii, qui post patris mortem, de vxore nati fuerint, & illi, qui post testamentum factum nascuntur. Et ideo nisi is, qui testamentum facit, in ipso testamento comprehenderit: Quicunque filius aut filia mihi natus natave fuerit, hæres mihi sit: *aut certe dicat*, exhæres sit; valere eius non potest testa-

testamentum: quia sicut superius iam dictum est, legitime concepti pro natis habeantur. Nisi, quod melior conditio est posthumæ, quam natæ: quia nata si prætermissa fuerit, non rumpit testamentum: posthuma vero, sicut masculus, testamentum rumpit.

Posthumorum duo genera sunt] Posthumorum alii viuo patre post testamentum nascuntur: alii post mortem: vtrique sæpe post testamentum. *l.3.§.1.ff.de iniusto. Gothofred.hic.*

Quicunque filius] De posthumorum institutione *adde* 3.*Paul.sent.*4.§.22.

Sicut superius iam dictum] *Primo lib. tit.* 4. §.10. *sup.*

Pro natis habeantur] *l.7.l.26.ff.de statu l.2.§.6.ff. de excusat. tutor. adde tamen leg.* 9. *in fin. ff. ad l. Fal.*

Melior conditio] Melior posthumæ, quam natæ conditio. Hæc præterita non rumpit testamentum, illa rumpit.

§. 4. Si quis post factum testamentum adoptauerit apud populum illum, qui sui iuris est, hoc est, qui patrem non habet, aut apud prætorem illum adoptauerit, qui in potestate patris est, quasi ei filius natus sit, ita eius rumpitur testamentum.

Apud populum] hoc genus adoptandi mutatum est. Fit enim hodie adrogatio apud prin-

 cipem.

cipem. *l. 2. ff. de his qui sunt sui.* iure scilicet populi in principem translato. *Goth. hic.*

Hoc est] sui iuris est, qui patrem non habet.

Apud pratorem] Est enim duplex adoptionis species. *l. 1. in f. ff. de adoption.*

Rumpitur testamentum] Adrogatione vel adoptione rumpitur testamentum. §. 1. *Inst. quib. mod. testam. l. 8. ff. de iniusto. 23. Vlpian. 3.*

§. 5. Posteriore quoque testamento, quod iure factum est, id quod iure factum ante fuerat, rumpitur. Quod si facto posteriore testamento, hæres scriptus, aut ante aditionem hæreditatis moriatur, aut viuo testatore defecerit, aut conditio possibilis, sub qua hæres institutus est, impleta non fuerit: is qui testamentum fecit, intestatus mori videtur: quia testamentum, quod prius fecerat, testamento posteriore rescissum est, & quod posterius factum est, iis rebus, quas diximus, infirmatur.

Posteriore quoque testamento] §. 2. *Instit. quib. mod. testament. 23. Vlpian. 2. leg. 1. l. 2. ff. de iniusto.*

§. 6. Alio quoque modo testamenta iure facta infirmantur, si aliquis post factum testamentum capite minuatur, id est, aut ab hostibus capiatur, aut pro crimine in exilium deputetur. Similiter, & si, qui adoptatus fuerit, testamentum, quod antequam adoptaretur, fecerat, non valebit.

Capi-

2.22

Capite minuatur] Capitis minutione testamentum infirmatur. §. 4. *Inst. quib. mod. testam. l. 6. §. 5. ff. de iniusto.*

§. 7. Hæredes autem sui sunt, aut necessarii, aut extranei. Sui hæredes appellantur filii aut nepotes ex filiis masculis, quos in potestate auus vel pater habet. Necessarii sunt hæredes serui, qui cum libertate hæredes instituuntur. Necessarii ideo, quia aut velint, aut nolint, necesse est eis hæredes esse. Nam qui creditoribus tenentur obnoxii, & putant se non tantum in substantia, quantum in debitis relinquere, ipsi seruos suos manumittunt, & hæredes necessarios faciunt, vt quo magis hæres, quam dominus infamiam incurrat, cum res eius, id est, hæreditas domini, pro debitis venditur, & creditoribus datur. Extranei sunt, qui nullo propinquitatis gradu testatori iunguntur, sed eos quicunque pro arbitrio suo scribit hæredes.

Aut necessarij] Hæredum differentias *vid. Inst. de hæred. qualitate & differentia.*

Sui hæredes] sui hæredes qui §. 2. *Inst. de hæred. qual. & differentia. l. 1. §. 2. ff. de suis.*

Necessarij] §. 1. *Inst. de hæred. qualitat.*

Aut velint] *d. §. 1. l. 12. ff. qui testament.* 22. *Vlpian.* 24.

Et putant] *d. §* 1.

Extranei sunt] De extraneis hæredibus *vid.*

cipem. *l. 2. ff. de his qui sunt sui.* iure scilicet populi in principem translato. *Goth. hic.*

Hoc est] sui iuris est, qui patrem non habet.

Apud pratorem] Est enim duplex adoptionis species. *l. 1. in f. ff. de adoption.*

Rumpitur testamentum] Adrogatione vel adoptione rumpitur testamentum. §. 1. *Inst. quib. mod. testam. l. 8. ff. de iniusto. 23. Vlpian. 3.*

§. 5. Posteriore quoque testamento, quod iure factum est, id quod iure factum ante fuerat, rumpitur. Quod si facto posteriore testamento, hæres scriptus, aut ante aditionem hæreditatis moriatur, aut viuo testatore defecerit, aut conditio possibilis, sub qua hæres institutus est, impleta non fuerit: is qui testamentum fecit, intestatus mori videtur: quia testamentum, quod prius fecerat, testamento posteriore rescissum est, & quod posterius factum est, iis rebus, quas diximus, infirmatur.

Posteriore quoque testamento] §. 2. *Instit. quib. mod. testament. 23. Vlpian. 2. leg. 1. l. 2. ff. de iniusto.*

§. 6. Alio quoque modo testamenta iure facta infirmantur, si aliquis post factum testamentum capite minuatur, id est, aut ab hostibus capiatur, aut pro crimine in exilium deputetur. Similiter, & si, qui adoptatus fuerit, testamentum, quod antequam adoptaretur, fecerat, non valebit.

Capi-

Capite minuatur] Capitis minutione testamentum infirmatur. §. 4. *Inst. quib. mod. testam. l. 6. §. 5. ff. de iniusto.*

§. 7. Hæredes autem sui sunt, aut necessarii, aut extranei. Sui hæredes appellantur filii aut nepotes ex filiis masculis, quos in potestate auus vel pater habet. Necessarii sunt hæredes serui, qui cum libertate hæredes instituuntur. Necessarii ideo, quia aut velint, aut nolint, necesse est eis hæredes esse. Nam qui creditoribus tenentur obnoxii, & putant se non tantum in substantia, quantum in debitis relinquere, ipsi seruos suos manumittunt, & hæredes necessarios faciunt, vt quo magis hæres, quam dominus infamiam incurrat, cum res eius, id est, hæreditas domini, pro debitis venditur, & creditoribus datur. Extranei sunt, qui nullo propinquitatis gradu testatori iunguntur, sed eos quicunque pro arbitrio suo scribit hæredes.

Aut necessarij] Hæredum differentias *vid. Inst. de hæred. qualitate & differentia.*

Sui hæredes] sui hæredes qui §. 2. *Inst. de hæred. qual. & differentia. l. 1. §. 2. ff. de suis.*

Necessarij] §. 1. *Inst. de hæred. qualitat.*

Aut velint] *d. §. 1. l. 12. ff. qui testament. 22. Vlpian. 24.*

Et putant] *d. §. 1.*

Extranei sunt] De extraneis hæredibus *vid.*

§.3.4.5.6.7. *Institut. de hared. qualitat.* 22. *Vlpian.* 25.

Tit. IV. De Substitutionibus & de faciendis secundis tabulis.

SVbstitutio est, quæ post institutionem à testatore fieri solet, id est, secundi hæredis appellatio. Et duæ sunt, quarum vna vulgaris dicitur, alia pupillaris. Vulgaris dicitur, *Ille hares mihi esto*: siue hoc filio siue extraneo. Quod si hæreditatem meam adire nolueris, *illum substituo, ad quem hereditas mea debeat pertinere.* Pupillaris substitutio filiis tantummodo impuberibus dari potest, quæ ita fit: *Ille filius meus, si intra pubertatem decesserit, illum ei substituo.* Sed pupillaris substitutio ita secreta esse debet, vt ad notitiam substituti peruenire non possit, ne vitæ pupilli aliquas substitutus insidias moliatur. Nam in extrema pagina testamenti fieri debet, vt pars illa in qua substitutio pupillaris scripta est, quandiu pupillus annos pubertatis egrediatur, obsignata permaneat, & prior pars testamenti, in qua hæres scriptus est, reseratur. Hoc etiam & de donis fieri potest: Nam si extraneus hæres scriptus sit, etsi aliquem substituere non possumus, vt si hæres extiterit, & intra aliquod tempus mortuus fuerit, alius ei hęres sit, potest tamen per fideicom-

missum

missum obligari, vt alii, rogatus à testatore, hæreditatem aut integram, aut pro parte restituat.

De substitutionibus] de substitutione *vulgari* 2. *Instit.* 15. *pupillari* 2. *Inst.* 15. de vtraque *vid.* 28.*ff.*6. & 16.*C.*26.

§. 1. Substitutio est, quæ post institutionem à testatore fieri solet, id est, secundi hæredis appellatio. Et duæ sunt, quarum vna vulgaris dicitur, alia pupillaris.

Secundi hæredis] substitutio, secundi hæredis appellatio: substituitur etiam tertio gradu. *Paul.*3.*sent.*4.§.17.22. *Vlpian.*33.

Duæ sunt] duplex substitutio.

§. 2. Vulgaris dicitur, ille hæres mihi esto: siue hoc filio, siue extraneo, quod si hæreditatem meam adire nolueris, illum substituo, ad quem hæreditas mea debebat pertinere.

Vulgaris dicitur] *vid.Inst.de vulgari.*

§. 3. Pupillaris substitutio filiis tantummodo impuberibus dari potest, quæ ita fit: Ille filius meus, si intra pubertatem decesserit, illum ei substituo. Sed pupillaris substitutio ita secreta esse debet, vt ad notitiam substituti peruenire non possit, ne vitæ pupilli aliquas substitutus insidias moliatur. Nam in extrema pagina testamenti fieri debet, vt pars illa, in qua substitutio pupillaris scripta est, quamdiu pupillus annos pubertatis egrediatur, obsignata per-

ta permaneat, & prior pars testamenti, in qua hæres scriptus est, referatur. Hoc etiam & de donis fieri potest.

Pupillaris substitutio] *vid. Inst. de pupillari.*

Si intra pubertatem] *l.* 1. §. 1. *Inst. de vulgar. & pupillar.* post pubertatem filio miles potest substituere *l.* 15. *ff. de vulgari.*

Secreta esse debet] *vid.* §. 3. *Institut. de pupillari.*

In extrema pagina testamenti] Inferioribus partibus *d.* §. 3. ima cera. *Sueton.*

De donis] eisdem paginis. ita legitur à quibusdam.

§. 4. Nam si extraneus hæres scriptus sit, & si aliquem substituere non possumus, vt si hæres extiterit, & intra aliquod tempus mortuus fuerit, alius ei hæres sit, potest tamen per fideicommissum obligari, vt alii, rogatus à testatore, hæreditatem aut integram, aut pro parte restituat.

Extraneus hæres] §. 9. *Inst. de pupillari.*

Non possumus] Fallit hæc sententia in milite.

Tit. V. De Legatis.

LEgatorum genera sunt quatuor, vendicationis, damnationis, sinendi modo, & præceptionis. Vendicationis legatum est, si testator sic locutus fuerit: *Illum seruum tibi do, aut lego*: Vel

go : Vel, *illam rem tibi præsume, habe, vendica.* Quod post mortem testatoris statim legatarius non expectato herede, sibi præsumit. Quam si præsumpserit, nec pro præsumpto legato ab herede potest calumniam sustinere, nec si aliena res fuerit, quæ legata est, legatarius hoc poterit ab herede repetere. Si per vendicationem vna res multis legata sit, & singuli hanc ipsam rem præsumere velint, æquales singuli de re legata capiant portiones.

Per damnationem isto ordine legatum dimittitur, vt testator in testamento scribat : *Tu hæres meus illi hoc da* : aut, *Illud illi ab herede meo dari iubeo.* In quo genere legati, etiam alienæ res per legatum dimitti possunt. Et necesse est heredi aut redimere eam rem, quæ iuris alieni est, & legatario tradere, aut si is cuius est res vendere noluerit, quantum res illa valebit, legatario in pretio compensare. Sed si testator rem alienam quasi suam credens, per hoc genus legatum reliquerit, legatarius hoc ab herede petere non potest : & inutile est legatum. Nam si sciens alienam esse, per legatum dederit, necesse est ab herede aut ipsam rem, aut æstimationem rei in pretio legatario dari. Cæterum inter damnationis legatum & vendicationis hoc interest, quod per vendicationem res aliena relinqui non potest: per damnationem eo pacto, quo superius comprehensum est,

est, potest. Illæ etiam res, quæ in rerum natura non sunt, per damnationem legato dimitti possunt, velut si ita testator in testamento scribat: *Fructus qui ex illo agro nati fuerint, aut id quod ex illa ancilla natum fuerit*. quod in legato vendicationis fieri non potest: quia non potest hæc legatarius testatore mortuo continuo vendicare. Inter legatum vendicationis & damnationis ista similitudo est, quod legatum vendicationis, siue damnationis, si coniunctim, id est, duobus aut pluribus vna res in legato dimissa fuerit, in vtroque legato simul ab omnibus præsumatur: Inter legatum vendicationis, & damnationis ista distantia est, vt si disiunctim, id est, singulis quæcunque res per legatum damnationis relicta fuerit, singulis integra debeatur: Id est, vt vnus rem ipsam accipiat, alii æstimationem rei ipsius in pretio ab herede percipiant. Sinendi modo hæc legati verba sunt: *Ille heres meus rem illam illum permitte præsumere & sibi habere*. Nam & propriam rem testator & heredes sui, & [alienam] per sinendi legatum relinquere potest. In quo legato non quidem heres legatario rem quæ relicta est iubetur tradere, sed vendicanti legatario non permittitur prohibere. Præceptionis vero legatum non nisi vni ex heredibus dari potest, vt aliquid ei ex hereditate præcipuum relinquatur, etsi aut coniunctim, id est, multis,

aut

aut disiunctim singulis relinquatur, omnibus vna res tantum quæ nominata est debetur, non vni res, & alii æstimatio, sicut in legato damnationis est constitutum.

De legatis] 2.*Inst*.20.24. *Vlp. Paul*.3.*sent*.6. §.37. & 30.31.32.33.34.*ff*.

§.1. Legatorum genera sunt quatuor: vindicationis, damnationis, sinendi modo, & præceptionis.

Sunt quatuor] §.1.*Inst.eod.*

Vindicationis] *vid*. §. 2.*inf.eod.*

Damnationis] §.3.4.5.6.*inf.eod.*

Sinendi modo] *v*.§.7.*inf.eod.*

Et præceptionis] *v*.§.8.*inf.eod.*

§. 2. Vendicationis legatum est, si testator sic locutus fuerit: illum seruum tibi do, aut lego: vel, illam rem tibi præsume, habe, vendica. Quod post mortem testatoris statim legatarius, non expectato hærede, sibi præsumit. Quam si præsumserit, nec pro præsumto legato ab hærede potest calumniam sustinere, nec si aliena res fuerit, quæ legata est, legatarius hoc poterit ab hærede repetere. Si per vindicationem vna res multis legata sit, & singuli hanc ipsam rem præsumere velint, æquales singuli de re legata capiant portiones.

Vendicationis legatum] *vid*. 24. *Vlp*.15.

Sic locutus fuerit] Formula legati per vindicationem.

Habe

Habe, vendica] inde legatum per vindicationem dictum.

§. 3. Per damnationem isto ordine legatum dimittitur, vt testator in testamento scribat: Tu, hæres meus, illi hoc da: aut, illud illi ab hærede meo dari iubeo. In quo genere legati etiam alienæ res per legatum dimitti possunt. Et necesse est hæredi, aut redimere eam rem, quæ iuris alieni est, & legatario tradere, aut si is, cuius est res, vendere noluerit, quantum res illa valebit, legatario in precio compensare. Sed si testator rem alienam, quasi suam credens, per hoc genus legatum reliquerit, legatarius hoc ab hærede petere non potest: & inutile est legatum. Nam si sciens alienam esse, per legatum dederit, necesse est, ab hærede aut ipsam rem, aut æstimationem rei in precio legatario dari.

Per damnationem] *vid.* 24. *Vlpian.* 1.

Dari iubeo] alias formulas aptiores *vid. apud* 24. *Vlpian.* 4. *&* §. 1. *in fin. Inst. de legat. Paul.* 3. *sent.* 6. §. 6.

Alienæ res] 24. *Vlpian.* 8.

§. 4. Cæterum inter damnationis legatum, & vendicationis hoc interest, quod per vendicationem res aliena relinqui non potest: per damnationem eo pacto, quo superius comprehensum est, potest. Illæ etiam res, quæ in rerum natura non sunt, per damnationem legato di-

to dimitti possunt, velut, si ita testator in testamento scribat: Fructus qui ex illo agro nati fuerint, aut, id quod ex illa ancilla natum fuerit. quod in legato vendicationis fieri non potest: quia non potest hæc legatarius testatore mortuo continuo vendicare.

Res aliena relinqui] per damnationem res aliena relinqui potest: per vindicationem non potest. *vid.* 2. *Vlpian.* 7. Huc etiam pertinet, per damnationem rem creditori obligatam legari posse à sciente testatore. *Paul.* 3. *sentent.* 6. §. 8. *Gothofr.*

Quæ in rerum natura] Quæ in rerum natura non sunt, legare possumus per damnationem, non per vindicationem.

§. 5. Inter legatum vendicationis & damnationis ista similitudo est, quod legatum vendicationis, siue damnationis, si coniunctim, id est, duobus aut pluribus vna res in legato dimissa fuerit, in vtroque legato simul ab omnibus præsumatur.

Similitudo est] 24. *Vlpian.* 13. *in princ.*

Si coniunctim] Coniunctim legare possumus, per damnationem & vindicationem.

§. 6. Inter legatum vendicationis, & damnationis ista distãtia est, vt si disiunctim, id est, singulis quæcunque res per legatum damnationis relicta fuerit, singulis integra debeatur, id est,

vt vnus rem ipsam accipiat, alii æstimationem rei ipsius in precio ab hærede percipiant.

Si disiuncti] 24. *Vlpian*. 13. *in fin*.

Vnus rem ipsam] Res pluribus legata per damnationem, non per vindicationem singulis legatariis debetur, vni res, alii æstimatio. §. 8. *inf. inf. eod. adde Paul*. 3. *sent*. 6. §. 3. *in fin. Gothofred. hic*.

§. 7. Sinendi modo hæc legati verba sunt: Ille hæres meus rem illam, illum permitte præsumere, & sibi habere. Nam & propriam rem testator, & hæredis sui, & (alienam) per sinendi legatum relinquere potest. In quo legato, non quidem hæres legatario rem, quæ relicta est, iubetur tradere, sed vendicanti legatario non permittitur prohibere.

Sinendi modo] §. 2. *Inst. eod*.

Hæc legati verba] sunt & alia commodiora, *de quib. vid*. 24. *Vlpian*. 5.

Et hæredis] 24. *Vlpian*. 11.

Alienam] Hanc vocem superesse notat *Cuiacius* 24. *ad Vlpian*.

Relinquere potest] Possunt etiam iura relinqui sinendi modo *Paul*. 3. *sent*. 6. §. 11.

§. 8. Præceptionis vero legatum, non, nisi vni ex hæredibus dari potest, vt aliquid ei ex hæreditate præcipuum relinquatur, & si aut coniunctim, id est, multis, aut disiunctim singulis relinquatur, omnibus vna res tantum, quæ

quæ nominata est, debetur, non vni res, & alii æstimatio, sicut in legato damnationis est constitutum.

Præceptionis vero legatum] Formulas legandi per præceptionem *vid apud Vlp.* 24. §. 6.

Vni ex hæredibus] *Paul.* 3. *sent.* 6. §. 1.

Vni res] §. 6. *in fin. sup. eod.*

Tit. VI. De Lege Falcidia.

Lege Falcidia constitutum est: quicunque heres fuerit institutus, quartam partem totius hereditatis habeat. Quod si testator hereditatem suam legatis exinanierit, hoc statutum est, vt Falcidiam sibi de imminutione legatorum heres retineat, constante nihilominus testamento. Hic de Pauli sententiis addendum.

Vid. 2. *Inst.* 22. 35. *ff.* 2. 6. *C.* 9. *adde* 25. *Vlp.* 32. *Paul.* 3. *sentent.* 8.

Lege Falcidia constitutum est: quicunque heres fuerit institutus, quartam partem totius hereditatis habeat. Quod si testator hereditatem suam legatis exinanierit, hoc statutum est, vt Falcidiam, sibi de imminutione legatorum hæres retineat, constante nihilominus testamento. Hîc de Paul. sent. addendum.

Quartam partem] *d.* §. 32. §. 2. *in f. Inst. eod. l.* 73. *ff. ad L. Falc. Paul.* 3. *sent.* 8. §. 1.

Tit. VII. De Fideicommissis.

POtest aliquis recto iure heredem institue-re:& rogare eum, vt hereditatem suam, aut omnem, aut ex parte alii per fideicommissum reddat. Nam si heredem directo iure non instituerit, fideicommissarius non potest ad alium acceptam hereditatem transmittere. Sed in hac quoque re hoc obseruandum est, quod de Falcidia supra iam dictum est, vt heres institutus etiamsi omnem hereditatem alii restituere iussus sit, ita hereditatem alii restituat, vt quartam sibi ex ipsa hereditate retineat. Et singulæ quæcunque res per fideicommissum dimitti possunt, hoc est, fundus, aut domus, aut mancipium, aut argentum. Ab ipso fideicommissario alteri fideicommissum dimitti potest. Et à legatario, licet legatum dimitti non possit, fideicommissum potest. Et non solum propriæ res à testatore per fideicommissum dimitti possunt, sed etiam ipsius heredis, aut legatarii, aut cuiuslibet extranei, ne legatarius cui per testamentum parum dimissum est, plus alii per fideicommissum quam id quod consequitur reddere iubeatur. Cum autem aliena res per fideicommissum relinquitur, necesse est heredi, vel legatario, rem illam quæ per fideicommissum est relicta, aut redimere, & fideicommissario dare, aut pretium eiusdem rei, quan-

tum

tum æstimata fuerit, fideicommissario numerare, sicut in damnationis legato fieri diximus. Libertates etiam seruis per fideicommissum dari possunt, vt heres vel legatarius ea mancipia manumittant, quæ testator ab hiis vt manumitterent, sperauit. Nec interest, vtrum hoc testator de suis seruis, an de ipsius heredis vel legatarii, aut de alienis fieri iubeat. Quod si de alienis fecerit, similiter cogitur heres emere ipsum seruum & manumittere. Sed si illum dominus suus noluerit vendere, perit per fideicommissum data libertas: quia in hac re heres æstimationem in pretio dare non cogitur: sed cum per fideicommissum libertas datur, is qui manumissus fuerit, non testatoris, sed heredis libertus est. Præterea inter fideicommissa & legata sunt quædam distantiæ. Fideicommissum ad eum, cui aliquid commissum est, herede mortuo poterit peruenire, si talis fuerit conditio testamenti: nam legatum ita relinqui non potest. Item legatum per codicillum relictum non valet, nisi codicilli testamento fuerint confirmati: fideicommissum vero etiam si testamento codicilli non fuerint confirmati, nihilominus debetur. Item, per legatarium legatum alteri relinqui non potest, sed fideicommissum potest. Item per legatum seruo alieno directa libertas dari non potest, per fideicommissum potest. Item per

codicillos nemo heres institui potest, quamuis testamento confirmati sint: sed is qui testamento heres fuerit institutus, potest per codicillum rogari, vt hereditatem, quæ ei data est, alii totam vel pro parte restituat. quod validum est, etiamsi codicilli testamento non fuerint confirmati. Item quamuis non possimus post mortem eius quem heredem instituimus, alium ei substituere, tamen per fideicommissum rogare eum possumus, vt cum moriatur, alii eam hereditatem vel totam, vel pro parte restituat. Et quia, sicut superius dictum est, etiam post mortem heredis fideicommissum ei cui relictum est, dari potest: quod hoc ordine fit, vt testator scribat: *Illum heredem instituo, & volo, vt quum mortuus fuerit, ad illum hereditas mea pertineat.* Præterea & in hoc alia fideicommissorum & legatorum conditio est, quia fideicommissa, si tardius quam scriptum est soluta fuerint, vsuræ & fructus debentur: legatorum vero vsuræ non debentur, sed ex mora solutionis, si per damnationem relicta fuerint, duplicantur.

Vid. 15. *Vlp* 4. *Paul. sent.* 1. de fideicommissariis hæreditatibus. 2. *Instit.* 23. *de singulis rebus per fideicommissum relictis.* 2. *Instit.* 24.

Potest aliquis recto iure heredem instituere: & rogare eum, vt hereditatem suam, aut omnem, aut ex parte alii per fideicommissum

red-

reddat. Nam si heredem directo iure non instituerit, fideicommissarius non potest ad alium acceptam hereditatem transmittere. Sed in hac quoque re hoc obseruandum est, quod de Falcidia supra iam dictum est, vt heres institutus etiamsi omnem hereditatem alii restituere iussus sit, ita hereditatem alii restituat, vt quartam sibi ex ipsa hereditate retineat.

Recto iure] §. 2. *Inst. de fideicommissar. hæreditatibus.*

Quartam sibi] de quarta Trebellianica *vid.* §. 4. *Inst. de fideicommiss. hæred. & ad SC. Trebel. l.* 1. §. 2. *ff. ad Trebel.*

§. 2. Et singulæ quæcunq; res, per fideicommissum dimitti possunt, hoc est, fundus, aut domus, aut mancipium, aut argentum.

Singulæ quęcunque res] *Inst. de singulis rebus per fideicommissum.*

Per fideicommissum] & legatum 24. *Vlp.* 25.

§. 3. Ab ipso fideicommissario alteri fideicommissum dimitti potest.

Fideicommissario alteri] sic à posthumo hærede instituto fideicommissum relinqui potest. *Paul.* 4. *sent.* 1. §. 2. ab Imperatore hærede instituto. §. 3. *ibi.* à surdo vel muto. §. 4. *ibid.* at non ab vxore, cui vir dotem prælegauit. §. 1. *ibid.*

Dimitti potest] quamuis à legatario olim legari non poterat *vid.* §. 4. *inf. eod.*

§.4. Et à legatario, licet legatum dimitti non possit, fideicommissum potest.

Et à legatario] *Inst. de sing. rebus per fideic. relictis* 24. *Vlp.* 20. sicuti nec hæredi à semetipso 24. *Vlpian.* 22.

§.5. Et non solum propriæ res à testatore per fideicommissum dimitti possunt, sed etiam ipsius hæredis, aut legatarii, aut cuiuslibet extranei.

Extranei] nostras statim: alienas autem aut æstimatas aut redemptas *Paul. 4. sent.* 1. §. 7. nisi ignoranter rem alienam legauerimus §. 8. *ibid.*

§.6. Ne legatarius, cui per testamentum parum dimissum est, plus alii per fideicommissum, quam id quod consequitur, reddere iubeatur.

Plus alij] vid. plenissime ad *l.* 1. §. 17. *in fin. ff. ad Trebel. Gothofr.*

§.7. Cum autem aliena res per fideicommissum relinquitur, necesse est hæredi, vel legatario, rem illam, quæ per fideicommissum est relicta, aut redimere, & fideicommissario dare, aut pretium eiusdem rei, quantum æstimata fuerit, fideicommissario numerare, sicut in damnationis legato fieri diximus.

Aut pretium] *Paul. 4. sent.* 1. §. 17.

Diximus] *tit.* 5. §. 4. *sup. eod.*

§. 8. Libertates etiam seruis per fideicommissum dari possunt, vt hæres vel legatarius ea manci-

mancipia manumittant quæ testator ab iis, vt manumitterent, sperauit. Nec interest, vtrum hoc testator de suis seruis, an de ipsius hæredis vel legatarii, aut de alienis fieri iubeat. Quod si de alienis fecerit, similiter cogitur hæres emere ipsum seruum, & manumittere. Sed si illum dominus suus noluerit vendere, perit per fideicommissum data libertas: quia in hac re hæres æstimationem in pretio dare non cogitur. Sed cum per fideicommissum libertas datur, is, qui manumissus fuerit, non testatoris, sed hæredis libertus est.

Libertates]25. *Vlp.* 18. §. 2. *Inst. de singulis reb. per fideicom. l.* 12. §. 1. *ff. de fideicom. hæred.*

§. 9. Præterea inter fideicommissa & legata sunt quædam distantiæ. Fideicommissum ad eum, cui aliquid commissum, hærede mortuo, poterit peruenire, si talis fuerit conditio testamenti: nam legatum ita relinqui non potest. Item legatum per codicillum relictum non valet, nisi codicilli testamento fuerint confirmati: fideicommissum vero etiam, si testamento codicilli non fuerint confirmati, nihilominus debetur. Item per legatarium legatum alteri relinqui non potest, sed fideicommissum potest. Item per legatum seruo alieno directa libertas dari non potest, per fideicommissum potest. Item per codicillos nemo hæres institui potest, quamuis testamento con-

firmati sint: sed is, qui testamento hæres fuerit institutus, potest per codicillum regari, vt hæreditatem, quæ ei data est, alii totam, vel pro parte restituat, quod validum est, etiamsi codicilli testamento non fuerint confirmati. Item quamuis non possimus post mortem eius quem hæredem instituimus, alium ei substituere, tamen per fideicommissum rogare eum possumus, vt, cum moriatur, alii eam hæreditatem vel totam, vel pro parte restituat. Et quia, sicut superius dictum est, etiam post mortem hæredis fideicommissum ei, cui relictum est, dari potest: quod hoc ordine fit, vt testator scribat: illum hæredem instituo, & volo, vt cum mortuus fuerit, ad illum hæreditas mea pertineat. Præterea & in hoc alia fideicommissorum & legatorum conditio est, quia fideicommissa, si tardius quam scriptum est, soluta fuerint, vsuræ & fructus debentur: Legatorum vero vsuræ non debentur, sed ex mora solutionis, si per damnationem relicta fuerint, duplicantur.

Distantiæ] Differentiæ fideicommissi & legati, hodie legata fideicommissis exæquantur. *vid. l.* 1 *ff. de legat.* 1.

Mortuo] Prima differentia.

Item legatum] Secunda differentia 25. *Vlp.* §. 8. *in fin.*

Etiam si] *d.* §. 8. *Paul.* 4 *sent.* 1. §. 10.

Item

Item per legatarium] Tertia differentia.
Item per legatum] Quarta differentia.
Item per codicillos] Quinta differentia.

Nemo] *l.10.ff.de codicillis §.2.Inst. de codicill. l.27. in fin.ff.de cond. inst.*

Potest per codicillum] §.2.*Inst.de codicill.*

Item quamuis] Sexta differentia.

Post mortem eius] 24. *Vlpian.* 16. *Paul.* 3. *sent* 6.§.5.

Præterea &] Septima differentia.

Vsuræ & fructus] *vid. C.de vsuris & fructib. legatorum.*

Tit. VIII. De Intestatorum Hereditatibus.

INtestatorum hereditates primũ ad suos heredes pertinent. Sui autẽ heredes appellãtur, filius filia, nepos neptis, pronepos proneptis ex nepote: quia omnes per virilem sexum descendentes, sui vocantur. Naturales sunt hæ personæ, ac adoptiuæ. Adoptiuorum enim comparatione legitimi naturales appellantur. Sed ita nepos vel neptis ex filio auo sui heredes sunt, si pater eorum de potestate patris, aut morte aut emancipatione discesserit: nam si eo tempore, quo aliquis moritur, filium in potestate habeat, & ex eo nepotes, illi viuo patre suo, & in po-

in potestate aui constituto, sui heredes auo esse non possunt. Similiter posthumi, qui si viuo patre nati fuissent, in potestate eius futuri erant, sui heredes sunt. Si quando aliquis moritur, & reliquerit filium, aut filiam, & ex alio filio mortuo nepotes, neptesve, filii vel nepotes ex filio defuncto, patri vel auo hac ratione succedunt, vt filius vel filia suas partes, & nepotes ex filio portionem, quam pater eorum erat habiturus, accipiant. Quia regulariter constitutum est, vt inter suos proximior longiore gradu positos non excludat, & non in capita, sed in stirpem diuidatur hereditas. Item si quis moriens filium non relinquat, sed ex duobus masculis filiis dimittat nepotes, hoc est, ex vno filio vnum, vel duos nepotes, ex altero tres aut quatuor, similiter, sicut superius dictum est, in stirpem, non in capita hereditas diuidatur, hoc modo vt illi duo nepotes ex vno filio medietatem percipiant, & illi quatuor ex alio filio aliam medietatem: hoc est, vt tales accipiant portiones, quales patres eorum si vixissent, habituri erant. Si defuerint heredes sui, tunc hereditas defuncti pertinet ad agnatos. Agnati enim sunt per virilem sexum defuncto propinquitate coniuncti, id est, consanguinei fratres, hoc est, de vno patre nati. Nec dispu- ri potest, si de diuersis matribus nascantu- vno patre geniti sunt. Item patruus, id est, -

ter

ter patris, fratris sui filio agnatus est: ipso modo sunt fratres patrueles, hoc est, qui de singulis germanis nati sunt. Hoc ordine agnoscitur qui sint agnati, sicut supra diximus, per virilem sexum propinquitate coniuncti. Non tamen omnibus simul agnatis lex hereditatem propinqui intestati dat, sed hiis qui defuncto mortis suæ tempore proximiores inueniuntur. In fœminis vero alia conditio est: quia inter fœminas sola tantum soror consanguinea habetur agnata, vt germano suo defuncto, ab intestato ei agnationis iure succedat. Reliquæ fœminæ, hoc est, amitæ, id est, patris soror, vel fratris filia, nec in capiendis hereditatibus propinquorum legitimæ sunt, nec masculis propinquis agnationis iure succedunt. Ipsarum vero hereditates ad masculos propinquos agnationis conditione perueniunt. Regulariter constitutum est, vt inter agnatos proximior posteriorem excludat, & inter eos non in stirpem, sed in capita, ab intestato diuidatur hereditas. Nam inter suos, sicut superius diximus, alia ratio est, vt proximior posteriorem non excludat, & semper hereditas in stirpem non in capita diuidatur. Nam si quis moriens dimittat germanum, & ex altero germano filios, germanus frater quia gradu proximior est, solus succedit, fratris filii non succedunt. Item si moriatur quis, & de duobus germanis fratribus

bus dimittat filios duntaxat masculos, ex vno fratre dimiserit duos, ex alio quatuor, similiter masculos: omnes quidem fratrum filii patruo suo ab intestato succedunt, sed non in stirpes, sed in capita: ita vt illi duo ex vna parte alio accipiant portiones, & illi quatuor ex alio accipiant quatuor portiones. Nam si sorores habuerint, in patrui hereditatem non veniunt, sicut nec sororis filii in auunculi hæreditate succedunt. Nam & hoc regulare est, vt cognati tunc intestatorum propinquorum hereditates capiant, quando aut sui, aut agnati defuerint.

De hæreditatibus, quæ ab intestato 3. *Inst.*1. de legitimis hęredibus. 26. *Vlp.* de intestatorum successione. *Paul.* 4. *sent.* 8.

Intestatorum hæreditates primum ad suos hæredes pertinent. Sui autem hæredes appellantur, filius, filia, nepos neptis, pronepos proneptis, ex nepote: quia omnes per virilem descendens sui vocantur. Naturales sunt hæ personæ, ac adoptiuæ. Adoptiuorum enim comparatione legitimi *naturales* appellantur. Sed ita nepos vel neptis ex filio auo sui hæredes sunt, si pater eorum de potestate patris aut morte, aut emancipatione discesserit: nam si eo tempore, quo aliquis moritur filium in potestate habeat, & ex eo nepotes, illi viuo patre suo, & in potestate aui constituto, sui hæredes auo esse non possunt.

 233

Ad suos hæredes] *vid.26.Vlp.1.§.Inst.de hered.quæ ab intest.*

Sui autem hæredes] §.2.*Inst.eod.*

Naturales sunt] Naturales, legitimati, sui esse possunt. *dict.* §. 2. *vers. nec interest. vers. quibus.*

Possunt] *d.*§.2.*vers.nam si per id tempus.*

§.2.Similiter posthumi, qui si viuo patre nati fuissent, in potestate eius futuri erant, sui hæredes sunt.

Posthumi] *d.* §.2.*vers.posthumi.*

§.3. Si quando aliquis moritur, & reliquerit filium, aut filiam & ex alio filio mortuo nepotes; neptesue: filii vel nepotes ex filio defuncto, patri vel auo hac ratione succedunt, vt filius vel filia suas partes, & nepotes ex filio portionem, quam pater eorum erat habiturus, accipiant: quia regulariter constitutum est, vt inter suos proximior, longiore gradu positos non excludat: & non in capita, sed in stirpem diuidatur hæreditas. Item, si quis moriens filium non relinquat, sed & duobus masculis filiis dimittat nepotes, hoc est, ex vno filio vnum vel duos nepotes, ex altero tres aut quatuor: similiter sicut superius dictum est, in stirpem, non in capita hæreditas diuidatur. Hoc modo vt illi duo nepotes ex vno filio medietatem percipiant, & illi quatuor ex alio filio aliam medietatem; hoc est, vt tales accipiant portiones,

tiones, quales patres eorum si vixissent habituri erant.

Quam pater] Ea successio in stirpes dicitur. 26. *Vlpian.* 2. §. 6. *Instit. de hæreditatibus, quæ ab intestato.*

Stirpem non in] Nepotes ex filio, patris sui locum repræsentant, siue concurrant cum suis patruis. §. 3. *sup.* siue plures inter se, vt hic: inter fratrum filios non eadem est successio, concurrunt enim inter se non in stirpes, sed in capita. *vid. Nouel.* 118. *c.* 3. *in fin.*

§. 4. Si defuerint hæredes sui, tunc hæreditas defuncti pertinet ad agnatos. Agnati enim sunt per virilem sexum defuncto propinquitate coniuncti, id est, consanguinei fratres, hoc est, vno patre nati. Nec disputari potest, si de diuersis matribus nascantur, qui vno patre geniti sunt. Item patruus, id est, frater patris, fratris sui filio agnatus est. Ipso modo sunt fratres patrueles, hoc est, qui de singulis germanis nati sunt. Hoc ordine agnoscitur, qui sint agnati, sicut supra diximus, per virilem sexum propinquitate coniuncti.

Defuerint hæredes] post suos, agnati succedunt.

Agnati enim] quinam agnati.

De vno patre nati] consanguinei fratres, de vno patre nati: de vno, id est, eodem.

Diuer-

Diuersis matribus] Ex eodem patre, licet diuersis matribus geniti agnati inter se.

Patruus] patruus patris frater.

Patrueles] fratres patrueles duorum fratrum filii. *l.1.§.6.ff. de gradibus.*

§. 5. Non tamen omnibus simul agnatis lex hæreditatem propinqui intestati dat, sed iis, qui defuncto mortis suæ tempore proximiores inueniuntur.

Mortis suæ tempore] §. 6. *Instit. de legitima agnat. success.*

§. 6. In fœminis vero alia conditio est: quia inter fœminas sola tantum soror consanguinea habetur agnata, vt germano suo defuncto, ab intestato ei agnationis iure succedat. Reliquæ fœminæ, hoc est, amitæ, id est, patris soror, vel fratris filia, nec in capiendis hæreditatibus propinquorum legitimæ sunt, nec masculis propinquis agnationis iure succedunt. Ipsarum vero hæreditates ad masculos propinquos agnationis conditione perueniunt.

Tantum soror] 26. *Vlp.6.Paul.4.sent.§.3.*

§.7. Regulariter constitutum est, vt inter agnatos proximior posteriore excludat, & inter eos non in stirpem, sed in capita ab intestato diuidatur hæreditas. Nam inter suos, sicut superius diximus, alia ratio est, vt proximior posteriorem non excludat, & semper hæreditas in stirpem, non in capita diuidatur. Nam si

quis moriens dimittat germanũ, & ex altero filio germano filios: germanus frater, quia gradu proximior est, solus succedit, fratris filii non succedunt. Item si moriatur quis, & de duobus germanis fratribus dimittat filios duntaxat masculos, ex vno fratre dimiserit duos, ex alio quatuor, similiter masculos: omnes quidem fratrum filii patruo suo ab intestato succedunt, sed non in stirpes, sed in capita: ita vt illi duo ex vna parte duas accipiant portiones, & illi quatuor ex alio accipiant quatuor portiones. Nam si sorores habuerint, in patrui hæreditatem non veniunt, sicut nec sorores filii in auunculi hæreditate succedunt.

Proximior posteriorem] §.5. *Instit. de legit. agnat. success. l.* 19. §. 1. *ff. de verborum signif.*

Non excludat] inter suos proximiores non excludunt posteriores.

In stirpem] inter suos diuiditur hæreditas in stirpes.

Non succedunt] Hodie succedunt.

Sed in capita] Fratrum filii inter se succedunt in capita: *qua de re vide ad Vlpianum* 26. §. 4. *& ad Nouel.* 118. *c.* 3. *in f. Goth.*

§. 8. Nam & hoc regulare est, vt cognati tunc intestatorum propinquorum hæreditates capiant, quando aut sui, aut agnati defuerint.

Quando aut sui] post suos & agnatos succedunt

dunt agnati. Hodie sublata est differentia agnatorum & cognatorum. *Nouel.* 118. *c.* 4.

Tit. IX. De Obligationibus.

OBligatio in duas species diuiditur. Nam omnes obligationes aut ex contractu nascuntur, aut ex culpa. Quæ ex contractu nascuntur, quatuor genera sunt, quæ singula hoc ordine distinguuntur. Aut enim re contrahitur obligatio, aut verbis, aut literis, aut consensu. Re contrahitur, quoties aliqua cuicunque mutuo dantur, quæ in his rebus contingunt, quæ pondere, numero, mensura continentur: hoc est, si pecunia numeretur, vel frumentum detur, vinum, aut oleum, aut æs, ferrum, argentum, vel aurum. Quæ omnia numerando, aut pensando, aut metiendo, ad hoc damus vt eorum fiant qui ea accipiunt, & ad nos statuto tempore, non ipsę res, sed aliæ eius naturæ, quales datæ sunt, atque ipsius ponderis, numeri, vel mensuræ reddantur. Propter quod Mutuum appellatum est, quasi à me tibi ita datum sit, vt ex meo tuum fieret. Verbis contrahitur obligatio, ex interrogatione dantis, & responsione accipientis, ita vt si ille qui dat, interroget: *Hoc mihi dabis?* qui accipiet, respondeat: *Dabo.* Aut in obligatione debitoris, si aliquis fideiussor accedat, ille qui personam fideiussoritra-

ri tradit, interroget: *Istum fide tua esse iubes?* & ille respondeat: *Fide mea esse iubeo.* hac conditione non solum ille qui debitor est, sed & is qui fideiussor existit, obligantur. Et non solum fideiussor ipse dum viuit, sed & heredes ipsius, si ille defecerit, tenentur obnoxii. Creditor autem, qui pecuniam dedit in potestate habet ad reddendam pecuniam quem velit tenere, vtrum ipsum debitorem, an fideiussorem. Sed si debitorem tenere elegerit, fideiussorem absoluit. Si vero fideiussorem tenuerit, debitorem absoluit. Quia vno electo, quem idoneum creditor iudicat, alterum liberat. Sunt & aliæ obligationes, quæ nulla præcedente interrogatione contrahi possunt, id est, vt si mulier siue sponso vxor futura siue iam marito dotem dicat. Quod tam de mobilibus rebus, quam de fundis fieri potest. Et non solum in hac obligatione ipsa mulier obligabitur, sed & pater eius, & debitor ipsius mulieris, si pecuniam, quam ille debebat sponso creditricis, ipse debitor in dotem dixerit. Hæ tantum tres personæ, nulla interrogatione præcedente possunt dictione dotis legitime obligati. Aliæ vero personæ, si pro muliere dotem marito promiserint, communi iure obligari debent: id est, vt & interrogatæ respondeant, & stipulatæ promittant. Item & alio casu, vno loquente, & sine interrogetione alio promittente, contrahitur

obliga-

obligatio, id est, si libertus patrono aut donum, aut munus, aut operas se daturum esse iurauerit. Exponendum hîc quid sit donum, aut munus, vel operæ, in qua re supradicti liberti non tam verborum solemnitate, quam iurisiurandi religione tenentur. Sed nulla altera persona hoc ordine obligari potest. Præterea inutilis est promissio, etiamsi stipulatione interueniente facta sit, si id aliquis daturum se promiserit, quod sui iuris non est: hoc est, si aut ingenuum hominem quasi seruum se daturum promittat. Aut si mortuum aliquis, quem viuum credebat, promiserit. Aut locum sacrum, aut sanctum, aut religiosum daturum se quicunque promiserit. Præterea inutilis est promissio, si aliquis rem sub tali conditione promittat, quæ impleri pro rei difficultate non possit. Præterea inutilis est interrogatio & promissio, si ita aliquis interroget debitorem, *Post mortem meam vel tuam illud dari spondes?* Quod propterea inutile visum est, quia à persona heredis obligatio incipere non potest. Et ideo nec heredi creditoris sub hac sponsione obligatur debitor, nec debitoris heres creditori tenetur obnoxius. Item inutilis est obligatio si dicat creditor, *Pridie quam moriar, dare spondes?* Vel interroget debitorem, *Pridie quam moriaris?* Similiter & hæc stipulatio inutilis iudicatur, quia non potest sciri, quando sit pridie quam aliquis

moriatur, nisi postquam mortuus fuerit. Item si pure interroget creditor, & debitor sub conditione promittat. Vel si creditor decem solidos debitorem interroget, & debitor quinque promittat: hoc ordine integrum debitum vacillare cognoscitur. Si quis nobis pecuniam debeat, possumus debitorem nostrum compellere, vt pecuniam quam nobis redditurus erat, alteri se caueat redditurum. Neque potest ei, cui pro nostro debito cauet, de cauto & non numerato, sicut fieri solet, aliquid disputationis afferre, cum id quod à nobis accepit, alteri cauerit redditurum. Literis obligatio fit, aut à re in personam, aut à persona in personam. A re in personam, velut si id quod ex emptione aut conductione aut societate debes, alii reddas. A persona in personam, velut si id quod mihi alter debet, alteri personæ delegem, vt reddere debeat. Consensu fiunt obligationes, ex emptionibus & venditionibus, locationibus conductionibus, societatibus & mandatis. Quia in eiusmodi rebus consensus magis quam scriptura aliqua aut solemnitas quæritur. In quibus rebus etiam inter absentes obligatio contrahi potest, quod in aliis rebus fieri non potest. Emptio igitur & venditio contrahitur, cum de pretio inter emptorem & venditorem fuerit definitum, etiamsi pretium non fuerit numeratum, & nec pars pretii aut arrha data fue-

fuerit. Locatio & conductio simili ratione consistunt, vt consensu, etiam verbo definitio inter consentientes firma permaneat. Societatem inire possumus, aut omnium bonorum aut vnius alicuius negotiationis. Et potest ita iniri societas, si tamen hoc inter socios conuenit, vt vnus pecuniam det, alter operam suam pro pecunia ponat. Et huius rei definitio etiam verbo inita valet, ita vt quicquid societatis tempore quolibet modo fuerit adquisitum, sociis commune sit. Permanet autem inita societas, quandiu in ipso consensu socii perseuerant: quia sicut consensu contrahitur, etiam dissensu soluitur. Dissoluitur ergo societas aut morte vnius socii, aut contraria voluntate, aut capitis deminutione, id est, si vnus ex sociis, sicut frequenter supra diximus, capite fuerit deminutus. Similiter & mandari verbo potest. Et cum verbis mandatum fuerit, obligatio contrahitur. Possumus enim aut nostra negotia, aut aliena cuicunque agenda mandare, dummodo honestum aliquid agi mandemus. Nam si contra mores bonos aliquid mandare voluerimus: hoc est, si cuicunque mandemus, vt alicui furtum faciat, aut homicidium, aut adulterium admittat, in hiis rebus mandati obligatio non contrahitur. Soluitur autem mandatum aut morte, cui mandatum est, aut contraria illius voluntate qui mandauit. Sed is

cui mandatur, mandati formam egredi non potest. Aut si egressus fuerit, & mandatori teneatur obnoxius, & quod extra mandatum egit, non præiudicet mandatori.

Vid. 3. Inst. 14. 44. ff. 7.

§.1. Obligatio in duas species diuiditur. Nam omnes obligationes aut ex contractu nascuntur, aut ex culpa. Quæ ex contractu nascuntur, quatuor genere sunt, quæ singula hoc ordine distinguuntur. Aut enim re contrahitur obligatio, aut verbis, aut literis, aut consensu.

Ex contractu] *adde* §.1. *Inst. eod. l.* 1. *ff. eod.*
Quatuor genere] *d. l.* 1. §. 1.
Re contrahitur] *vid.* §. 2. *inf.*
Verbis] *vid.* §. 3. *& seq. inf.*
Aut literis] *vid.* §. 13. *inf.*
Aut consensu] *vid.* §. 14. *inf.*

§.2. Re contrahitur quoties aliqua cuicunque mutuo dantur, quæ in his rebus contingunt, quæ pondere, numero, mensura continentur, hoc est, si pecunia numeretur, vel frumentum detur, vinum, aut oleum, aut æs, ferrum, argentum, vel aurum. Quæ omnia numerando, aut pensando, aut metiendo, ad hoc damus vt eorum fiant, qui ea accipiunt, & ad nos statuto tempore non ipsæ res, sed aliæ eius naturæ, quales datę sunt, atque ipsius ponderis, numeri, vel mensuræ reddantur. Propter quod

quod Mutuum appellatum est, quasi à me tibi ita datum sit, vt ex meo tuum fieret.

Re contrahitur] *vid. Institut. quib. mod. re contrah.*

Mutuo dantur] *Inst. quib. mod. re. in pr. l. 1. §. 1. ff. de oblig.*

Quæ pondere] *l. 2. §. 1. ff. d. reb. cred.*

Aliæ eius naturæ] *d. l. 2. §. 1. ff. d. reb. cred.*

§. 3. Verbis contrahitur obligatio ex interrogatione dantis, & responsione accipientis, ita, vt si ille, qui dat, interroget, *Hoc mihi dabis?* qui accipiet, respondeat, *Habeo.* Aut in obligatione debitoris, si aliquis fideiussor accedat, ille, qui personam fideiussori tradit, interroget, *Istum fide tua esse iubes?* & ille respondeat: *Fide mea esse iubeo.* Hac conditione non solum ille qui debitor est, sed & is qui fideiussor existit, obligantur. Et non solum fideiussor, ipse, dum viuit, sed & hæredes ipsius si ille defecerit, tenentur obnoxij: creditor autem qui pecuniam dedit, in potestate habet ad reddendam pecuniam quem velit tenere, vtrum ipsum debitorem, an fideiussorem, sed si debitorem tenere elegerit, fideiussorem absoluit: si vero fideiussorem tenuerit, debitorem absoluit. Quia vno electo, quem idoneum creditor iudicat, alterum liberat.

Verbis contrahitur] *Inst. de verb. oblig. l. 1. §. 7. l. 52. §. 2. ff. de obligat. l. 2. in fin. ff. de reb. cred.*

Fideiussor accedat] *vid. Institut. & ff. de fideiussor.*

Qui personam] cui persona fideiussoris traditur.

Hæredes ipsius] §.2. *Inst. de fideiussorib. l. 4. in fin. ff. de fideiuss.*

In potestate habet] Hodie non habet. *vid. Nouel.* 4. *c.* 1.

§. 4. Sunt & aliæ obligationes, quæ nulla præcedente interrogatione, contrahi possunt, id est, vt si mulier siue sponso vxor futura, siue iam marito, dotem dicat: quod tam de mobilibus rebus, quam de fundis fieri potest. Et non solum in hac obligatione ipsa mulier obligabitur, sed & pater eius, & debitor ipsius mulieris, si pecuniam, quam ille debebat sponso creditricis, ipse debitor in dotem dixerit. Hæ tantum tres personæ, nulla interrogatione præcedente, possunt dictione dotis legitime obligari. Aliæ vero personæ, si pro muliere dotem marito promiserint, communi iure obligari debent, id est, vt & interrogatæ respondeant, & stipulatæ promittant.

Quæ nulla] dotis dictio stipulationem non requirit.

Dotem dicat] de dotis dictione *vid. Vlpian.* 6. §. 1. §. 2.

Tres personæ] *Vlp.* 6. §. 2.

§. 5. Item & alio casu, vno loquente, & sine inter-

Interrogatione alio promittente, contrahitur obligatio, id est, si libertus patrono aut donum, aut munus, aut operas se daturum esse iurauerit. Exponendum hic, quid sit donum, aut munus, aut operæ: in qua re supradicti liberti, non tam verborum solemnitate, quam iurisiurandi religione tenentur. Sed nulla altera persona hoc ordine obligari potest.

§. 6. Præterea inutilis est promissio, etiamsi stipulatione interueniente facta sit, si id aliquis daturum se promiserit, quod sui iuris non est, hoc est, si aut ingenuum hominem, quasi seruum se daturum promittat. Aut si mortuum aliquis, quem viuum credebat, promiserit. Aut locum sacrum, aut sanctum, aut religiosum daturum se quicunque promiserit.

Ingenuum hominem] id est, libertum. *l.* 103. *de verb. obligat.*

Quasi seruum] §. 2. *Inst. d. inutil. stipul.*

Mortuum aliquis] *d. l.* 103. §. 1. *Inst. de inutil. stipul. l.* 69. *ff. d. verb. obligat.*

Locum sacrum aut sanctum] *l.* 83. §. 3. *ff. de verb. obligat.* §. 2. *Inst. de inutil. stipul.*

§. 7. Præterea inutilis est promissio si aliquis rem sub tali conditione promittat, quæ impleri pro rei difficultate non possit.

Pro rei difficultate] *vid. l.* 31. *ff. de obligationib. leg.* 35. *ff. d. verb. obligat.* §. 1. *Institut. de inutil. stipul.*

§. 8. Præ-

§.8. Praeterea inutilis est interrogatio, & promissio, si ita aliquis interroget debitorem, *Post mortem meam vel tuam illud dari spondes?* Quod propterea inutile visum est, quia à persona hæredis obligatio incipere non potest. Et ideo nec hæredi creditoris sub hac sponsione obligatur debitor, nec debitoris hæres creditori tenetur obnoxius.

Inutilis est interrogatio] hodie non est §. 2. *in pr. Inst. de inuti. stip.*

§.9. Item inutilis est obligatio, si dicat creditor, *Pridie quã moriar, dare spondes?* vel interroget debitorem, *Pridie quam moriaris?* Similiter & hæc stipulatio inutilis iudicatur, quia non potest sciri, quando sit pridie, quam aliquis moriatur, nisi postquam mortuus fuerit.

Inutilis est obligatio] Hodie non est. *d.* §. 12. *vers. sed & si quis ita stipul. pridie, quam moriar, &c.*

§. 10. Item si pure interrogat creditor, & debitor sub conditione promittat.

Si pure] *vid.* §. 5. *Inst. de inuti. stip.*

§. 11. Vel si creditor decem solidos debitorem interroget, & debitor quinque promittat: hoc ordine integrum debitum vacillare cognoscitur.

Quinque promittat] *d.* §. 5. *in pr.*

§. 12. Si quis nobis pecuniam debeat, possumus debitorem nostrum compellere, vt pecuniam,

niam, quam nobis redditurus erat, alteri se caueat redditurum. Neque potest ei, cui pro nostro debito cauet, de cauto, & non numerato, sicut fieri solet, aliquid disputationis afferre, cum id, quod à nobis accepit, alteri cauerit redditurum.

Alteri se caueat] *Adde §. 19. Institut. de inutil. stipul.*

§. 13. Literis obligatio fit, aut à re in personam, aut à persona in personam. A re in personam, velut si id, quod ex emptione, aut conductione, aut societate debes, alii reddas. A persona in personam, veluti si id, quod mihi alter debet, alteri personæ delegem, vt reddere debeat.

Literis obligatio] *vid. Institut. de literarum obligat.*

§. 14. Consensu fiunt obligationes & emptionibus & venditionibus, locationibus, conductionibus, societatibus & mandatis. Quia in eiusmodi rebus consensus magis quam scriptura aut solennitas quæritur. In quibus rebus etiam inter absentes obligatio contrahi potest, quod in aliis rebus fieri non potest.

Consensu fiunt] *vid. Inst. de oblig. ex consensu. l. 2. ff. de obligat.*

Scriptura] *d. l. 2. §. 1.*

Inter absentes] *d. l. 2. § 2.*

§. 15. Emptio igitur & venditio contrahitur, cum

cum de pretio inter emptorem & venditorem fuerit definitum, etiamsi pretium non fuerit numeratum, & nec pars pretij, aut arrha data fuerit.

Cum de pretio] *Inst. de empt. in pr. l.9.ff.de contrah. empt.*

§. 16. Locatio & conductio simili ratione consistunt, vt consensu, etiam verbo definitio inter consentientes firma permaneat.

Simili ratione] *Inst. de locat. & conduct.*

§. 17. Societatem inire possumus, aut omnium bonorum, aut vnius alicuius negotiationis. Et potest ita iniri societas, si tamen hoc inter socios conuenit, vt vnus pecuniam det, alter operam suam pro pecunia donet. Et huius rei definitio etiam verbo inita valet, ita, vt quicquid societatis tempore, quolibet modo fuerit acquisitum, sociis commune sit.

Societatem inire] *vid. Inst. de societate.*

Ita iniri] §. 2. *vers. nam & ita. Institut. de societate.*

§. 18. Permanet autem inita societas, quamdiu in ipso consensu socii perseuerant: quia sicut consensu cōtrahitur, etiam dissensu soluitur. Dissoluitur ergo societas aut morte vnius socij, aut contraria voluntate, aut capitis deminutione, id est, si vnus ex sociis, sicut frequenter supra diximus, capite fuerit deminutus.

Per-

Permanet autem] §.4.*Inst.de societate.*

Morte vnius] §.5.*Inst.de societate.*

§.19. Similiter & mandari verbo potest. Et cum verbis mandatum fuerit, obligatio contrahitur. Possumus enim aut nostra negotia, aut aliena cuicunque agenda mandare, dummodo honestum aliquid agi mandemus. Nam si contra bonos mores aliquid mandare voluerimus: hoc est, si cuicunque mandemus, vt alicui furtum faciat, aut homicidium, aut adulterium admittat, in his rebus mandati obligatio non contrahitur.

Mandati verbo] *vid. Inst. de mandato & ff. eod. mandati.*

Honestum aliquid] *leg. 6.* §. 3. *leg.* 22. §.*6.ff. mandat.*

Contra mores] §.*7.Instit.de mand.l.35.*§.*2.ff. de contrah. empt.*

Homicidium] *d.l.22.*§.*6.*

§.20. Soluitur autem mandatum aut morte, cui mandatum est, aut contraria illius voluntate, qui mandauit.

Morte] *l.26.ff.mand.*§.*vlt.Inst.de mandato.*

Contraria illius voluntate] *leg.*12. §.*16.ff. mand.*§.*vlt.Inst. de mandato.*

§.21. Sed is, cui mandatur, mandati formam egredi non potest, aut si egressus fuerit, & mandatori teneatur obnoxius, & quod extra mandatum egit, non præiudicet mandatori.

Egre-

Egredi non potest] *l.* 5.*ff.mandati* §.8.*Inst.de mandato.*

Tit. X. Quibus modis obligatio tollatur.

TOllitur obligatio solutione debiti. Præterea aliquoties tollitur obligatio, etiam si aliud quam cautum fuerat à debitore creditori reddatur. Nam si quicunque pro pecunia quam creditori cauit, acquiescente creditore, aurum, aut argentum, aut mancipia, vel alias quaslibet species, habita æstimatione consentiente creditore dederit, obligatio euidenter tollitur.

Quia de obligationibus, quæ ex contractu nascuntur, diximus, superest vt de his obligationibus, quæ ex delicto nascuntur, simpliciter disputemus. Ex delicto nascuntur obligationes, si aliquis furtum fecerit, vel bona aliena rapuerit, vel damnum alteri dederit, aut iniuriam fecerit. Quarum omnium rerum vno genere ex delicto nascitur obligatio. Furtorum autem sunt genera quatuor: manifesti, nec manifesti, concepti, & oblati. Manifestum furtum dicitur, si quando fur cuiuscunque rem tollit, in ipso furto deprehenditur. Nec manifestum furtum appellatur, quod quamlibet dum fieret, inuentum non est, tamen furtum factum fuisse probatur. Conceptum furtum dicitur, cum

cum apud aliquem alterum res furtiua inueniatur. Oblatum furtum dicitur, cum res furtiua alicui ita à fure datur, vt apud ipsum furem inueniri non possit. Præterea, qui rem alienam inuito aut nesciente domino contingit, vel tollere, aut de loco mouere præsumit, furtum facit. Et si quis rem vtendam acceperit, aut commendatam apud se habuerit, & aliter ea vsus fuerit, quam acceperit, furti actione tenetur. Præterea, si quis iumentum alterius ad hoc accepit, vt eum quinque millibus duceret, si id decem millibus, aut longius quam ab illo qui dedit fuerit constitutum duxerit, furti reus erit. Et multa præterea quorumcunq; similia sunt: secundum quæ & ille furti tenetur, qui vt ferret opem, aut consilium, aut studium commodarit: velut si quis pecuniam, quam in manu aliquis tenebat, excusserit, vt alii eam rapere possent.

Quibus modis, &c.] 3. *Inst.* 30.

§. 1. Tollitur obligatio solutione debiti. Præterea aliquoties tollitur obligatio, etiam, si aliud, quam cautum fuerit à debitore, creditori reddatur. Nam si quicunque pro pecunia, quam creditori cauit, acquiescente creditore, aurum, aut argentum, aut mancipia, vel alias quaslibet species, habita æstimatione consentiente creditore dederit, obligatio euidenter tollitur.

Solutione debiti] *Inst. eod. v. l. 107. ff. d. solutionibus.*

Pro pecunia] *vid. l. 17. eod. de solutionib.*

Acquiescente creditore] *l. 99. ff. de solut. Inst. quibus modis toll. obligatio.*

§. 2. Quia de obligationibus, quæ ex contractu nascuntur, diximus, superest, vt de his obligationibus, quæ ex delicto nascuntur, simpliciter disputemus. Ex delicto nascuntur obligationes, si aliquis furtum fecerit, vel bona aliena rapuerit, vel damnum alteri dederit, aut iniuriam fecerit. Quarum omnium rerum vno genere ex delicto nascitur obligatio.

Ex delicto] *l. 4. ff. d. obligat. Inst. de obligat. qua ex delicto.*

Furtum fecerit] *vid. ff. de furtis. Inst. eod. de oblig. qua ex delicto.*

Rapuerit] *vid. Inst. vi bonor. raptor.*

Damnum alteri] *vid. Inst. de l. Aquil.*

Iniuriam fecerit] *vid. Inst. de iniur.*

§. 3. Furtorum autem sunt genera quatuor: manifesti, nec manifesti, concepti, & oblati. Manifestum furtum dicitur, si quando fur cuiuscunque rem tollit, in ipso furto deprehenditur. Nec manifestum furtum appellatur, quod quamlibet dum fieret, inuentum non est, tamen furtum factum fuisse probatur. Conceptum furtum dicitur, cum apud aliquem alterum res furtiua inueniatur. Obla-

tum

243

tum furtum dicitur, cum res furtiua alicui ita à fure datur, vt apud ipsum furem inueniri non possit.

Quatuor] Imo duo tantum. §.3. *Instit. de oblig. quæ ex delicto. l. 2. ff. de furt.*

Manifestum furtum] *l. 3. ff. de furtis.*

Nec manifestum] non manifestum. *l. 8. ff. de furtis.*

Conceptum furtum] conceptum §. 4. *in pr. Instit. de oblig. quæ ex delict.*

Oblatum furtum] oblatum *d.* §. 4. *vers. oblatum.*

§. 4. Præterea, qui rem alienam inuito, aut nesciente domino contingit, vel tollere, aut de loco mouere præsumit, furtum facit.

Inuito aut nesciente] §. 4. *Instit. de oblig. quæ ex delicto.*

§. 5. Et si quis rem vtendam acceperit, aut commendatam apud se habuerit, & aliter eâ vsus fuerit, quam acceperit, furti actione tenetur.

Vtendam acceperit] §. 7. §. 8. *vid. Instit. de oblig. quæ ex del.*

Commendatam] id est depositam §. 6. *Instit. de oblig. quæ ex del.*

§. 6. Præterea, si quis iumentum alterius ad hoc accepit, vt eam quinque millibus duceret, si id decem millibus, aut longius quam ab illo,

qui dedit, fuerit constitutum, duxerit, furti reus erit.

Iumentum alterius] *vid. Goth. ad l 40. ff. de furtis.*

§.7. Et multa præterea, quorumcunque similia sunt, secundum quæ & ille furti tenetur, qui vt ferret opem, aut consilium, aut studium commodarit: veluti, si quis pecuniam, quam in manu aliquis tenebat, excusserit, vt alii eam rapere possent.

Ferret opem] *vid. Goth. ad l. 36. l. 50. §. 1. ff. de furtis: adde §. 12. vers. si vero. Instit. de oblig. quæ ex delict.*

Excusserit] *vid. Goth. ad l. 52. §. 3. ff. de furtis.*

FINIS.

AD VL-

244

AD VLPIANI TIT. XXIX. NOTÆ EX CVIACIO, PACIO, & optimis quibusque ICtis selectæ.

Tit. I. De Libertis.

Libertorum genera sunt tria, Ciues Romani, Latini Iuniani, Dedititiorum numero. Ciues Romani, sunt liberti, qui vindicta, censu aut testamento nullo iure impediente manumissi sunt.

Vindicta manumittuntur apud magistratum, velut Prætorem, Consulem, Proconsulem.

Censu manumittebantur olim, qui lustrali censu Romæ, iussu dominorum, inter ciues Romanos censum profitebantur.

Vt testamento manumissi liberi sint, lex duodecim Tabularum facit; quæ confirmat, quod datum legatum est. Hodie autem ipso iure liberi sunt ex lege Iunia, qua lege Latini sunt nominati, inter amicos manumissi.

Dedititiorum numero sunt, qui pœnæ causa vincti sunt à domino: quibus vestigia scripta fuerunt: qui propter noxam torti nocentesque inuenti sunt: quive traditi sunt, vt ferro, aut cum bestiis depugnarent, vel in custodiam

coniecti fuerunt: deinde quoquomodo manumissi sunt: idque lex Ælia Sentia facit.

Eadem lege cautum est, vt minor triginta annorum seruus vindicta manumissus, ciuis Romanus non fiat, nisi apud consilium causa probata fuerit: ideo sine consilio manumissum seruum manere putat. Testamento vero manumissum perinde haberi iubet, atque si domini voluntate in libertate esset, ideoque Latinus fit.

Eadem lex eum dominum, qui minor viginti annorum est prohibet seruum manumittere, præterquam si causam apud consilium probauerit. In consilium autem adhibentur Romæ quinque Senatores, & quinque Equites Romani, in prouincia viginti Recuperatores, ciues Romani.

Ab eo domino, qui soluendo non est, seruus testamento liber esse iussus, & heres institutus, etsi minor sit triginta annis, vel in ea causa sit, vt dedititius fieri debeat, ciuis Romanus & heres fit: si tamen alius ex eo testamento nemo heres sit. Quod si duo pluresve liberi heredesque esse iussi sunt, primo loco scriptus liber & heres fit: quod & ipsum lex Ælia Sentia facit.

Eadem lex in fraudem creditoris & patroni manumittere prohibet.

Qui tantum in bonis, non etiam ex iure

Qui-

Quiritium seruum habet, manumittendo Latinum facit.

In bonis tantum alicuius seruus est, velut hoc modo, Si ciuis Rom. à ciue Romano seruum emerit, isque traditus ei sit, neque tamen mancipatus ei, neque in iure cessus, neque ab ipso anno possessus sit. Nam quamdiu horum quid fiat, is seruus in bonis quidem emptoris est, ex iure Quiritium autem venditoris est.

Mulier quæ in tutela est, item pupillus & pupilla manumittere non possunt.

Communem seruum vnus ex dominis manumittendo, partem suam amittit: eaque adcrescit socio, maxime si eo modo manumiserit, quo, si proprium haberet, ciuem Romanum facturus esset. Nam si inter amicos eum manumiserit, plerisque placet eum nihil egisse.

Seruus in quo alterius est vsusfructus, alterius proprietas, à proprietatis domino manumissus, liber non fit, sed seruus sine domino est.

Post mortem heredis, aut ante institutionem heredis, testamento libertas dari non potest, excepto testamento militis.

Inter medias heredum institutiones libertas data, vtrisque adeuntibus non valet: solo autem priore adeunte, iure antiquo valet. Sed post legem Papiam Poppeam, quæ partem non adeuntis caducam facit, siquidem primus he-

res vel ius antiquum habeat, valere eam posse placuit: quod si non habeat, non valere constat, quod loco non adeuntis, legatarii partis heredes fiunt. Sunt tamen qui & hoc casu valere eam posse dicunt.

Qui testamento liber esse iussus est, mox quam vnus ex heredibus adierit hereditatem, liber fit.

Iusta libertas testamento potest dari his seruis, qui testamenti faciendi, & mortis tempore, ex iure Quiritium testatores fuerunt.

Lex Furia Caninia iubet testamento ex tribus seruis non plures quam duos manumitti, & vsque ad decem, dimidiam partem manumittere concedit: à decimo vsque ad triginta tertiam partem, vt tamen adhuc quinque manumittere liceat, æque vt ex priori numero: à triginta vsque ad centum quartam partem, æque vt decem ex priori numero liberari possint: à centum vsque ad quingentos, partem quintam similiter, vt ex antecedenti numero viginti quinque possint fieri liberi. Eademque præcipit, ne plures omnino quam centum, ex cuiusquam testamento liberi fiant.

Eadem lex cauet, vt libertates seruis testamento nominatim dentur.

Dn. Pacius & alii hîc præmittunt προλεγόμενον *quoddam, sub peculiari rubrica,* DE LEGIBVS

BVS & MORIBVS: quæ tamen sub ea tradunt, hæc pleraque Cuiacius suo, quem obseruauit, ordine ac loco, sub hoc, de LIBERTIS, titulo proposuit.

Libertorum] Libertorum diuisio hæc est. Adde Caium 1.*Inst.*1.*verb.libertorum.* Libertorum status tripertitus §.3.*Inst de libertinis.*

Cines] Ciues Romani fiunt tribus modis. *d. eod.*§.6.*Caius* 1.*Inst.*2.

Vindicta] De manumissis vindicta. Adde §. 1.*Inst. de Libertinis.* Hæc manumissio tribunal non exigit *l.*7.*ff. de manumiss. vindict.* fitque hodie per tutorem, verbaque solennia: licet non dicantur vt dicta accipiuntur. *l.*23.*ff.d.tit.* Porro Theophilus id genus manumissionis ex eo dictum putat, vel quod eo vindicaretur mancipium in naturalem libertatem, (& male. Nam si ita esset, qui censu vel testamento manumitteretur, vindicta quoque manumitti diceretur) vel à vindice quodam, qui, cum seruus esset, erupturam aduersus Romanos coniurationem indicio suo patefecit, publiceque à Romanis manumissus est, & in honorem eius, quicunq; apud magistratum manumittebatur, vindicta manumitti dicebatur. Theophil. §. κ τὰς μ̃ *Instit. de libert.* Coniurationis à vindice detectæ meminit quidem Liuius 2. Est

etiam verisimile vindicta manumissionem dici, quod lictor *l. 8. l. 23. ff. de manumiss. vindict.* virgulam seruo manumittendo imponeret. Persius: Vindicta postquam meus à prætore recessi: & post, non in festuca lictor quam gestat inani, virgulam, inquam, quæ vindicta diceretur. Boët. in top. Plutarchus de sera numinis vindicta κάρφον λεπτὸν appellat. hinc vindictam imponere *l. 14. in fin. ff. de manumiss. l. 12. §. 2. ff. de liberali l. 19. §. 4. ff. de castrensi peculio. l. 2. C. si aduersus libertat. Gothofred. in not. ad tit. de legib. & morib. & libert. Inst. Vlpian.*

Prætorem] *l. 1. l. 8. ff. de manumiss. vindict. l. 4. C. de manum. vindict. l. 1. ff. & C. de off. Prator. Gothofr. ibid.*

Consulem] *l. 4. l. 1. §. 1. §. 2. ff. de off. consul. l. 20. in f. ff. de manumiss. vindict.*

Proconsulem] *l. 2. ff. de off. proconf. l. 17. ff. de manum. vind.* Et ita legendum est *in l. 4. non præsules.* An & apud alios? Vtique apud magistratus ciuitatum, quibus huiusmodi ius est *v. d. l. 4. in fin.* apud magistratus municipales. Hi habent legis actionem. *Paul. 2. sentent. 25. § 4.* apud præfectum Ægypti *l. 21. ff. de manum. vind.* apud legatum proconsulis *l. 17. in fin. ff. d. tit.* quin apud ipsum Imperatorem *l. 14. in fin. ff. de manumission. Goth. ibid.*

Lustrali] Lustrum, spatium quinque annorum, de forma censendi *vid. tit. ff. de censib.*

Cen-

Censum] id est, facultatem & libertatem suam. vid. Theoph. *d. loc. l.* 10. *ff. de probat. l.* 64. *ff. de acquir. rerum.*

Testamento] Dominus seruum testamento potest manumittere *ff. de manumiss. testam.* C. *de testam. manumiss. ibid. Goth.*

Quæ confirmat] desunt hæc verba, Testamento datas libertates, quæ deinde sequuntur, abundant, nam ad legem Furiam pertinent, cuius sententia mox clarius explicatur. *Cuiac. h.*

Datum] verba huius legis *vide in tit.* 11. §. 14. *inf. eod. & in l.* 1. *ff. ad l. Falcidiam l.* 53 *l.* 120. *ff. de verb. signif. in Nouell.* 22. *cap.* 2. vide etiam quædam in notis *Goth.*

Quæ prohibet] *l. non est dubium.* C. *de legibus. No. Th. ne cur. præd. alt. cond.* Macrob. in somn. Scip. ad finem, inter leges illa imperfecta dicitur, in qua nulla deuiantibus pœna sancitur. *Cuiac. hic.*

Lex Furia] *vide in not. Goth. ad leg.* 102. *ff. ad l. Falcid.*

Id est pars prima tollitur] Legendum opinor, *Pars prima legis tollitur*; vt derogare sit partem primæ legi detrahere. *l. derogatur. de verb. sign.* quod etiam exrogare est, auctore Sex. Pomp. Obrogare, legem primam alia lege lata aliqua ex parte commutare. quod M. Tullius his verbis complexus est. Deinde indignum de lege

ali-

aliquid derogari, aut legem abrogari, aut aliqua ex parte commutari, id est, vt ipse loquitur, aliis in locis legi obrogari. *Cuiac.h.*

Hodie autem] Hic talia quædam desunt. Olim liberi non erant qui aliter quam vindicta, censu, vel testamento, manumittebantur. *Cuiac.*

Lege Iunia] *leg. vnica C. de Latina libertate*, Norbana scilicet. §.3. *Inst. de libert. Nouell.* 78. Alia est Iunia Patronia vel Petronia de libertate *l.*24. *ff. de manumiss.*

Inter amicos] §. 1. *Instit. de libert.* Latini aut per epistolam, aut inter amicos, aut conuiuii adhibitione manumittebantur. *vid. Caium* 1. §.3. Hosce manumittendi modos Theophil. *d.* §. καὶ τοὺς appellat φυσικοὺς, quibus apponit *d. loco*, ἔννομον τρόπον ἐλευθερίας. *Goth.h.*

Dedititiorum] *vid. C. de dedititia libertate.*

Qui pœna causa vincti] Huc pertinet *l. fideicommissaria* 2. *de fid. lib.* cuius sensus hic est. Fideicommissaria libertas non debetur ei, quem postea dominus ob delictum vinxit, quia Dedititiorum numero habetur. Secus est, si heres vinxerit, arg. *l. cætera in f. de leg.* 1. & hoc Paulus tradit *lib.* 4. *sententiarum* 2. *tit.* ex quo detorta videtur *l. fideicommiss.* Nam & sententiæ speciem habet. *Cuiac.h.*

Pœnæ causa] Nam fugitiuos solebant plerunque pœnæ causa notis compungere.

A do-

A domino] *l.43.ff. de fideicommiss. libert.* vel alio eius iussu aut ratihabitione. *Paul. 4. sentent.* 12. §. 8. Aliud si ab hærede. *Paulus. 4. sentent.* 12. §. 4. Quid si à communi domino? vid. *Paul. ibid.* §. 5. Quid si à creditore? sunt quoque. *Paul. ibid.* §. 6. Quid si domini furiosi aut pupilli iussu? Non fient Dedititij. *Paul. ibid.* §. 7. *Gothofr. h.*

Quibus vestigia] Legendum videtur, Quibusve stigmata, nisi vestigia sunt noxæ. Seneca *lib.1. de benefic.* Sic non est beneficium, quod sub oculos venit, sed beneficii vestigium & nota. Ergo serui compuncti notis, manumissione Dedititij efficiuntur. *Cuiac. h.*

Vestigia] στίγματα καὶ τὰ μετώπου. *Theoph.* §. τῶν δὲ ἀπελευθέρων. *Inst. de libert. vid. Caium* 1. §. 3.

Nocentesque inuenti] id est, confessi. Nam qui torti, nec confessi sunt, ciues Romani fieri possunt, vt Paul. *in eod. lib.* scribit.

Nocentes] Aliud si innocentes. Paul. 4. *sentent.* 12. §. 3.

Vt ferro] Ad ludum gladiatorium. Ad ferrum in *l. eius qui* §. *vlt. de testam.* ad gladium *in l. si quis mihi bona.* §. *si quis plane. de acquir. hæred. l. si quis à filio* §. *sed & si. de iniusto testamento.*

Vel in cuius custodiam] In publicum carcerem. Igitur publicus carcer dedititium facit, non priuatus: nisi corpori vincula adhibita sint. *l. verum. de verb. sign. Cuiac. h.*

Custo-

Custodiam] publicam scilicet, alias priuatus carcer non impediret, nisi vincula fuissent iniecta *l. 216. ff. de verb. sign.*

Coniecti] non idem fuit, si dominus seruum ab honore ministrandi vel administrandi remouisset. *l. 81. in fin. ff. de manum. testam.*

Ælia] §. 3. *Inst. de libert.*

Eadem lege] Sentia. §. 11. *in fin. sup. eod.*

Seruus] Ita etiam manumittitur, cum ad statutam ætatem peruenerit *l. vlt. ff. de reb. dubiis.* id est, cum seruus erit 30. annorum liber esto *l. 39. §. 2. ff. familiæ. Goth. h.*

Testamento vero manumissum] Et idcirco quos ad ciuitatem Romanam perduci volebant, iis testamento libertatem dabant, sic, LIBERI SVNTO CVM ANNORVM ERVNT XXX. *l. ex parte §. Sticho fam. ercisc. l. Aristo. de manum. testam. l. vlt. de reb. dubiis l. si quis ita §. vlt. de statu lib.* In eo qui censu liberatur, nulla ætatis habita est ratio. *Cuiac. h.*

Eadem lex eum] §. 4. *Instit. quib. ex causis manumitt.*

In consilium] hæc eadem & Theophilus scribit in *titul. qui & quib. ex causis manumit. non possunt.*

Consilium] Theophil. *Inst. quib. ex caus. manumitt.* Consilium definit συνέδριον seu consilium spectabilium virorum, statis diebus coëuntium. Consilium autem hic intellige Prætoris.

ris, Romæ, Præsidum & Proconsulis in prouinciis. Theophil. *d. loco.*

Adhibentur] à prætore scilicet.

Senatores] si ita est, turpe non fuit, senatorem Prætori adsidere.

In prouincia] à præsidibus scilicet & proconsulibus.

Recuperatores] Ita dicti, quod per eos quisque debitum, id est, ius suum, reciperet. Hi adsidebant Præsidi, aut Prætori sedenti pro tribunali in prouinciis Theoph. *d. loco.*

Ab eo domino qui] §. 1. *Inst. quibus ex causis manum.* Caius 1. *Inst.* 5.

Etsi minor] Ratio dubitandi sumitur *ex* §. 12. *sup. eod.*

Si tamen] §. 1. *Inst. quib. ex causis manumitt.* id autem species est ignominiæ *l. 26. ff. de fideicommiss. libert.*

Primo loco] Ordo scripturæ attenditur. *l. 24.* §. 17. *ff. de fideicommiss. libert.*

Eadem lex in fraudem] Caius idem *lib. 1. Inst.* Porro in cæteris rebus alienatis in fraudem, Rescissoria actione vtimur, Pauliana, & Fabiana: non etiam in libertatibus datis in fraudem: quæ ipso iure nullæ sunt, ex lege *Æl. Sentia. Cuiac. h.*

Qui tantum in bonis] Hunc Theophilus Bonitarium vocat, sequentem Quiritarium.

Ex iure] Quod ciuis à ciue comparat, nec manci-

mancipatum, aut cessione in iure accipit, aut nec dum vsucepit, id in bonis non habet: sed iure Quiritium tantum, *Goth. h.*

In bonis] Duplex Dominium, Naturale, quod in bonis, eius dominus Bonitarius. ẽ *eod.* Legitimum, seu iure Quiritum, cuius dominus iure Quiritario, vt hic. Qui vtrumque habet dominium, pleno iure dominus. *Gothofr. hic.*

Mancipatus] Mancipatio vt fieret, *vid. tit.* 19. §. 3. *Inst.*

Iure cessus] Cessio in iure vt fiat, *vid. tit.* 19. §. 9. 10. *inf.*

Ipso anno] Quemadmodum quis dominus fieret vsucapione *v. tit.* 19. §. 8. *inf.*

Mulier] nisi tutoris authoritate, quin sine tutoris authoritate si ius habeat liberorum, *vid. fragment. iur. veteris* euulgatum à Pitheo. de fœminar. tutela *vid. Gothofr. ad ll.* 12. *Tabularum lib.* 2.

Communem seruum] §. *vlt. de donat.*

Adcrescit] Hodie non adcrescit: & ita hic locus, vt & alius Paul. 4. *sent.* 12. §. 1. abrogatur §. *penult. Inst. de donat. & leg.* 1. 2. *C. de communi seruo.*

Seruus in quo alterius est] Huius sententæ vestigia quædam sunt *in l. quoties in fin. de hæred. inst. l.* 2. *de man. vind. leg. si fructuarium. de man. testam.*

testam. Nam Iustiniani cõstitutio in contrarium scripta est. *Cuiac.h.*

Liber non fit] veteri iure proprietarius seruum manumittendo, dominum admittebat. Interim tamen dum vsusfructus durabat, status manumissi erat in pendenti. *l.9.in fin. ff. de hæred.instit.* nisi ipse fructuarius manumissioni consensisset, (tunc enim seruus fiebat liber. *l.2. ff.de manum.vind.*) aut si proprietarius proprietatem serui, ipsi vsufructuario reliquisset, vna cum libertate. *l.6.ff. de manum.testam.* Hodie manumissus à proprietario seruus, fit liber, vsufructuario necessitatem habente manumittere, accepta prius sui vsusfructus iusta æstimatione. *l.1.§.2.C.de communi seruo. Goth.h.*

Post mortem hæredis] quia nihil ab hærede hæredis relinqui potest. Paul.*3.sent.*§.2. & hæc prima ratio fuit dubitandi veteribus.

Aut ante] quia testamenta accipiunt vim ab institutione hæredis §.34.*Inst.de legat.* & hæc fuit secunda ratio dubitandi veteribus.

Dari non potest] hodie hoc abrogatum est §. 34.*Inst.de legat.* Cur ita? Inciuile est scripturæ ordinem sequi, testatoris autem voluntatem sperni. *d.*§.34.*Goth.h.*

Non valet] *hodie valet d.*§.34.*in fin.*

Legatarii partis] hic locus admodum deprauatus est: Crediderim legendum, *Præf. ærarii.* præfectorum enim ærarii est, bona quæ fisco

Hh defe-

deferuntur, spernere, vel agnoscere. *l. ergo.* §. *plane de fid. l. edicto de iur. fisc.* Ph. Geruasii liber habet, ea lege ærarium partis hæres fiat. *Cuiac. & Pac. hic.*

Mox quam vnus] *l. 23. l. 25. l. 58. ff. de manumiss. testam.*

Qui testamenti] *vid. d. l. 58. tit. 22.* §. 1. *infr. eod.*

Et mortis tempore] vel intra diem cretionis. *l. verum de manu. test. & inf. tit. 22.* Nam & qui intra diem cretionis hæreditatis fit, prope est, vt defuncti fuisse videatur mortis tempore. *Paci.*

Lex Furia Caninia] Quid fiet, si supra statutum numerum seruos in testamento manumittat? Et placet liberari eos, qui primo loco scripti sunt, vsque ad legitimum numerum, quod & in *l. Ælia* seruatur *l. qui soluendo* 2. *l. si non lex* §. 1. *de hæred. inst.* Quid fiet si in orbe, si permixte seruorum nomina scripta sint? Et placet impediri omnium libertatem. *l. qui soluendo* 1. *& l. prox. eod. tit.* Quid fiet, si in Codicillis quidem scripti sint? Et Paul. *lib. 4. sent.* nouissimum eis locum tribuit? quod puto verius dici. Rursus quæro, cum per l. Furiam, totam familiam inter viuos liberare liceat, non etiam in testamento, facilius enim quis in testamento totam familiam manumittit, quam inter viuos. Et eadem ratione senatus obligatæ mulieri succur-

rit,

rit, non donanti: Lex Iulia hypothecam prædij dotalis inhibet, non alienationem: Constitutio Theodosij Decurionibus, venditionem, non donationem aut permutationem, Nouella Iustiniani intercessiones pro marito, non pro extraneo. Quæro, an recte, quis moribundus prætermisso testamento totam familiam manumittat? Et recte Caius *lib.* 1. *Instit.* hoc tanquam in fraudem legis excogitatum respicit, cui simile est, quod ad *leg. Caniniam Paul. scribens tractat in l. si quis eum de cond. & dem.* Sed pugnat cum Paulo *l. si quis quos de legat.* 2. nisi dicamus, legati retentionem esse non petitionem, vt *in l. Lucius* §. *codicillis eod. tit.* Et hæc de lege Caninia ex iure antiquo adnotare libuit: quæ & si ea lex abrogata sit, nobis in aliis tamen partibus iuris magno vsui esse possunt. *Cuiac. & Paci. h.*

Lex Furia] Fusia. *vid. Paul.* 4. *sent.* §. 14. *ad l. Fus. Canin.*

Ex tribus] de numero seruorum testamento manumittendorum *vid. Caium* 2. *adde* §. 7. *Inst. quib. ex causis manumitt.*

Ne plures] Caius *d. loco. Paul. d. loc.* Vopiscus in Tacito. Seruos manumisit intra centum tamen, ne Caniniam transire videretur. Quid iuris, si supra statutum numerum, manumissi fuissent? receptum eos liberati, qui primo loco scripti fuissent. *l.* 83. *in fin. ff. de hared. institu-*

end. Caius *d.loc.* §. 2. Quid si in orbe, id est, permixte scripti? omnium impediebatur libertas *l.* 42. 43. *ff. d. tit.* nulli erant liberi. *Caius d. loc.* §. 2. Quid si codicillis quibusdam libertates datæ? ius codicilli testamentario cedebat. Paul. 4. *sentent.* 14. §. 2. *Gothofr. h. vid. paulo ante ex Cuiac.*

Eadem lex cauet] §. *libertas. de legat.*

Nominatim] nominatim videtur liber esse iussus, qui vel ex artificio, vel officio, vel quolibet alio modo euidenter denominatus est, *v. l.* 24. *ff. de manumiss. testam. Paul.* 4. *sent. vlt.* §. 1. §. 25. *in f. Inst. de legat.*

Tit. II. De statu liberis.

QVi sub conditione testamento liber esse iussus est, statu liber appellatur.

Statu liber quandiu pendet conditio seruus heredis est.

Statu liber seu alienetur ab herede, siue suscipiatur ab aliquo, libertatis conditionem secum trahit.

Sub hac conditione liber esse iussus, si decem millia heredi dederit, & si ab herede abalienatus sit, emptori dando pecuniam, ad libertatem perueniet: idque lex duodecim Tabularum iubet.

Si per hæredem factum sit, quo minus statu liber

liber conditioni pareat, perinde fit liber, atque si conditio expleta fuisset.

Extraneo pecuniam dare, iussus, & liber esse, si paratus sit dare, & is qui iussus est dare, aut nollet accipere, aut antequam acceperit moriatur, perinde fit liber, ac si pecuniam dedisset.

Libertas & directo potest dari hoc modo, *Liber esto, liber sit, Liberum esse iubeo*: & per fideicommissum, vt puta, *Rogo, fideicommitto heredis mei, vt Stichum seruum manumittat.*

Is qui directo liber esse iussus est, horcinus fit libertus. Is autem cui per fideicommissum data est libertas, non testatoris, sed manumissoris fit libertus.

Cuius fideicommitti potest ad rem aliquam præstandam, eiusdem etiam libertas fideicommitti potest.

Per fideicommissum libertas dari potest tam proprio seruo testatoris, quam heredis, aut legatarij, vel cuiuslibet extranei seruo.

Alieno seruo per fideicommissum data libertate, si dominus eum iusto pretio non vendat, extinguitur libertas. quoniam nec pretii computatio pro libertate fieri potest.

Libertas sicut dari, ita & adimi tam testamento, quam codicillis testamento confirmatis potest: vt tamen eodem modo adimatur, quo & data est.

Statu liberis] *vid. Goth. ad l. 1. ff. eod.*

Conditionem secum] statuliber vendi potest. *l. 20. ff. eod.* non tamen duris conditionibus in venditione onerandus est. *l. 35. ff. eod.* ne pacto hæredis, eius conditio fiat durior. *leg. 33. ff. eod.* Ideoque nec alienatio, nec vsucapio ei nocebit, quo minus existente conditione libertatem consequatur. *l. 13. Cod. de testam. manum.* Quid si legatus fuit? cum sua causa alienabitur. *l. 45. in f. ff. de fidei. lib. Goth. h.*

Emptori] aut similibus successoribus. *l 27. in fin. ff. eod*

Idque lex 12. tabularum iubet] in hac lege emtoris nomine continentur omnes, qui quoquo iure dominium in statulibero nacti sunt. Et hoc Pomponius scribit *in l. statuliberi à cæteris. de statu liber.* Hac item l. significatur, vendi statuliberos posse. Et hoc est, quod Modestinus in eod. tit. statuliberos, ait, vænundari posse ll. 12. tab. putauerunt: quasi hæc fuerit sententia 12. tabular. sic sup. *Vlpian. de l. Ælia Sentia.* Ideo sine consilio manumissum, seruum manere putat. & M. Tullius *lib. 4. de republ.* Iurgare lex putat inter se vicinos, non litigare.

Si per hæredem] *l. 3. §. 1. ff. eod.* aut hæredis tutorem & curatorem. *l. 3. §. 10. ff. eod.*

Extraneo] cuiuis denique *d. §. 10.*

Et directo] *l. 43. ff. de manum. testam.* Directo manu-

manumittitur, qui à nullo quam à testatore manumittitur. §. 2. *Instit. de singul. reb. per fideicommiss.*

Esse iubeo] Iubeo est verbum directum.

Et per fideicommissum] *l.16.ff.de fideicomm. libert.* Quibus verbis fideicommittatur *vid.* §. *vltim. Instit. de sing. reb. per fideicommiss.Paul.*4. *sent.* 1. §. 6.

Rogo] Rogo & fidei committo, verbum obliquum.

Horcinus fit libertus] Non male Horcinus. Nam & horcum quidam dixere παρὰ τὸ ὅρκος. Hic autem nullius est libertus *l. si necem. de bonis libert.* nisi Charontis, Plutonis, Orci, quamobrem & Charonianus à Theophilo dictus est, ea forma qua Orcini senatores (quorum meminit Sueto. Tranquillus) à Plutarcho in M. Antonio Charonitæ dicuntur.

Non testatoris sed] §. 2. *Inst. de sing. reb. per fideicomm.*

Ad rem aliquam] puta pecuniam.

Eiusdem etiam] Ex hoc loco, puto initium *l.24.ff.de fideicom.libert.*passiue legendum esse: quod & seqq. d. l.§.satis ostendunt. *Goth.h.*

Alieno seruo] si relinquatur res aliena, & si hæres non possit eam redimere, non tamen extinguitur legatum aut fideicommissum. Nam iustum rei pretium ex testamento debetur. Si relinquatur libertas seruo alieno, quem nul-

nulla hæres conditione redimere possit, extinguitur fideicommissum libertatis: propterea quod libertas inæstimabilis res est. Sed videamus an hoc sit perpetuum: quid enim si eius serui dominium hæres quandoque nanciscatur? Et hoc constitutiones introduxerunt, *l. deberi C. de fid. lib.*

Extinguitur] hoc abrogatum est. *l. 6. C. de fideicommiss. libert.*

Computatio] libertas æstimari non potest.

Ita & adimi] *l. 50. ff. de fideicommiss. libert. & ff. de ademptione libert.*

Eodem modo] vid. *l. 35. ff. de regul. iuris.*

Tit. III. De Latinis.

Latini ius Quiritium consequuntur his modis, beneficio principali, liberis, iteratione, militia, naue, ædificio, pistrino: præterea ex Senatusconsulto, veluti quæ sit ter enixa.

Beneficio principali Latinus ciuitatem Romanam accipit, si ab imperatore ius Quiritium impetrauerit.

Liberis ius Quiritium consequitur Latinus, qui minor triginta annorum manumissionis tempore fuit. Nam lege Iunia cautum est, vt si ciuem Romanam, vel Latinam vxorem duxerit testatione interposita, quod liberorum

quæ-

quærendorum causa vxorem duxerit, postea filio filiaue, nato nataue, & anniculo facto, possunt apud Prætorem vel Præsidem prouinciæ causam probare, & fieri ciuem Romanum tam ipse quam filius filiaue eius & vxor, scilicet si & ipsa Latina sit, nam si vxor ciuis Romana sit, partus quoque ciuis Romanus est, ex senatusconsulto, quod auctore Diuo Adriano factum est.

Iteratione fit ciuis Romanus, qui post Latinitatem, quam acceperat maior triginta annorum, iterum iuste manumissus est ab eo, cuius ex iure Quiritium seruus fuit. Sed huic concessum est, ex senatusconsulto, etiam liberis ius Quiritium consequi.

Militia ius Quiritium accipit Latinus, si inter vigiles Romæ sex annis militauerit, ex lege Visellia. Præterea ex senatusconsulto concessum est ei, vt si triennio inter vigiles militauerit, ius Quiritium consequatur.

Naue Latinus ciuitatem Romanam accipit, si non minorem quam decem mille modiorum nauem fabricauerit, & Romam sex annis frumentum portauerit, ex edicto Diui Claudij.

De Latinis] Latini fiebāt ex lege Iunia. *Nouel.* 78. Latinorum conditio hodie abrogata *l. vnic. C. de Latina libert. toll.*

Latini ius Quiritium] Igitur meliore condi-

 tione

tione ſunt Latini quam Dediticij. Nam Dediticij nullo prorſus modo ius Quiritium conſequuntur. Sed & Latini commercium habent, & teſtamenti factionem: Dediticij non item. Latini vera libertate potiuntur quamdiu viuunt. Dediticij vmbra & imaginibus libertatis. Ciues autem Romani meliore conditione ſunt, quam Latini. Connubium enim Latini, & patriam poteſtatem non habent: teſtamentum facere, tutoreſve dari non poſſunt; denique moriuntur quaſi ſerui.

Ius Quiritium] ius commercij & teſtamenti.

Beneficio] Hodie qui manumittuntur, fiunt ciues ipſa manumiſſione. *d. l. vnic.*

Qui minor] Hoc hodie ſublatum. *Nouel.* 78. vbi loquitur de ætatibus.

Quod liberorum] §. 4. *inf. inſ. eod.* vid. & ea de re Gothofr. ad *l.* 220. *in fin. ff. de verbor. ſignif.* Adde & illud Iſidori 9. *Etymo.* 8. Tres ob cauſas dicitur vxor. Prima eſt cauſa prolis. Græci quoque definiunt matrimonium, coniunctionem viri & mulieris ſecundum leges ἐπὶ γνησίων τέκνων σπορᾷ. Et Menander apud Clementem: παίδων σπόρῳ τῶν γνησίων δίδωμι σοί γε τὴν ἐμαυτοῦ θυγατέρα. Adde Valer. 7. *cap.* 7. Tacitum 7. *Annal.*

Nam ſi vxor ciuis Romana] Partum Latinum naſci, argumento erat lex Menſia, de qua in

titul.

titul. 5. propterea quod Latini non valde distant à peregrinis.

Romana] Ex matre, ciue Romana, patre Latino, qui nascitur, ciuis Romanus est, antea fiebat Latinus arg. §. 8. *inf. inf. tit.* 5.

Iteratione] Plinius 7. *epistola.*

Iterum] Latinus si iterato manumissus fuisset, fiebat ciuis Romanus §. 1. *sup. eod.* 1. Caius 1. §. 5. *in fin.*

Sed huic concessum] Qui minor 30. annorum Latinitatem accipit, liberis ius Quiritium consequitur, ex l. Iunia post hanc ætatem qui latinitatem accipit, non nisi patroni beneficio: sed ex S.C. etiam liberis ius Quiritium consequitur, *Cuiac. h.*

Etiam liberis] §. 3. *sup. eod.*

Militia] Vigilum septem cohortes D. Augustus in vrbe ita constituit, vt binas regiones vrbis vnaquæque cohors tueretur. Constat enim 14. fuisse regiones vrbis. *l. 3. de off. præf. vigil.* Inter eos qui Latinus sex annis militasset, ex l. Visellia ius Quiritium consequebatur: tandem senatui triennium visum est sufficere. Visellia malo quam Visillia: quæ D. Claudii temporibus lata est, rogante L. Vitellio Varrone. *l.* 1. *C. ad l. Visel. leg.* 1. *Cod. quand. ciu. act. cri. præiud.*

Inter vigiles] nocturni vigiles militare censen-

ſentur. vid. Gothofr. ad *leg.* 8. §. 4. §. 6. *ff. de excuſ. tut.*

Viſellia] lata anno 763. vid. Gothof. in *C. ad l. Viſel.*

Præterea] id eſt, poſtea.

Naue] Non eſt mirum priuilegia dari nauium ædificatoribus. Nauis enim exercitio ad ſummam reipub. pertinet. *l.* 1. §. 20. *ff. de exercitor.* adde & aliud priuilegium, nauis ædificatori datum ex *leg.* 5. *leg.* 6. *ff. qui potior. Nou.* 97 *cap.* 2.

Si non minorem] magna capacitas nauis fuit. Senatoribus olim non licuit lege lata à Q. Claudio tribuno plebis, nauem maritimam maiorem 300. amphorarum habere. Liuius *lib.* 21. qua de re vid. Gothofr. ad *l.* 3. *ff. de vacation. muner.*

Diui Claudij] Suetonius in Claudio *c.* 18. *in fin.* Naues mercaturæ cauſa fabricantibus magna commoda conſtituit. & *cap.* 19. fœminis (quæ naues mercaturæ cauſa fabricarent) ius tribuit quatuor liberorum.

Tit. IV. De his qui ſui iuris ſunt.

Vid. in Inſt. 8. in ff. 6. Cai. 3.

SVI iuris ſunt familiarum ſuarum principes, id eſt, paterfamiliæ, itemque materfamiliæ.

Qui matre quidem certa, patre autem incerto nati ſunt, ſpurij appellantur.

Princi-

Principes] quasi diceret. Non sunt in alterius familia, sui iuris sunt, *l. 4. ff. hoc tit.* puta morte parentum. Tunc enim singuli liberi, singulas familias inchoant, iure saltem, etiamsi sint pupilli. *l. 95. §. 2. ff. de verb. signif.* ac sine matrimonio & liberis. Tertullianus in *lib. de veland. virginib.* Materfamilias est, licet virgo: paterfamilias, licet iuuenis, nouarumque familiarum principes atque duces esse possunt. Festus, in voce familiæ. Quod patresfamilias, quam domini familiæ potius appellantur, ratione non caret. Gratius est enim nomen patris, quam domini. Tertull. in apologet. Seneca *6. epist.* Macrob. *1. Saturnal.* 11. Martial. *1. Epigram.*

Materfamiliæ] Ea familiæ suæ & caput, & finis est. *l. 195. in f. ff. de verb. signif.*

Spurij appellantur] spurij sunt, qui legitime quæsiti non sunt. Originem verbi Iustinianus explicat his verbis, vnde solent spurij appellari, vel à Græca voce, quasi σποράδην concepti, vel quasi sine patre filij, in *tit. de nupt.* sic in *leg. diuus. de captiu.* sic Caius *lib. 1. Inst.* sic Theoph. sic libri scripti: impressi non sic, quibus non assentior. *Cuiac. h.*

Spurij] ita dicuntur παρὰ τὴν σποράν, id est, sationem. *l. 23. ff. de statu.* quasi σποράδην, seu sparsim concepti. vel à literis Latinis S. P. quasi sine patre. Theoph. §. εἰ δὲ τις ἐναντίων. quam postremam

ſtremam originem probat Caius 4. §. 8. *in fini* & Martianus *l. 25. in fin. ff. de captiuis.* Vtramque originem aſſumit Tribonianus §. 12. *Inſtit. de nupt.* dum vult ſpurios dici ἀπάτορας, & παρὰ τὴν σποράν. Feſtus nothum appellat ſpurio patre natum. σπορίου υἱὸς à Plutarcho ioculari dicto appellatur, quaſi matris filius. Muliebrem enim naturam veteres ſpurium vocarunt. 9. Iſidorus §. σποράδην. Plutarch. *in problem. Gothib.*

Tit. V. De his qui in poteſtate ſunt.

IN poteſtate ſunt liberi, parentum ex iuſto matrimonio nati.

Iuſtum matrimonium eſt, ſi inter eos qui nuptias contrahunt connubium ſit, & tam maſculus pubes quam fœmina potens ſit, & vtrique conſentiant, ſi ſui iuris ſunt, aut etiam parentes eorum, ſi in poteſtate ſunt.

Connubium eſt vxoris iure ducendæ facultas.

Connubium habent ciues Romani cum ciuibus Romanis: cum Latinis autem & peregrinis ita, ſi conceſſum ſit.

Cum ſeruis nullum eſt connubium.

In parentes & liberos infinite cuiuſcunque gradus connubium non eſt. Inter cognatos autem ex tranſuerſo gradu, olim quidem vſque ad quartum gradum matrimonia contrahi

non

non poterant: nunc autem etiam ex tertio gradu licet vxorem ducere. Si tamen fratris filia, non etiam sororis filia, aut amita, vel matertera, quamuis eodem gradu sit: eademque vxore: nouerca, vel priuigna, vel nurus, vel socrus nostra fuit, ducere non possumus.

Si quis eam quam non licet, vxorem duxerit, incestum matrimonium contrahit: ideoque liberi in potestate eius non fiunt, sed quasi vulgo concepti, spurij sunt.

Connubio interueniente, liberi semper patrem sequuntur, non interueniente connubio, matris conditioni accedunt, excepto eo, qui ex peregrino & ciue Romana, peregrinus nascitur: quoniam lex Mensia ex alterutro peregrino natum deterioris parentis conditionem sequi iubet.

Ex ciue Romano & Latina Latinus nascitur: & ex libero & ancilla, seruus: quoniam cum his casibus connubia non sint, partus sequitur matrem.

In his qui iure contracto matrimonio nascuntur, conceptionis tempus spectatur. In his autem qui non legitime concipiuntur, editionis: veluti si ancilla conceperit, deinde manumissa pariat, liberum parit. Nam quamuis non legitime concepit, cum editionis tempore libera sit, partus quoque liber est.

Iustum]

Iustum] legitimum. Caius 4. §. 1. secundum præcepta legum. *Inst. de nupt.*

Inter eos] id est, inter ciues. Legitimæ enim nuptiæ sunt si Romanus Romanam ducat. *Caius* 4. §. 1.

Fœmina potens] id est, pubes. Masculus pubes esse debet, virgo viripotens. *Inst. de nupt. l.* 13. *ff. de verb. sign. l.* 101. *ff. de condit. & demonstr.* nubilis ætatis *l.* 10 *ff. de condit. & demonst.* maior annis 12. *leg.* 4. *ff. de ritu.* ἔφηβος παρθένος. 2. *Eclog.* 2. 13.

Consentiant] Tria requiruntur in iusto matrimonio. Primum vt qui contrahunt sint ciues Romani. *sup. eod. ibi*, connubium: vt sint puberes. *sup. eod. ibi*, potens: Tertio vt consentiant, si sint sui iuris: vel parentes eorum, si in potestate, vt hic *& l.* 2. *ff. de ritu. Instit. de nupt.* Quartum Caius addidit, nuptias. *d.* §. 1. quo vocabulo, vt opinor, ritum solennem intelligit. *vid. l.* 24. *C. de nupt.*

Connubium] Definitio connubij. Quidam scribunt Conubium per vnicum n.

Habent ciues] Isidorus 10. *Etym. vlt.* addit æquales eo sensu. Connubium esse, cum æquales nuptiis coëunt, vt puta ciues Romani, pari vtique dignitate. Idem receptum fuit aliquando ab Atheniensibus, apud quos lege Periclis pro notho habebatur qui natus non fuisset ex duo-

duobus Athenienſibus. Vid. Demoſthenem in oratione κϛ Νεαιρ.

Si conceſſum ſit] Boëtius in topicis, Non omnibus erat connubium cum Romanis, nec erant nuptiæ iure contractæ, quæ non aut inter ciuem Romanum ciuemque Romanam inibantur; aut cui princeps populuſve ciuitatem vel connubium permiſiſſet: eo ſcilicet modo in poteſtatem parentum liberi rediguntur. Hæc ille. Sic Hernicis permiſſum, Anagnignis ademtum connubium. *Liuius lib.* 9.

Cum ſeruis] cum ancillis. *l.* 3. *C. de inceſtis.* inter ſeruos & liberos Paul. 2. *ſent.* 19. §. 3. Quid ergo? contubernium fuit. *l.* 14. §. 3. *ff. de ritu.*

Nullum eſt connubium] & tamen inter ſeruos cognatio. *Inſt. de ſeruili cognat. l.* 10. §. 5. *ff. de grad.* Et quidem talis vt inter aſcendentes & deſcendentes impediantur nuptiæ. Seruilis enim cognatio impedimento nuptiis eſt. §. 10. *Inſt. de nupt. l.* 8. *l.* 14. *ff. de ritu.* Eſt igitur connubium inter ſeruos? Non eſt. Quoties connubium negamus eſſe inter ſeruos, hoc intellige; Natos ex eiuſmodi coniunctione ciues non eſſe; iureque ciuium non frui, nec eſſe in parentum ſuorum poteſtate, ſeruos eſſe. *l.* 3. *C. de inceſtis.* Et tamen quibus in negotiis ſummus pudor ſummaque honeſtas eſſe debet (vt in nuptiis *d.* §. 2.) non parcimus his nominibus: vt ita ſit cognatio etiam inter ſeruos. *d.* §. 5.

Ii *l.* 14

l. 14. §. 2 §. 3. *ff. de ritu.* Sic conniuentibus oculis seruos dicimus habere bona propria. *l.* 4. §. 1. *ff. de manumission.* & quasi testamenta facere, *Plin.* 8. *epist.* 16. eaque vt legitima custodi mandant, rogantque quod visum est, pareo ocyus, res suas diuidunt, donant, relinquunt, duntaxat intra domum. Nam seruis respublica quædam & quasi ciuitas, domus est. *Goth. h.*

Inter parentes] *l.* 17. *C. de nupt.*

Nunc autem etiam ex tertio] Hic locus sic meo iudicio restituendus est. Nunc autem etiam ex quarto gradu licet vxorem ducere. Sed tamen fratris aut sororis filiam, neptemve eorum, quamuis eodem gradu sit, amitam vel materteram, eamque vxorem, quæ nouerca vel priuigna, vel nurus, vel socrus nostra fuit, ducere non possumus. Olim igitur inter se patrueles, amitini, consobrini, matrimonio iungi non poterant: id quod & Caius scribit *lib.* 1. *Inst.* Hodie ex constitutionibus possunt. Perperam ex terttio gradu, nam iure ciuili ex tertio gradu vxorem ducere numquam licuit: neque vero nunc licet. Cætera quam Inepte descripta fuerint ex Caij & Iustiniani institutionibus, ex graduum ratione deprehendi potest. *sed vid. obseru.* 13. *c.* 16.

Si tamen] Fratris vel sororis neptem (& sic deinceps) duci non posse constat, etiamsi quarto gradu, §. 3. *Inst. de nupt.* Multo minus filiam fratris.

fratris, quæ est tertio gradu. *Caius* 4. §. 3. Quid amitini vel consobrini inter se? Iure veteri hæ personæ iungi inter se non potuerunt. *Caius* 4. §. 6. Possunt hodie nouis constitutionibus §. 4. *Inst. de nupt. l.* 19. *C. de nupt.*

Incestum] Incesti appellatio hic latissime extenditur, *vid. C. de incestis.*

Incestum matrimonium] Ergo non tantum inter parentes & liberos incestæ sunt nuptiæ, sed & inter eos qui ex transuerso, vel qui affinitate, coniuncti sunt: quod & Caius scribit *lib.* 1. *Inst. & Paulus in l. sororis. de ritu nupt.* Et præterquam quod iure gentium inter parentes & liberos, ceterum iure ciuili incestæ sunt nuptiæ.

Sed quasi vulgo] vt vulgo concepti spurij dicuntur. *titul.* 4. §. 2. *supr.* ita ex incestis nuptiis nati.

Semper patrem] id est, patris conditionem.

Quoniam lex Mensia] *l. lex naturæ. de statu homin.*

Ex alterutro peregrino] Natus patre & matre ciuibus Romanis, ciuis est, vt hic. peregrino & ciue Romana, vel ex ciue Romano & peregrina, peregrinus est, id est, non est ciuis, vt hic, nisi per errorem nuptiæ contractæ doceantur. *tit.* 17. §. 4. *inf. eod.* ex ciue & Latina, Latinus fiebat *l. Mensia* §. 9. *inf.* Adriani constitutione ciuis, *tit.* 3. §. 3. *in fin sup. eod.* ex libero & ancilla

seruus est. *d.* §. 9. natus vulgo, matrem sequitur, *l.* 1. *in fin. ff. ad municipalem*. vt & is qui illegitimo matrimonio, nisi lex specialis aliud inducat. *l.* 24. *ff. de statu.* Et hoc obseruandum quod interpretes notant, Bastardos patrum suorum nobilitate, eorumque priuilegiis frui, sed & nomine & insignibus gentis & familiæ. Guido Papæ *quæst.* 580. *Papon.* 3. *Notar.* 6. *t. de legitimation. de Bastards.* eosque adipiscendarum dignitatum quoque capaces. *l.* 3. §. 2. *ff. de Decurionibus.* Ex duobus ingenuis natus, patrem sequitur, quod ad honores *l.* 19. *ff. de statu.* Ideoque natus ex patre Campano, municeps erit Campanus. Quæ regula vera est, nisi priuilegio aliquo materna origine censeantur liberi. Tunc enim liberi maternæ originis municipes erunt; exempli gratia: Iliensibus concessum est, vt qui matre Iliensi esset, Iliensium municipium sortiretur *l.* 1. §. 2. *ff. ad municip.* Idem Delphensibus & Ponticis mulieribus tributum. *d.* §. 2. & Antiochenis *l.* 22. *Cod. de decurion.* In Campania Galliæ, natus ex nobili muliere & ignobili patre, fit nobilis, eo scilicet priuilegio. En Champaigne le ventre ennoblit. *vid. Goth. ad l.* 1. *in fin. ff. ad municip.* Ex duobus diuersorum dominorum adscriptitijs natus impar, matris: par vero, patris conditionem sequitur. *Nouel.* 156. Ex libera & seruo vel adscriptitio olim fiebat seruus & adscriptitius. *l.* 27. *ff. deposit.* quod
meri-

merito sublatum. *l. vnic. C. de S. C. Claudiano.* ex ingenua & murilegula conditionem paternam sequitur *l. 3. C. de murilegulis.* Adde & hoc, Natum in Gallia ex peregrino & Galla muliere, Gallici iuris censeri, patri succedere & ab intestato & testato, fisco nullum ius albinagij competere, hæreditatem paternam ad liberos eius in infinitum, & cognatos in ead. Gallia commorantes deferri, quod est contra ius ciuile, quo peregrini sine beneficio principali testari non poterant. *l. 11. ff. qui testam. l. 31. 32 ff. de iure fisci. vid. Papon. 3. Notar. 6. cap.* des lettres de Naturalite. Idem ius esse puto: si Galli apud peregrinas gentes morentur, ibique liberos suscipiant: fruentur enim eius liberi iure Gallico: si tamen apud fœderatos Galliæ populos eos susceperint. *l. 32. ff. de iure fisci l. 7. ff. de captiu.* ideoque nedum hæreditatis paternæ dominium retinebunt *d. l. 7.* sed & hæredes poterunt institui. *Goth. h.*

Conceptionis tempus] Mulier quæ libera vel concepit, vel vtero libera partum gestauit, vel libera peperit, liberum parit. Vel ita, cuius mater libera fuerit vel conceptionis, vel partus, vel intermedio tempore, liber nascitur. *l. 5. §. 2. ff. de statu. Paul. 2. sentent. 24. §. 1. 2. 3.* Censetur autem libera quæ manumitti debuit, nec est manumissa. *l. 1. §. 1. ff. de suis. Paul. ibid. §. 4.* Ad eundem modum conceptus ex concubinatu,

natus in matrimonio, fit legitimus. *Nouel. 7.* Tentari potest, eum esse ciuem Romanum, qui patre ciue conceptus est, licet patre postea peregrino nascatur: & nobilem, qui tempore conceptionis, patrem nobilem habuerit, quantumuis postea pater nobilitatem amiserit. *Goth. h.*

Veluti si ancilla conceperit] Quod si libera conceperit, deinde ancilla pepererit, partus quoque seruus est; si hanc iuris ciuilis regulam sequamur: quod & Caius scribit *lib. 1. Inst.* Sed fauore libertatis placuit eum liberum nasci, & ita Marc. scribit in *l. & seruorum, de statu hom. & Paul. lib. 11. sentent.*

Tit. VI. De Dotibus.

DOs aut datur, aut dicitur, aut promittitur.

Dotem dicere potest mulier, quæ nuptura est: & debitor mulieris, si iussu eius dicat institutus.

Parens mulieris virilis sexus per virilem sexum cognatione iunctus, velut pater, auus paternus. Dare promittere dotem omnes possunt.

Dos aut profectitia dicitur, id est, quam pater mulieri dedit: aut aduentitia, id est, ea quæ à quouis alio data est.

Mor-

Mortua in matrimonio muliere, dos à patre profecta, ad patrem reuertitur, quintis in singulos liberos in infinitum relictis penes virum. Quod si pater non sit, apud maritum remanet.

Aduentitia autem dos semper penes maritum remanet, præterquam si is qui dedit, vt sibi redderetur stipulatus fuit: quæ dos specialiter receptitia dicitur.

Diuortio facto, si quidem sui iuris sit, mulier ipsa habet actionem, id est, dotis repetitionem: quod si in potestate patris sit, pater adiuncta filię persona habet actionem reuera: nec interest aduentitia sit dos, an profectitia.

Post diuortium defuncta muliere, hæredi eius actio non aliter datur, quam si moram in dote mulieri reddenda maritus fecerit.

Dos si pondere, numero, mensura contineatur, annua, bima, trima die reddetur: nisi si, vt pręsens reddatur, cōuenerit. Reliquæ dotes statim redduntur.

Retentiones ex dote fiunt, aut propter liberos, aut propter mores, aut propter impensas, aut propter res donatas, aut propter res amotas.

Propter liberos retentio fit, si culpa mulieris aut patris, cuius in potestate est, diuortium factum sit. Tunc enim singulorum liberorum nomine sextæ retinentur ex dote: non plures

tamen quam tres sextæ in retentione sunt, non in petitione.

Dos quæ semel functa est, amplius fungi non potest, nisi aliud matrimonium sit. Morum nomine, grauiorum quidem sexta retinentur: leuiorum item octaua. Grauiores mores sunt, adulteria tantum: leuiores, omnes reliqui.

Mariti mores puniuntur, in ea quidem dote, quæ à die reddi debet. Ita propter maiores mores præsentem dotem reddit: propter minores senûm mensum die. In ea autem quæ præsens reddi solet, tantum ex fructibus iubetur reddere, quantum in illa dote quadriennio redditur: quod repræsentatio facit.

Impensarum species sunt tres: aut enim necessariæ dicuntur, aut vtiles, aut voluptuosæ.

Necessariæ sunt impensæ, quibus non factis dos deterior futura est: veluti si quis ruinosas ædes refecerit.

Vtiles sunt, quibus non factis quidem deterior dos non fuerit: factis autem fructuosior dos effecta est: veluti si vineta & oliueta fecerit.

Voluptuosæ sunt, quibus neque omissis deterior dos fieret: neque factis, fructuosior effecta est: quod euenit in viridariis, & pictoriis, similibusque rebus.

Dos

Dos aut datur] Dos dicitur solennibus verbis sine interrogatione. Dotis actio tam ex dictione nascitur, quam ex stipulatione : hodie etiam ex nuda pollicitatione & nudo pacto *l. 2. C. Theodos. de ince. nupt. l. vlt. C. Theodos. de dotib.* Sublata autem est dicendæ dotis solennitas: ideoque à *l. ad actionem C. de dotis promiss.* vt ex C. Theod. apparet, Tribonianus amouit hæc verba, Dictio vel. & quibus in locis prudentes scripserant, Doti dicere, subscripsit, Doti promittere, inusitata loquendi forma. *l. si rem §. vlt. de nouat. l. auus de iur. dot. l. si marito. §. 1. l. si socer. §. Lucius solut. matr.* Denique in *l. 1. C. de iur. dot.* cum Seuerus Imperator scripsisset, Dictio vel promissio, & paulo post ex dictione vel ex stipulatione, (nec dum enim ex pollicitatione dotis actio erat) pollicitationem Tribon. adscripsit, & condictionem ex pollicitatione: cum tamen ex pactis, vel pollicitationibus, præscriptis verbis, non condictio dari soleat.

Dotem dicere] Dotis dictio. *l. 3. C. Theodosiano, eod.* solenniter fiebat, *l. 2. C. Theodos. de incestis*, id est, solennibus verbis. Hodie qualiacunque verba sufficiunt, *l. 6. C. de dotis promiss.* Doti dicere veteres dicebant, cuius forte loco Tribonianus hanc formulam vsurpauit, Doti promittere. *vid. Goth. ad l. 79. ff. de iure dotium.*

Mulier] Tres personæ tantum poterant do-

ti dicere. 2. *Caius* 9. §. 4. mulier nuptura, vt hic: procurator specialis *inf. eod.* parens nupturæ *inf. eod.* Dotem vero promittere poterant omnes cuiuscunque sexus & conditionis. *leg.* 41. *ff. de iur. dot.*

Institutus] ad hanc rem constitutus.

Dare promittere] Idem Paul. *in l. promittendo de iur. dot.* Dicendo igitur tres duntaxat personæ obligantur, promittendo omnes.

Quam pater mulieris] Adde vel parens virilis sexus, per virilem sexum cognatione iunctus.

Dedit] per se vel per alium *l.* 5. §. 1. *ff. de iur. dot.* & breuiter, non ius potestatis, sed parentum nomen, dotem profectitiam facit. *d. leg.* 5. §. 1.

A quouis alio] *d. l.* 5. §. 9. etiam matre. *d.* §. 9.

Ad patrem reuertitur] Nobilis est quæstio, & à multis agitata, ad quem Dos profectitia, (de aduentitia §. 5. *inf.*) mortua muliere reuertatur. Paucis ita definio, dotem profectitiam morte mulieris ad eius patrem reuerti, vt hic: & *l.* 17. *ff. de S. C. Macedon. l.* 4. §. 13. *ff. de iur. dot.* siue filiafamilias fuit *l.* 4. *C. soluto.* siue materfam. vt Theodorus Græcus interpres adnotauit ad *d. l.* 4. Hic difficiles occurrunt quæstiones, quid si non morte, sed diuortio, matrimonium dissoluatur? si filiafamilias sit, ad patrem reuertitur: ad eam tamen recuperandam sine consensu filiæ agere non potest. *l.* 34. *ff. soluto l.* 14. *ff. ad l. Fal-*

l. Falcid. l. 34. §. 6. *ff. de solut. l.* 2. *l.* 7. *in fin. C. hoc tit.* Si emancipata, vno casu ad patrem reuertitur. *l.* 71. *ff. de euict.* puta si ideo filia diuertit, vt maritum lucro dotis afficeret, patrem defraudaret, *l.* 5. *ff. de diuort. l.* 59 *ff. soluto.* Quid si capta ab hostibus, perinde dicendum est, ac si nupta decessisset: ideoque dos ad patrem reuertitur. *l.* 10. *ff. soluto.* Quid si mortua liberos reliquit? Bulgarus dotem ad patrem filiæ reuerti existimat. Martianus contra: cuius opinio communi interpretum sententia defensa est. *Accurs. ad l.* 4. *C. soluto.* Num ex iure Romano? iure veteri non puto, hic enim dos profectitia ad patrem filiæ reuertitur, quintis in singulos liberos relictis penes virum: si pater non sit, apud maritum remanet, adde *l.* 6. *ff. de iur. dot.* 29. *Ecl.* 1. *c.* 3. scio tamen subtiliter quædam dici in contrariam sententiam posse, quale est illud, dotis repetitionem patri competere, mortua in matrimonio puella. *leg.* 17. *ff. de S.C. Macedon.* ergo à contrario, si non puella, id est, non virgo mortua, sed mater relictis liberis, dos ad eius patrem non reuertetur. Ad hæc, innui potest ex *l. vlt.* §. 1. *ff. vt legator.* vel vnius filij superstitis nomine dotem apud maritum remanere, non ad patrem reuerti. Colligunt etiam nonnulli ex *l.* 26. §. 2. *ff. de pact. dotal.* dotem pertinuisse prius ad liberos defunctis: ab his ad maritum, nisi maritus suo iuri in fauorem

uorem patris defunctæ expresse renunciasset.

Sed præstat Martini opinionem defendere liberorum fauore: eoque magis quod vsu sit recepta *Accurs. ad l.4.C.soluto.Bald.ad l.post dotem* 40.*ff.soluto.* Ferratiens. in forma libelli qua vxor agit ad dotem.33.*in verb.* dictæ dominæ. *nu.*1.*adde Anto.Fabrum* 1.*coniect.*16.

Quintis in singulos] Nota de quintæ retentione. Sextæ retentionis fit mentio in §.10.*inf.* vtraque abrogata *l. vnic.* §.5.*vers. licet ob liberos retentio.C.de rei vxoriæ act.*

Quod si pater non sit] *l.cum patrem C. de rei vxo. act.*

Aduentitia] Aduentitia dos ea est, quæ ab alio quam parente constituitur.*l.*1.§.13.*vers.extraneum. C.de rei vxor. act.*

Semper] siue sint liberi, siue non.

Receptitia] *l.mortis causa* §.*sed & si dos. de donation.causa mortis.* seruus autem receptitius, de quo Aul.Gellius & Non. Marcellus scribūt, neque dotalis est, neque ex paraphernis: quia ad virum non defertur. Sunt hæc omnia diuersa, bona receptitia, dotes, παράφερνα, ἀντίφερνα, θεώρετρα. & ὑπόβολα. παράφερνα sunt, quæ extra dotem (peculij nomine) ad virum deferuntur. Ἀντίφερνα sunt donationes propter nuptias. *l. vlt. C. de donat. ant. nupt*, quib. proxima sunt θεώρετρα & ὑπόβολα, de quibus Constantinus Harmenopulus scribit. Vnde & Hypobolica

lica

lica instrumenta apud *Sid.Apol.l.7.epist.* quanquam sunt qui legant Hyperbolica, alij quidam Paraphernica, omnino male.

Reuera] Legendum, rei vxoriæ.

Nec interest] Obstare videtur *l.2.§.quod si in partis sol.matr.* Goueanus in *li.var.lect.* Tribon. in *eo* §.facinus adnotauit: Ant.Goueanus, cui ex omnibus quotquot sunt aut fuere, Iustinianei iuris interpretibus, si quæramus quis vnus excellat, palma deferenda est. Proinde dos aduentitia communis est ex iure antiquo, mulieris propria ex iure nouo. Actio dotis aduentitiæ communis est etiam iure nouo. *l. vlt. C. de bon.qua lib.* neque vero propriam esse actionem recte colligitur ex *l. Caius.solut.mat.* quia non dicit, soli filiæ actionem dari: verum ideo filiæ dicit, non patri, quia filiæ cautum fuit, non patri, cæterum per filiam patri quæritur actio.

Post diuortium] inde si post diuortium maritus in reddenda dote moram fecerit, & hæredi vxoris competit actio: si moram non fecerit, secus est. Quamobrem & mortua in matrimonio vxore, hæredi non competit actio. *l. vsufruct.sol.mat.l.cum in fundo.§.si autem vsumfruct.de iur.dot.*

Annua, bima] Hodie annua die ex constitutione Iustiniani: cui à Triboniano aptata est *l. 1.de dot.præleg.* in qua legitur, annua die pecuniam dotalem reddi.

Red-

Reddetur] Hic paragraphus abrogatur. Nam hodie res mobiles, se mouentes, incorporales dotales, intra annum redduntur: res soli, illico. *l. vn.* §. 7. *vers. exactæ autem dotis. Cod. de rei vxor. act.*

Ex dote fiunt] Hic paragraphus abrogatus est *l. vn. C. de rei vxor. act.* §. 5.

Aut propter liberos] *d.* §. 5. *vers. sileat ob liberos retentio.*

Aut propter mores] *d.* §. 5. quid enim opus est inducere ob mores retentionem.

Aut propter impensas] *d.* §. 5. *vers. sed nec ob impensas.*

Propter res donatas] *d.* §. 5. *vers. vel ex qua causa ob rem donatam. Adde l. 1.* §. 3. *ff. de dote relegata.*

Propter res amotas] *d.* §. 5. *vers. sed nec retentio ob res amotas.*

Retentio fit] Hodie non fit. *d.* §. 5. *vers. sileat ob liberos retentio.*

Nomine sextæ] *nota de sextæ retentione. vid.* §. 4. *sup. eod.* Vtræque retentiones abrogatæ sunt *d. vers. sileat ob liberos.*

Non plures tamen quam tres] id est media pars, vt Paul. ait *lib.* 11. *Inst. tit. de dot.* cuius verba Boëtius Seuerinus refert. Nam sex sextæ, integrum conficiunt.

Non in petitione] Quę ex aliis causis retinentur, & in petitione sunt. Sustulit vero Iustin. quin-

quintas & sextas, & alia omnia retentionum genera. Sunt tamen compensationum ex eis causis leges quam plurimæ. *l. fructus. §. ob donationes. l. rei. §. 1. l. si constante. §. si uxor. l. penult. §. 1. sol. matr. l. vtilium. de impens. in res dotal. l. neq; C. de impens. l. 1. C. rerum amot.* Sed & de moribus actionem sustulit. *l. vlt. C. de repud. de qua in l. 5. ff. de pact. dot. l. vlt. C. Theodos. de inc. nuptiis. l. 1. C. Theod. vic. civ. cri. ag. non poss* quæ & accusatio dicitur *in l. viro. l. cum mulier. ff. sol. matrim.* quemadmodum actio suspecti, actio ingrati, actio inofficiosi, suis locis. *Cuiac. h.*

Dos quæ semel] Nisi redintegratum sit matrimonium, dos quæ semel dos esse desiit, dos effici amplius non potest. Redintegrato matrimonio, tacite redintegratur dos, nisi sit receptitia. *l. si mulier diuerterit. l. in insulam. §. vlt. sol. matr. Cuia. h.*

Nisi aliud matrimonium sit] id est, nisi matrimonium redintegratum sit. Redintegrato matrimonio, dos tacite redintegratur. *l. 64. ff. de iur. dot. l. 19. ff. soluto.* Tacite, inquam: quia semper hoc agi intelligitur, nisi aliud conuenerit. *l. 30. ff. d. iur. dot.* id est, nisi dos sit receptitia *l. 42. in fin. ff. soluto.* Porro, non dicitur redintegrari matrimonium, si post leue iurgium vxor rediit. Est enim aliud leue fribusculum, aliud diuortium. *l. 31. ff. de iur. dot. l. 31. §. 11. 12. ff. de donat. inter vir.* si diuortium non fuit, redintegrari

non

non potuit. Vix est enim vt id redintegratum dicamus, quod dissolutum non fuit.

Item octaua] Legendum, *octaua, sexta, &c. Cuiac.*

Grauiores mores] *Adde l.39. l.47. ff. soluto.*

Adulteria] An pars aliqua bonorum adulteræ, eius marito hodie cedat. *vid. ad Nouell.117. cap.13. & ad Nou.134. cap.10. Dn. Gothofr.*

Quæ à die reddi debet. Ita propter] Legendum, quæ annua, bima, trima die reddi debet, propter. *Cuiac.*

Maiores mores] id est, propter adulterium §.12. *supra eod.*

Præsentem] id est, illico.

Propter minores] quam adulterij scilicet.

Quod repræsentatio] cuius magnum est commodum *l.1. §.2. ff. de dote prælegata.*

Species sunt tres] *l.1. ff. de impensis.*

Quibus non factis dos] aut res quælibet *l.79. ff. de verb. signif.*

Deterior] id est quibus non factis dos minueretur *l.14. de impensis.*

Ruinosas] ædificium ruens vid. *d. l.1. §.3. l.4. ff. de impensis.*

Fructuosior] melior *d. l.79. §.1. l.5. in fin. ff. de impensis.*

Voluptuosa] ita appellantur in *l.14. in fin. ff. de impensis. voluptaria l.7. §.9.10.11. ff. de impensis* ἐπιτερπεῖς *2. eclog. c.79.*

Picto-

Pictoris] Lego picturis : & paulo ante, deterior dos fuerit.

Viridariis] In Pandect. *Flor.* virdaria in *l. si cuius §. fructuarius de vsufr. l. in instrumento de instr. vel instr. leg.* & viridia; *in l. quotiens §. seruitutum de seruit. l. ædificia de ser. vrb. l. impensa de verb. signific.* Vnde & virdaria alij deduxere, alij viridaria. Sed nihil hæc ad Vlpianum.

Viridariis] *vid. Gothofr. ad l. 79. in fin. ff. de verb. signif.*

Similibusque] *vid. d. l. 79. in fine.*

Tit. VII. De iure donationum inter virum & vxorem.

INter virum & vxorem donatio non valet, nisi certis ex causis : mortis causa ; diuortii causa, serui manumittendi gratia. Hoc amplius principalibus constitutionibus concessum est mulieri, in hoc donare viro suo, vt is ab Imperatore, latoclauo, vel equo publico, similive honore honoretur.

Si maritus diuortii causa res mouerit, rerum quoque amotarum actione tenebitur.

Si maritus pro muliere se obligauerit: vel in rem eius impenderit, diuortio facto, eo nomine cauere sibi solet stipulatione tribunitia.

In potestate parentum sunt etiam ii liberi quorum causa probata est, per errorem con-

tracto matrimonio inter dispares condignis personas. Nam seu ciuis Romanus Latinam, aut peregrinam, vel eam, quæ Deditítiorum numero est quasi per ignorantiam vxorem duxerit: siue ciuis Romana per errorem peregrino vel ei qui Deditítiorum numero est, aut etiam si Latino ex lege Ælia Sentia nupta fuerit, causa probata, ciuitas redditur tam liberis quam parentibus, præter eos qui Deditítiorum numero sunt, & ex eo fiunt in potestate parentum liberi.

Non valet] ne mutuo amore spolientur. *vid. l.1.in fin.l.2.l.3.in princ.&* §.10.*ff. eod.*

Mortis causa] id est, cum mors insequetur. *l.*9.§.2.*l.* 11. §. 1. *ff. eod.* Mortis causa donatio fit impendente metu mortis. Mors impendet quidem omnibus, eaque semper certa est, etiamsi incertum diem habeat. *l.*68.*in fin.ff.de leg.* 1.*l.*1.§. 2.*ff.de cond. & demonstr.* Metum tamen hic, instantem intellige *l.* 6. *ff. de mort. causa.* Instat autem non tantum infirmo, sed peregrinaturo, nauigaturo, militi. Paul. 2.*sentent.* 24. §. 1. iter facturo per insidiosa loca, seni. *l.*3. 4.5.*ff.de mort.causa.* Id genus donationis mortæ donatoris conualescit. Paul. *d. loco* §. *vltim.* Morte donatarij res redit ad eum qui donauit. Paul. *d. loco* §.5. Est autem hoc genus donationis permissum, quia in id tempus excurrit, quo qui donat & cui donatum est, vir & vxor esse desi-

desinunt. *leg.* 10. *ff. eod. leg.* 22. *Cod. de donat. int. vir. &c.*

Manumittendi gratia] Cur ita? Fauore libertatis id receptum est, vel potius quod nemo huiusmodi re donata fiat locupletior. Paul. *d. loco* §.2.*add.l.*7.§.8.§.*vlt.l.*8.*l.*9.*ff. eod.*

Principalibus] Antonini Imperat. *l. nuper de donat. int. vir. & vx.*

Vel equo] id est, vt equestris conditionis fieret. *l.*42.*ff. eod.*

Similiue] Idem dicendum est de rebus donatis sepulturæ causa. *l.* 5. §. 8. 9. 10. 11. *ff. eod. ad oblationem Dei d.l.*5.§.12. *ad processus d.l.*42.

Si maritus diuortij] Non tantum in vxorem, sed & in virum rerum amotarum actio est. *leg. contra l. item. rer. amot.*

Se obligauerit] vid. *leg.* 2. *ff. de negotiis leg.* 28. *ff. soluto.*

Eo nomine cauere] *l.*25. *in fin. l.*55. *ff. soluto.*

Stipulatione tribunitia] vt in *l. cum mulier de dote sol. matr.* Hæc stipulatio honoraria est, quia ex iurisdictione tribunorum venit: vt prætoria, & ædilitia, ex iurisdictione prætoris, & ex iurisdictione ædilium. In Institutionibus de ædilitijs vulgo male scriptum est, quia ex iurisdictione prætoris veniunt. Superest enim vox, prætoris, auctore Theoph. *& Pompon. in l.*5. *de verb. oblig.*

Dispares condignis] Lego, disparis conditionis. *Cuiac.*

Aut peregrinam] vid. *Gothofr. ad tit.* 5. §. 8. *sup. eod.*

Per ignorantiam] Ignorantia errorem in nuptiis commissum excusat. facit *l.* 57. §. 1. *ff. de ritu l.* 22. *in f. ff. soluto. Nou.* 12. *c.* 1. *fin.*

Ex lege Ælia Sentia] vt in tit. de Latinis ex *l. Iunia*, id est, vti *l. Iunia comprehensum est.* Est autem ab hac sententia non absimilie id, quod Impp. rescripserunt *in l. qui in prouincia* §. *Diuus de rit. nupt.*

Lege Ælia] Adde *tit.* 3. §. 3. *sup. eod.*

Tit. VIII. De Adoptionibus.

Vid. l. 1. *ff. eod.* 8. *C.* 48. *Inst. eod. in pr. Cai.* 5.

NOn tantum naturales liberi in potestate parentum sunt, sed etiam adoptiui.

Adoptio fit, aut per populum, aut per Prætorem, vel Præsidem prouinciæ. Illa adoptio quæ per populum fit, specialiter arrogatio dicitur.

Per populum qui sui iuris sunt arrogantur: Per Prætorem autem, filiifamiliæ à parentibus dantur in adoptionem.

Arrogatio Romæ tantum fit: adoptio autem, etiam in prouincia apud Præsidem.

Per Prætorem vel Præsidem prouinciæ adoptari

optari tam masculi quam fœminæ, & tam puberes quam impuberes possunt: per populum vero Romanum, fœminæ quidem non arrogant. Pupilli antea quidem non poterant arrogari: nunc autem possunt ex constitutione Diui Antonini.

Hi qui generare non possunt, velut spado, vtroque modo possunt adoptare. Idem iuris est in persona cœlibe.

Item is qui filium non habet, in locum nepotis adoptare potest.

Si paterfamiliæ arrogandum se dederit, liberi quoque eius quasi nepotes, in potestate fiunt arrogatoris. Fœminæ vero neutro modo possunt adoptare. quoniam nec naturales liberos in potestate habent.

Aut per populum] *l.* 2. *C. de adopt. Hodie per imperatorem. Paci.*

Per populum qui sui] §. 2. *sup. eod.* §. 5. *infr. eod. leg.* 2 *fin. Cod. eod. leg.* 1. *in fin. ff. eod. d.* §. 1. *Inst. inf. eod.*

Sui iuris sunt] Hodie ex indulgentia principis. *d. l.* 1.

Per prætorem] §. 2. *supra eod.* id est magistratus imperio. *l.* 2. *ff. eod.* §. 1. *Inst. eod.*

Filiifamilia] id est, qui sui iuris non sunt, sed in potestate patris positi *d. l.* 2. *vers. imperio.* Et breuiter, qui patrem habebat, adoptabatur, qui non habebat, adrogabatur. *Caius* 5. §. 2.

Adrogatio tantum Romæ fit] Quoniam curiatis comitiis fit. 5. *Gell.* 19.

Romæ tantum fit] Quia fiebat apud populum, Nullibi autem populus Romanus extra Romam quærendus erat.

Etiam in prouincia] Quia in prouinciis erant præsides.

Fœminæ quidem non adrogant] Legendum, adrogantur. Causa illa est, quia nulla cum fœminis comitiorum communio est. Cæterum per principem fœminæ adrogantur. *l. nam fœminæ ff. de adopt.*

Non poterant arrogari] Quia tutoribus in pupillos tantam esse authoritatem fas non erat, vt caput liberorum fidei suæ commissum, alienæ ditioni subijcerent. 20 *Gell.* 19.

Spado] *l.* 2. §. 1. *l.* 40. *in fin. ff. eod.* §. 9. *Inst. eod.* 1. *Caius* 5. §. 4.

In cœlibe] *l.* 30 *ff. eod.* Cœlebs est qui vxorem non habet.

Neutro modo possunt] possunt tamen iussu principis adoptare. *l.* 29. §. 3. *ff. de inofficioso.*

Tit. IX. De his qui in manu sunt.

FArre conuenitur in manum, certis verbis, & testibus X. præsentibus, & solenni sacrificio facto, in quo panis quoque farreus adhibetur.

In

In manu est vxor, quæ conuenit in manum. In manum aut confarratione conuenitur, aut coëmptione, sed omissa est conferreandi adsuetudo; vt Cornel. Tacitus *lib.* 4. Annalium scribit. Omissa tandem quoque coemptio. Denique omissa est omnis conuentio in manum. Quamobrem Tribonianus *in l. vxorem de ritu nupt. l. ex parte* §. 1. *de verb. oblig.* scripsit, in matrimonium conuenire, cum tamen Pap. scripsisset, in manum conuenire, & in *l. si concubina rerum amot.* conuenit, pro in manu conuenit. *Cuiac h.*

Farre] Tribus modis apud veteres fiebant nuptiæ. Vsu, si mulier anno cum viro fuisset: Farre & coëmtione, seu in manum conuentione. Adde Seruium 1. *Georg. Goth. h.*

Conuenitur] Conuenire in manum, pro quo Tribonianus dixit, conuenire. *l.* 17. *ff. rer amot.* conuenire in matrimonium *l.* 13. *ff. de ritu. l.* 121. §. 1. *ff. de verb. oblig.* quo genere loquendi vsus est etiam Gellius 18. *cap.* 6. conuentio in manum etiam fiebat coëmtione. Cicero pro L. Flacco. In manum conuenerant: nunc audio, sed quæro vtrum vsu an coëmptione? Farre (vnde confarreatio, vel vt Plinius 18. *cap.* 3. loquitur, confarratio: cui contraria diffarreatio, Fest. in voce Diffarreatio) quo tantum genere Flamen Dialis Flaminiæ iungebatur. Seru. 4. Æneid. ex eo matrimonio quæ nascebantur.

patrimi & matrimi dicebantur. Fest. in voce Flaminia, Seru. 1. Georg. Gell. 12. Ex patrimis tres simul nominabantur, vt ex iis vnus Flamen Dialis legeretur. Tacit. 4. Annal. sed quia confarreandi adsuetudo omissa, aut inter paucos retenta propter incuriam virorum & fœminarum, & ipsius ceremoniæ difficultatem: tum quod qui ita conueniebant, de patria exibant potestate; placuit Tiberij tempore, vt Flaminica Dialis in potestate esset viri, ceteri promiscue genere Fœminarum agerent. Et hoc quidem genere nuptiarum postea non soli Flamines vsi videntur, sed & alij: quod hic innuitur, ibi, in quo panis quoque farreus. Coëmptione vero fiebat matrimonium, Seru. 1. Georg. libra & ære adhibitis. *Seru.* 4. *Æneid.* Eaque solennitate præeunte vxor quasi emebatur: eiusque coëmptionis is erat effectus, vt quæ ita in manum viri conuenisset, ea viro sua hæres esset. Caius 3. *Instit.* apud Ruffinum authorem collationis legum Mosaicarum *tit.* 16. *add. Gell.* 18. *c.* 6. *in fin. adde notas Goth. ad tit. C. de sponsalibus*: & Petrum Pitheum 16. *Notar. Mosaic. Goth. hic.*

Solenni sacrificio] Videtur innui ritus aquæ & ignis, de quo *Seru.* 4. *Æneid.* Dotalesque tuæ Tyrios committere dextræ. Quid aliud dextræ committere, quam in manum conuenire? Quæ conuentio eo ritu perficitur, vt aqua

aqua & igni adhibitis, natura coniuncta habeat. *Goth. ibid.*

Panis quoque farreus] Panis farreus, qui & farreum Festo & Plinio 18. *cap.* 3. genus libi ex farre compositum.

Tit. X. Qui in potestate mancipiove sunt, quemadmodum eo iure liberentur.

Liberi parentum potestate liberantur, emancipatione, id est, si postea quam mancipati fuerint, manumissi sint. Sed filius quidem ter mancipatus, ter manumissus, sui iuris fit. Id enim lex duodecim Tabularum iubet his verbis, Si pater filium ter venundarit, filius à patre liber esto. Cæteri autem liberi præter filium tam masculi quam fœminæ, vna mancipatione manumissioneque sui iuris fiunt.

Morte patris filius & filia sui iuris fiunt: morte autem aui nepotes ita demum sui iuris fiunt, si post mortem aui in potestate patris futuri non sunt: veluti si moriente auo pater eorum aut iam decessit, aut de potestate dimissus est. Nam si mortis aui tempore, pater eorum in potestate eius sit, mortuo auo, in patris sui potestate fiunt.

Si patri, vel filio, aqua & igni interdictum sit, patria potestas tollitur: quia peregrinus fit

is, cui aqua & igni interdictum est. Neque autem peregrinus ciuem Romanum, neque ciuis Romanus peregrinum in potestate habere potest.

Si pater ab hostibus captus sit, quanuis seruus hostium fiat: tamen cum reuersus fuerit, omnia pristina iura recipit, iure postliminii. Sed quandiu apud hostes est, patria potestas in filio eius interim pendebit: & cum reuersus fuerit ab hostibus, in potestate filium habebit. Si vero ibi decesserit, sui iuris filius erit. Filius quoque si captus fuerit ab hostibus, similiter propter ius posthliminii, patria potestas interim pendebit.

In potestate parentum esse desinunt & hi, qui Flamines Diales inaugurantur, & quæ virgines Vestæ capiuntur.

De hac materia vide Caium 1. *t.6.Nouel.*81. 31.*Inst.*12.8.*C.*49.2.*Paul.sent.*25.

Liberantur emancipatione] §. *6.Instit. quib. mod. ius patriæ l.* 5. *C. de dolo & C. de emancipationib. liber.*

Ter mancipatus] id est, venditus *Caius* 10.§.1.

Lex duodecim tabularum] Idem fuit constitutum à Romulo. Dionys. Halicarnass. 2.

Ter venundarit] olim liberos etiam interficere parentibus permissum erat. *vid. l.* 11. *in fin. ff. de liber. & posthum.*

Præter filium] vt nepotes, pronepotes. Sensus

sus est, filios factos sui iuris trina emancipatione fuisse: filias, nepotes, pronepotes, & deinceps, vnica. *l.8.inf.ff.de iniusto* Caius 6.§.2. *vers. fœmina vel nepotes. vid.Goth. hoc.tit.*

Vna mancipatione] *d.l.8.in fin.*

Morte] *Inst.quib.mod.ius patr.potest.in princ. l.15.C. quando dies legat.* quæ morte soluantur, *vid.Goth.ad Nouel.22.c.20.*

Nepotes ita] *Inst.eod. in princ.l.5.ff.de his qui sunt sui.*

Aqua] His duobus elementis veteres vtebantur tanquam sacramento ad nuptias conciliandas. Lactantius 2. *Inst.* 10. ita, quem volebant perditum, priuabant vtroque elemento. *Goth.ad l.6.ff.de donat.inter vir.*

Et igni] in huius pœnæ locum successit deportatio, eadem veteribus dicta exilium. *Caius 6.* §. 1. in cuius etiam vicem successit id genus exilij, quod hodie appellant Bannissement.

Peregrinus] *Caius 6.* §. 1. Peregrini etiam non capiebant ex testamento. *l.* 1. *C. de hæred. instit.* Ex peregrino & ciue Romana natus, fiebat peregrinus. *t.5.§.8.sup.eod.*

A filio interim pendebit] §. 5. *Institut. quib. mod. ius.*

Esse desinunt] *d.§.5.l.1.§.1.ff. de S.C. Macedon. leg.15. in fin.ff. de suis.* sine emancipatione. *l.2.§.1.ff. quod cum.l.1.§.4 ff quando de peculio.*

lio. sine capitis deminutione. *l. 3. in fin. ff. de S.C. Macedon. Goth. hic.*

Qui flamines] qui flaminium Diale adipiscebatur, iure patrio exibat. *Tacit.* 4. *Annal. anno* 776.

Diales] id est, Iouis.

Flamines Diales] Qui morte parentis sui iuris fit, capite non minuitur. *l. 3. §. vlt. ad Macedon.* Adiungo etiam eum qui Flaminio Diali, aut Vestali sacerdotio sui iuris fit. *l. 2. quod cum eo. leg.* 1. §. *sed etsi alio. quando de pecul.* auctore Gellio *lib. 1. c. 13.* Et hoc nimirum est quod ait Vlpianus *in d. l. 3.* vel alias sui iuris, &c. Idem & in eo Iustinianus constituit, qui dignitate sui iuris fit *Nouel.* 18. At is profecto qui emancipatione sui iuris fit, capite minuitur: credo, quia in imaginariam seruitutis formam deducitur. *l. liberos de cap. minutis.* Immo quia sublata est legitima emancipatio, vigetque aut Anastasiana, aut Iustinianea emancipatio, qui emancipatur hodie, capite non minuitur. Proinde merito ex Iustiniani constitutionibns suo exæquatur emancipatus. Vsusfructus emancipatione non finitur. Id denique restat, vt capite non minuantur hodie, qui cum alieni iuris forent, sui iuris efficiuntur. His autem, quæ hoc loco dicuntur ab Vlpiano, addenda est quę in manum flaminis conuenit. *Cornel. Tacit. lib.* 4. quando exiret è iure patrio qui id flaminium apisce-

apiſceretur, quæque in manum flaminis conueniret. Pacius & Cuiacius *hic.*

Virgines Veſtæ] Gell. 1. c. 12. virgo Veſtalis, ſimulatque capta in atrium Veſtæ deducta, pontificibuſque tradita eſt, eo ſtatim tempore, ſine emancipatione, ac ſine capitis minutione, è patria poteſtate exibat. *Goth. h.*

Tit. XI. De Tutelis.

TVtores conſtituuntur tam maſculis, quam fœminis: ſed maſculis quidem impuberibus duntaxat propter ætatis infirmitatem. fœminis autem tam impuberibus, quam puberibus, & propter ſexus infirmitatem, & propter forenſium rerum ignorantiam.

Tutores autem legitimi ſunt aut ſenatuſconſultis conſtituti, aut moribus introducti.

Legitimi tutores ſunt, qui ex lege aliqua deſcendunt. Per eminentiam autem legitimi dicuntur, qui ex lege duodecim Tabularum introducuntur, ſeu propalam, quales ſunt agnati: ſeu per conſequentiam, quales ſunt patroni.

Agnati ſunt, à patre cognati virilis ſexus, per virilem ſexum deſcendentes eiuſdem familiæ: veluti patrui, fratres, filii fratris patruelis.

Qui liberum caput mancipatum ſibi, vel à parente, vel à coemptore manumiſit per ſimilitu-

litudinem patroni tutor efficitur, qui fiduciarius tutor appellatur.

* Legitimi tutores, alii tutela in iure cedere poſſunt.

Is cui tutela in iure ceſſa eſt, Ceſſicus tutor appellatur: qui ſiue mortuus fuerit, ſiue capite minutus, ſiue alii tutela ceſſerit, redit ad legitimum tutorem tutela. Sed & ſi legitimus deceſſerit, aut capite minutus fuerit, ceſſitia quoque tutela extinguitur.

Quantum ad agnatos pertinet, hodie ceſſitia tutela non procedit: quoniam permiſſum erat in iure cedere tutela fœminarum tantum, non etiam maſculorum fœminarum autem legitimas tutelas lex Claudia ſuſtinet.

Excepta tutela patronorum legitima tutela capitis dimitutione amittitur.

Capitis minutionis ſpecies ſunt tres, maxima, media, minima.

Maxima capitis deminutio eſt, per quam & ciuitas, & libertas amittitur. veluti cum incenſus aliquis venierit: aut cum mulier alieno ſeruo ſe iunxerit, denuntiante domino, & ancilla facta fuerit, ex ſenatuſconſulto Claudiano.

Media capitis deminutio dicitur, per quam ſola ciuitate amiſſa, libertas retinetur: quod fit in eo, cui aqua & igni interdicitur.

Minima capitis deminutio eſt, per quam & ciuitate & libertate ſalua, ſtatus duntaxat hominis

minis mutatur: quod fit adoptione, & in manum conuentione.

Testamento quoque nominatim tutores dati confirmantur eadem lege duodecim Tabularum, his verbis: Vti legassit super pecunia tutelave suæ rei, ita ius esto: qui tutores datiui appellantur.

Dari testamento tutores possunt liberis qui in potestate sunt.

Testamento tutores dari possunt hi, cum quibus testamenti faciendi ius est, præter Latinum Iunianum. Nam Latinus habet quidem testamenti factionem, sed tamen tutor dari non potest: id enim lex Iunia prohibet.

Si capite deminutus fuerit tutor testamento datus, non amittit tutelam: sed si abdicauerit se tutela, desinit esse tutor. Abdicare autem est, dicere nolle se tutorem esse in iure. Cedere autem tutela testamento datus non potest. nam & legitimus in iure cedere potest, abdicare se non potest.

Lex Attilia iubet mulieribus, pupillisve non habentibus tutores, dari à Prætore & maiore parte Tribunorum plebis: quos tutores Attilianos appellamus. Sed quia lex Attilia Romæ tantum locum habet, lege Iulia & Titia perfectum est, vt in prouincia quoque similiter à præsidibus earum dentur tutores.

Lex Iunia tutorem fieri iubet Latino, vel Lati-

Latinis impuberibus eum, qui etiam ante manumissionem ex iure Quiritium fuit.

Ex lege Iulia de maritandis ordinibus, tutor datur à Prætore vrbis ei mulieri virginive, quam ex hac ipsa lege nubere oportet, ad dotem dandam, dicendam, promittendamve, si legitimum tutorem pupilla non habeat. Sed postea Senatus censuit, vt etiam in prouincia quoque, similiter à præsidibus earum ex eadem causa tutores dentur.

Præterea etiam in locum muti, furiosive tutoris, alterum dandum esse tutorem ad dotem constituendam Senatus censuit.

Item ex Senatusconsulto tutor datur mulieri ei, cuius tutor abest, præterquam si patronus sit, qui abest. Nam in locum patroni absentis alter peti non potest, nisi ad hereditatem adeundam, & nuptias contrahendas. Idemque permisit in pupillo patroni filio.

Hoc amplius Senatus censuit, vt si tutor pupilli pupillæve suspectus à tutela submotus fuerit, vel etiam iusta de causa excusatus in locum eius tutor alius detur.

Moribus tutor datur mulieri pupillove, qui cum tutore suo lege aut legitimo iudicio agere vult, vt auctore eo agat (ipse enim tutor in rem suam auctor fieri non potest) qui Prætorianus tutor dicitur, quia à prætore vrbis dari consueuit.

Pupil-

Pupillorum pupillarumque tutores & negotia gerunt, & auctoritatem interponunt. Mulierum autem tutores auctoritatem duntaxat interponunt.

Si plures sunt tutores, omnes in omni re debent auctoritatem accommodare, præter eos qui tunc dati sunt: nam ex his vel vnius auctoritas sufficit.

Tutoris auctoritas necessaria est, mulieribus quidem in his rebus, si lege aut legitimo iudicio agant, si se obligent, si ciuile negotium gerant, si libertæ suæ permittant in contubernio alieni serui morari, si mancipia alienent. Pupillis autem hoc amplius, etiam in rerum nec mancipi alienatione tutoris auctoritate opus est.

Liberantur tutela, masculi quidem pubertate. Puberem autem Cassiani quidem eum esse dicunt, qui habitu corporis pubes apparet, id est, qui generare potest: Proculeij autem, eum qui quatuordecim annos expleuit: verum Priscus eum puberem esse, in quem vtrunque concurrit, & habitus corporis, & numerus annorum. Fœminæ autem tutela liberantur.

Vide Caium 7. *in Inst.* 13.26 *ff.* 1.

Tam masculis] *l.* 1. §. 3. *ff. eod. l.* 1. *ff. de legit. tut.*

Propter ætatis infirmitatem] propter ætatem. §. 1. *Inst. eod. l.* 1. *ff. eod.* διὰ τὸ τῆς ἡλικίας ἀτελὲς *Theoph. eod.*

Aut moribus] *l. 1. ff. de curatore furiosi.*
Ex lege aliqua] *l. 5. de tutor.*
Per consequentiam] hæreditatum. *l. 3. ff. de legitim. tutor.* perinterpretationem, acsi verbis legis introducti essent. *Inst. de legitima patron.* vt qui sperarent successionem, ijdem bona consequerentur. *Inst. d. tit. l. 1. ff. de legitim. tutor. vid. l. 72. ff. de regul. iur. Goth. h.*
Virilis sexus] In tutelarum quæstione ita definiuntur agnati: propterea quod tutela virile munus est. Cæteroquin & fœminæ agnatæ sunt. Eadem est agnatorum definitio in quæstione intestatæ successionis. *leg. 2. §. agnati de suis. & l. hæred. & inf. tit. 26.* quia etsi consanguinea consanguineo intestato hæres existat, agnata tamen agnato cuiquam intestato ex lege Voconia hæres non est, §. *cæterum, de legit. agnat. success.* sic in *l. Vellea*, qui testamentum faciet, is omneis virilis sexus, qui ei sui hæredes futuri erunt, &c. etiamsi viuo parente nascantur. Ideo ait, virilis sexus, quia sequuntur hæc verba, vt nominatim eos exhæredet, vel instituat §. *posthumorum. in fin. de exhæred. lib.* Soli autem mares posthumi exhæredandi sunt. §. *posthumi quoque* §. *posthumorum de exhæred. lib. vnde & in l. 3. de iniusto rupt.* aio, sic Vlpianum scripsisse, Posthumi virilis sexus : & ex Iustiniani cõstitutione id Tribonianum immutasse. Pacius & *Cuiac. hic.*

Per

Per virilem sexum] per virilis sexus cognationem §.1.*Inst. de legit. agnator. tut.* per virilis sexus personas. *l.7.ff.de legit.tut.* per patrem cognati ex eadem familia *l.10.§.2.ff.de gradib.*

Eiusdemque familiæ] *l. pronunciatio §. communi de verb. signficat.* adde *d. §. 2.* communi enim iure familiam dicimus omnium agnatorum. *l.195.§.2.vers.communi ff.de verb.sig.*

Veluti patrui] veluti fratres, patrueles, filij fratris patruelis. Cuiac Pacius. *Goth.h.*

Qui liberum caput] Agnatus est tutor ex *l.12.* tabularum, patronus ex interpretatione legis: parens ex contractu fiduciæ. Cur non & parens ex interpretatione legis? Quia nulla talis in lege interpretatio adhiberi potuit. Nec enim vt patronis, sic parentibus nominatim lege defertur hæreditas. Igitur duæ tantum sunt species legitimæ tutelæ, Agnatorum & patronorum: id quod Vlpianus tradit *in l. 1. de legit. tut.* Verum in *l.3.§.vlt.eod.tit.* parentem emancipatorem non legitimum, sed vicem ait legitimi tutoris obtinere, id est, fiduciarium tutorem esse. Non nego moribus inde receptum, vt nominetur legitima, quæ proprie est fiduciaria. *tit.de l.par.tut.* fiduciariæ tutelæ nomen ad liberos transmitti, legitimæ non transmitti: denique liberos patronorum distare à liberis parentum. Cæterum ratio differentiæ traditæ à Iustiniano *in titul. de fiduciar. tut.* falsa est in

 patre

patre & auo: certe subtilior est quam verior. An igitur, quia non vt liberis patroni, ita liberis emancipatoris lege debetur hæreditas. *l.1. §. liberos si quis à par. fuerit manu. Cuiac. h.*

Vel à parente vel coemptore] Qui à parente, is est pater fiduciarius: qui à coëmptore, is est pater naturalis.

Per similitudinem] patroni ad tutelam libertorum quos manumiserunt, vocati sunt *l. 12. tab. ex consequentia §. 4. supra eod.* Eadem igitur similitudine patres vocari oportuit ad liberorum, quos emanciparunt, & manumiserunt tutelam.

Qui fiduciarius] *vid. 6. Caii. 5. vers. mancipat.*

In iure cedere] *vid. §. 7. infr. eod.*

Cessicus] nota de cessico tutore, vt hic, & cessitia tutela: *infr. eod. & §. 8. §. 17. infra.*

Lex Claudia] de qua vide *l. 3. C. de legitim. tut.*

Lex Claudia sustinet] lege, sustulit. Rursus vero lex Claudia sublata est constitutione Constantini *l. 3. C. de legit. tut. l. 2. Theod. Cod. de tut. & cur. crea.* Ait Constantinus, in fœminis tutelam legitimam consanguineus vel patruus non recuset. *Cuiac. & Pacius hic.*

Excepta tutela] Hoc est quod ait *l. tutelas. de capit. minut.* Tutelas etiam non amittit capitis deminutio, exceptis his quæ l. A. P. P. deferuntur, id est, quæ iure agnationis proximis potissimum

ſimum deferuntur. Tribonianus non ſic. Equidem ſcio Tribonianum, cum multa in libris prudentum notis perſcripta eſſent, auctore Iuſtiniano, *in l.2. C. de vet. iu. enucl.* in iis explicandis cadere frequenter & labi. Cæterum tutela patronorum, minima capitis deminutione non perit, quia nec ius patronatus perit. Æque teſtamentaria & datiua tutela non perit. At quia minima capitis deminutione ius agnationis perit, & legitima agnatorum tutela perit. Dixi, proximis potiſſimum, vt in edicto translaticio Verris, Tum vti proximum quemque potiſſimum hæredem eſſe oporteret, ſi is inteſtato mortuus eſſet. Vnde eximenda non ſunt poſteriora verba *l. 1. vnde legit.*. Quinimo in Aſcanio ita male leguntur, quaſi ſi Aſconii eſſent, non Tullii. Item alio edicto, Sec. tab. teſtamenti potiſſimum hæreditatem dabo. *Cuiacius hic & Paci.*

Excepta tutela] Tribonianus hunc locum ita interpretatus eſt, exceptis his quæ in iure alieno poſitis perſonis deferuntur. *l.7. ff. de cap. minutis. Hottom. 3. obſeru. 9. legit*, exceptis his quæ in nomine alieno poſitis perſonis deferuntur. *Gothofredus hic.*

Species ſunt tres] *l. vlt. ff. de cap. minutis.*

Veluti cum incenſus aliquis venierit] Hoc M. Tullius explicat in extremo orationis pro Cæcinna, Dionyſius IIII.

Cicero pro Cæcinna in fine. Iam populus cum eum vendit, qui miles factus non est (id est, quia ad delictum non respondit, qua de re *vid. Goth. ad l. 20. ff. comm. præd. l. 40. §. 10. ff. de re militari*) non adimit ei libertatem, sed indicat eum non esse liberum, qui cum liber esset, adire periculum noluit. Cum autem incensum (id est eum qui censum vitauit) hoc indicat: cum ii qui in seruitute iusta fuerint, censu liberentur, eum, qui, cum liber esset, censeri noluerit, ipsum sibi libertatem abiudicasse. Quod si maxime hisce rebus adimi libertas aut amitti potest, &c. Halicarnasseus etiam *lib.* 4. refert, Seruii Tullii iussu bona omnium ciuium censita, eis qui non censerent, pœna proposita, vt bonis in fiscum redactis, cæsi virgis sub hasta venirent: eamque diu legem Romanis seruatam fuisse. *Gothofr. hic.*

Cum mulier] *l. 27. ff. depositi.*

Denunciante domino] Trina denunciatione opus est: denunciari etiam testato oportet, idque denunciari vt seruo abstineat. Denunciationem sequitur prætoris, aut præsidis sententia. Inde Tertull. *lib. 2. ad vxorem.* Nonne insuper censuerunt seruituti vindicandos, qui cum alieno seruo post dominorum denunciationem in consuetudine perseuerarunt? Exemplo S.C. si ingenuæ, quæ ad gynæciarium se vel monetarium applicat, similis denunciatio fiat, nisi

nisi dicto audiens fuerit, eiusdem ipsa conditionis ex constitutionibus efficitur. *l. edicimus C.Theod.de murilegul.l.Senatusconsult. C.Theod. de decur.* Sed hæc à Iustiniano mutata sunt in *tit.de S. C.Claud.toll. Cuiac.hic.*

Senatusconsulto Claudiano] Id hodie abrogatum est. *C.de S.C.Claud.toll.& Institut.de succession.sublat.quæ fiebant per bon.vend.&c.*

Minima capitis diminutio] Minima capitis deminutione familiam : media familiam & ciuitatem : maxima familiam, ciuitatem, & libertatem amittimus *d.l.vlt.* Adde *Inst.de capit.diminut.*

Status duntaxat hominis] saluo statu publici iuris. *l.1.§.capitis.ad S.C.Tertyll.* priuatus hominis status commutatur. *Cuiac.h.*

In manum conuentionem] Quæ conuenit in manum mariti, capite minuitur: quia in familiam eius, & sui hæredis locum venit, vt in *tit.* 23. & apud Gellium *lib.*18.*cap.*6.

Confirmantur eadem lege] Testamento dati tutores lege confirmantur, vt hic.

Vti legassit] Integra lex est. Paterfamilias vti legassit, auctore Cornificio *lib.*1. ad Herennium. Ait, super pecunia, tutelave suæ rei, quæ verba coniunctim accipienda sunt. Nam tutorem instituere filiis suis pater, nisi in testamento, non potest, in quo & pecuniæ suæ hæredem instituat. *l.sæpe.de verb.sign. Cuiac.hic.*

Vti legaßit] Hoc caput ad hæreditates etiam & legata refertur, vti quisque legaſſit, ſuæ rei ius eſto. *l.*120. *ff. de verb. ſign.* vti quiſq; legaſſit de re ſua, ita ius eſto. *Nou.*22.*c.*2. Paterfamilias vti ſuper pecunia tutelave ſua legaſſit, ita ius eſto. Author ad Herennium: ſuper pecunia, tutelave ſuæ rei. *l.*53. *ff. de verb. ſignif.* vt eam pecuniam, easve res, quibuſque dare legare volet, ius poteſtaſque eſto. *l.*1. *ff. ad l. Falcidiam.* & *Vlpian. tit.*1. §. 9. *ſup. eod.* Lex 12. tabularum confirmat quod datum, legatum eſt. *Goth. hic.*

Tutelave] melius quam in *l.*53. *ff. de verb. ſignific.* ſuper pecuniæ, tutelęve ſuæ.

Qui tutores datiui] Legitimi non dantur, ſed ipſo iure fiunt tutores. *l. legitimos. ff. de legit. tutor.* Teſtamentarii, Attiliani, Iuliani, datione tutores fiunt. Plerunque autem Attiliani, & Iuliani, datiui tutores appellantur. *l. datiuus. C. rem pup. ſalu for. l. generaliter. C. de epiſc. & cler. l. vlt. C. de legit. tutor.* Cuiac. & Pacius hic.

Qui tutores datiui] verba quæ ſequuntur eſſe quaſi argumentum ſententiæ ſequentis videntur. aliâs impropriè legitimi tutores datiui dicuntur. *l.*5. *ff. de legib.* quod tamen ex hoc §. ſequitur. *Goth. h.*

Liberis qui in poteſtate] *l.*3. *ff. de tutel. l.*1. *ff. de teſtam. tut.*

Cum quibus] *l.*21. *ff. de teſtam. tut.*

Nam Latinus] de quo *vid.* ſ *tit.*3. *de Latinis.*

Si ab-

Si abdicauerit] id est, se excusauerit. *l.*11. §.2. *ff.de testament.*

Desinit esse tutor] eiusque loco non legitimus sed datiuus constituetur. *d.*§.2.

Abdicare autem] M. Tullius *lib.6.* ad Atticum. Itaque aut tutela cogito me abdicare, aut vt pro Glabrione Scæuola, fœnus & impendium recusare. Nihil ab abdicatione distat excusatio. Excusatione datiui duntaxat vtuntur. *l.* δέδνται. *ff.de exc.tut.*§. *qui excusare. Inst.eod.* Nullum vero in iure ciuili excusationis proximis agnatis datæ extat exemplum. Proinde recte ait, legitimos tutela se abdicare non posse. Ratio illa est, quia ipso iure tutores existunt. Quæ ratio etiam efficit, vt sui hæredes repudiare hæreditatem non possint. Verum enim vt in iure, hi se hæreditate abstinere, ita & illi in iure, id est, apud prætorem, tutela fœminarum cedere possunt.] In pupillis maribus, vt iam superius ab Vlpiano dictum est, cessitia tutela non procedit. *Cuiac. & Pacius hic.*

Cedere] ad hanc cessionem in iure refer §. 3. *sup. eod.*

Lex Attilia] *vid. Inst. de Attiliano tutore.*

Et maiore] *Inst. d. loco.*

Præsidibus earum] iisque qui sunt eius prouinciæ, vel ibidem domicilium habent. *l.*1. *in f. ff. de tutorib. dat.*

Qui etiam ante manumissionem] Non eum

ſolum qui in bonis, ſed etiam qui ex iure Quiritium dominus fuit. *Cuiac.*

Ad dotem dandam] *leg.* 5. §. 4. *l.* 61. *ff. de iur. dot. leg.* 22. §. 10. *ff. ſoluto. adde leg.* 7. *ff. de tutoribus dat.*

Dicendam] Dos olim dicebatur, qua de re *vid. tit.* 6. § 1. § 2. *ſupr. eodem.*

Promittendamve] *d.* §. 2. *in fin.* adde & augendam & minuendam *d. l.* 7.

Si legitimum tutorem pupilla non habeat] delenda eſt vox, pupilla: nam de pubere hic agitur, non de pupilla. Cæterum quamuis regula iuris hæc ſit, certæ rei vel cauſæ tutorem non dati, ex l. tamen Iulia & Senatusconſultis tutor ex cauſa datur ad dotem conſtituendam. Item vt paulo poſt tradit, ad adeundam hæreditatem ſpecialis tutor datur: quod etiam confirmat *l. impuberi. ff. de tut. & curat. dat. l. cum in vna* § *tutor de appellat. Cuiac. & Paci. h.*

In locum muti] *l.* 17. *ff. de tutelis l.* 11. *l.* 40. *ff. de excuſ. tut.*

Ad dotem conſtituendam] ſi ad dotem conſtituendam, erit hoc contrarium ſuperiori regulæ iuris, quæ dictat, certæ rei tutorem non dari: ſi generaliter (quod & ipſum, ſi mutus aut furioſus ſit, legitimus datur, ex S. C. fieri poteſt, *l. penult. ff. de tutel.*) obſtat illa regula, qua cauetur, Tutorem habenti tutorem non dari:

dari: ideoque senatusconsulto opus fuit. *Cuiac. & Pacius hic.*

Ad dotem constituendam] Et ad res alias. *d. l.* 17. *l.* 11. *l.* 40.

Senatus censuit] *d. l.* 17.

Cuius tutor abest] *adde l.* 15. *ff. de tutel. l.* 10. *ff. de tutor. datis.*

Ad hæreditatem adeundam] *l.* 9. *sup. de tutor. datis.*

Idemque permisit in pupillo patroni filio] Malo, Idemque permisit in patroni filio, nimirum vt in eius locum non nisi ad adeundam hæreditatem, vel dotem constituendam, tutor detur. Quod & generaliter in tutoribus pupillorum iure ciuili locum obtinet. Vel hic est sensus, vt in locum pupilli filij patroni, & tutoris legitimi liberti paterni alius tutor detur. *Cuiac. & Pacius hic.*

Hoc amplius] Huius S. C. fit mentio in *leg. si quis sub conditione de testam. tut.* & hi quidem sunt tutores, qui ex S.C. dantur: de quibus intelligenda est *lex tutelas de cap. minutis.* Sequuntur hi, qui moribus dantur. *Cuiac. h.*

Pupilli pupillæ suspectus] *l.* 14. §. 4. *ff. de tutel. l.* 11. §. 1. *ff. de legit. tutor.*

Iusta de causa excusatus] *d. l.* 11. §. 1.

Moribus tutor] Hodie quia extraordinaria sunt iudicia, curator datur, §. *vlt. de aucto. tut.*

In or-

In ordinarijs iudicijs tutor exigitur *l. curatorem. ff. eod. l. vlt. C. de in lit. dand. tut. Cuiac. h.*

Datur mulieri] *vid. Goth. ad leges 12. tabularum lib. 2. adde* §. 27. *inf. eod.*

Qui cum tutore] *vid. l. 1. C. de in litem dando.*

Lege aut legitimo iudicio] Lege agere latius patet, quam legitimo iudicio agere. nam sine iudicio lege agi potest.

Prætorianus tutor] Prætorius §. *vlt. Instit. de author. tut.* Hodie tutorem habenti tutor non datur, sed curator.

Auctoritatem interponunt] *l. 1. ff. de administ. tut.*

Auctoritatem duntaxat] *vid. ff. C. Inst. de author. tut. vide Cuiac. 7. obseru.* 11.

Præter eos] Hodie id immutatum. *vid. l. vlt. C. de authoritate præstanda.*

Qui tunc dati sunt] Legendum, qui testamento dati sunt. *l. vlt. C. de auctor. præstanda l. 4. l. 5. in princ. & §. item ipse. l. quod dicimus* §. 1. *ff. eod.* Marcus Tullius pro Flacco, nihil potest de legitima tutela sine omnium tutorum auctoritate deminui. *Cuiac. & Pacius hic.*

Vnius auctoritas] *d. l. vlt. add. l. 4. l. 5. l. 7.* §. 1. *ff. de auctoritat. tut.*

Mulieribus quidem] §. 4. *sup. eod.*

Masculi quidem pubertate] *Inst. quib. mod. tutela.*

Cassiani] veteres *Inst. quib. mod. tut.*

Pro-

Proculeij] Quorũ sẽtẽtia Iustiniano placet.

Proculeij] Proculiani: quorum sententia probatur à Iustiniano *l. vlt. C. quando tut. vel cur. esse des.*

Verum Priscus] Et ita tres Iurisconsulti inter se dissentiunt, Cassiani, Proculiani, & Priscus. Sic alibi Gallus, Labeo, & Tubero. *l. 32. §. 1 ff. de auro. Goth. h.*

Fœminæ autem tutela liberantur] Imperfecta oratio est. Cæterum vnus ponitur casus in *tit. vlt.* in quo libertæ tutela patronorum liberantur. Denique omnes fœminæ conuentione in manum liberantur, auctore Boëthio in *top. Cicer. Cuiac. & Pacius h.*

Tutela liberantur] anno 12. scilicet. hunc locum ita censeo perficiendum *Inst. d. loco & d. leg. vltim.* nisi malis dicere fœminas excusari à tutelis.

Tit. XII. De Curatoribus.

CVratores aut legitimi sunt, id est, qui ex lege duodecim Tabularum dantur: aut honorarii, id est, qui à Prætore constituuntur.

Lex duodecim Tabularum furiosum, itemque prodigum, cui bonis interdictum est, in curatione iubet esse agnatorum.

A Prætore constituitur curator, quem ipse Prætor voluerit, libertinis prodigis, itemque inge-

ingenuis, qui ex testamento parentis heredes facti, male dissipant bona: his enim ex lege, curator dari non poterat: cum ingenuus quidem non ab intestato, sed ex testamento heres factus sit patri: libertinus autem nullo modo patri heres fieri possit, qui nec patrem habuisse videtur, cum seruilis cognatio nulla sit.

Præterea dat curatorem ei etiam, qui nuper pubes factus, idoneè negotia sua tueri non potest.

Vide 1. Caium 8.1. *Inst.* 23. 5. *C.* 70. 27. *ff. eod.*

Aut honorarij] dantur etiam testamento, postea confirmandi à præside. §. 1. *Inst. eod.*

Lex duodecim tabularum] *l.* 1. *ff. de curator.*

Dissipant bona] qui neque tempus, neque finem expensarum habent *d. l.* 1.

Qui nec patrem] vtitur Iurisconsultus argumento à priuatione ducto, vt & alibi, Nemo cogitur reddere quod non habet. *l.* 22. §. 3. *ff. ad Trebel.* Non repudiat, qui negat nuptam. *Nouel.* 74. *c.* 5. Non latitat, qui sibi non est idoneus defensor. *l.* 5. *de reb. autor.* seruus capite minui non potest, qui nullum caput habet. *l.* 3. *in fin. ff. de capite minut. Goth. h.*

Cognatio nulla sit] Imo aliqua *Instit. de serui li cognat.*

Sua tueri non potest] *l.* 2. *ff. eod.*

Tit.

Tit. XIII. De cœlibe, orbo, & solitario patre.

LEge Iulia prohibentur vxores ducere, senatores quidem liberique eorum, libertinas, & quæ ipsæ, quarumve pater materve artem ludicram fecerit: item corpore quæstum facientem.

Cæteri autem ingenui prohibentur ducere lenam, à lenone lenave manumissam, & in adulterio deprehensam, & iudicio publico damnatam, & quæ artem ludicram fecerit: adiicit Mauricianus, & à senatu damnatam.

De] Hæc epigraphe conuenit melius titulo sequenti.

Cœlibe] Dion. 54. refert, legem Iuliam τοῖς τε ἀγάμοις καὶ τοῖς ἀνάνδροις graues pœnas irrogasse: Intelligit autem id pœnæ genus, quo cœlebs vetatur quidquam extranei testamento capere: nisi intra centum dies nuptias contraxerit, *tit. 17. §. 1. inf. eod. l. Sozom. 9. l. 35. ff. de mortis causa l. 12. ff. de vulgari. Tertull. lib. de Monogamia.* Aliud est si apud Christum, legibus Iuliis agi credunt & existimant cœlibes & orbos ex testamento Dei solidum capere non posse. *Tacit.* 3. Annal. Relatum de moderanda Papia Poppæa, quam senior Augustus post Iulias rogatas incitandis cœlibum pœnis, & augendo ærario sanxerat, &c. ad has pœnas respexit Plutarchus

chus libro περὶ φιλοστοργίας, ῥωμαίων πολλοὶ, inquit, γαμοῦσι, καὶ γεννῶσι, οὐχ ἵνα κληρονόμους ἔχωσιν, ἀλλ' ἵνα κληρονομεῖν δύνωνται. Author Panegyrici Maximo & Constantino dictari leges Iulias ita commendat. Leges, inquam, quæ mulcta cœlibes notarunt; parentes præmiis honorarunt; vere dicuntur esse fundamenta reipublicæ, quia seminarium iuuentutis & quasi fontem humani corporis semper Romanis exercitibus ministrarunt. *Goth. h.*

Orbo] Orbus semissis capiendi capax erat, non solidi: *l. 6. ff. de vulgari l. 42. ff. de legat.* 1. *l.* 16. *§.* 15. *ff. ad Trebell. l.* 13. *in fin. ff. de iur. fisci.* hinc illæ instituendi leges in tempus capiendæ hæreditatis. *l.* 62. *ff. de hæred. instituend.* Ex parte quam quis per leges capere possit. *l.* 78. *fin. de hæred. instit.* Et ita melior orbi quam cœlibis conditio, quia maritus orbus; saltem dimidium capit: cœlebs nihil. *Goth. h.*

Et solitario patre] solitarius hic dicitur, qui vnicum & solum filium habet μοῦνον τηλύγετον ἢ μονοχὸν, vt Aquila loquitur: quasi medius inter orbum & cœlibem, & multorum liberorum parentem. Priorum pœnas vt non patitur, ita posteriorum præmijs non fruitur. *Gothofred. hic.*

Lege Iulia] quæ & Papia. *l.* 44. *ff. de ritu l.* 28. *C. de nupt.*

Senatores quidem] *l.* 16. *l.* 31. *l.* 32. *l.* 34. *in fin.* *l.* 44.

l. 44. *ff. de ritu.* Id hodie senatoribus remissum est. *Nou.* 78. *c.* 3.

Libertinas] *l.* 23. *ff. de ritu l.* 28. *C. de nupt. l.* 7. *C. de incestis.*

Artem ludicram] *d. l.* 7. *l.* 42. §. 1. *ff. de ritu.*

Item corpore] *l.* 41. *l.* 43. *ff. de ritu. l.* 7. *in fin. ff. de incestis.*

Cæteri autem ingenui] Et has quoque senatores non ducent *l. Iulia* §. *ult. de ritu nupt.* non tamen idem est econtrario: nam ingenui libertinas ducent. *l. lege Papia eod.* Est in eandem rem auctoritate Marci & Commodi factum plenius *S. C. de quo in l. oratio. de Sponſ. l. oratione l. palam* §. *senatus de ritu nupt.* Extat & de eadem re Constantini constitutio. *l.* 1. *C. de nat. lib. & Non.* Marciani, *de mat. senat.* quæ tamen ambæ sublatæ sunt in *Nouel. Iustiniani* 117. *&* 89. ex qua id etiam didicimus, corrupte *in d. l.* scriptum esse, Præfectos, legendum enim est, Perfectissimos ; id est , διασημοτάτους. atque ita constanter habent omnes veteres Codices. Error manauit ex errore Nou. Marciani. Lex quoque Iulia de senatorum & libertinarum nuptiis à Iustiniano sublata est. *Cuiac. & Pacius hic.*

Ducere lenam] *d. l.* 43. §. 6. 7. 8.

In adulterio] *d. l.* 43. §. 12. 13.

Iudicio publico damnatam] *d. l.* 43. §. 10. 11.

Artem ludicram] *d. l.* 44. *ff. de ritu.*

Mauritianus] Qui ad leges Iulias libros scripsit.

A senatu damnatam] *leg. 16. l. 43. §. 10 ff. de ritu.*

Tit. XIIII. De pœna legis Iuliæ.

FOeminis lex Iulia à morte viri anni tribuit vacationem: à diuortio, sex mensium: lex autem Papia à morte viri, biennii: à repudio, anni & sex mensium.

Pœna legis Iuliæ, hæc est, ne cœlibes, ne orbi, ex ciuium Romanorum testamentis capiant. *l. si is qui heres de vulg. subst. Tertull. in lib. de monogamia.* Aliud est si & apud Christum legibus Iulijs agi credunt, & existimant cœlibes & orbos, ex testamento Dei solidum capere non posse. Sed hæc pœna sublata est à *l. 1. C. de infir. pœn. cœl. & orbit. Cuiac. h.*

Legis Iulia] Orbis, cœlibus, & solitarijs iniectæ.

Fœminis] Quid maritis? triennij videtur fuisse ex *l. Iulia Sueton.* anni, lege Papia. Nam ipse Augustus, apud Dionem 56. dicitur ijs qui cœlibes essent, primum dedisse triennium, deinde biennium, (lege Iulia, vt est credibile) tum annum, lege Papia. Sed hoc tempus currebat à lege lata. An à die diuortij vel mortis eius temporis esset vacatio, incertum forte,

quo-

quoniam de fœminis Vlpianus hic tantum loquitur: in quas, leges quam in viros mitiores fuere semper. vid. *Cuiac.* 6. *obseru.* 37. *Goth. h.*

Tribuit vacationem] Hoc est, vt interim, etiam si cœlibem vitam agant, capere ex alterius testamento possint. Lex enm Iulia vetat cœlibes quidquam testamento extranei capere. *leg.* 11. *ff. de vulgari. leg.* 35. *ff. de mort. caus. Gothofr. hic.*

Biennij] Legendum, Triennij, vt enim altero tanto à morte viri vacatio, quæ lege Iulia tribuitur, eam superat, quæ à diuortio tribuitur, eadem vt sit proportio necesse est in lege Papia, quæ tempora legis Iuliæ prorogauit. Denique triennium Augusti lege tribui, Suetonius auctor est: nimirum enim lex Papia Popæa lata est autore D. Augusto post Iulias rogationes, M. Papio, Q. Popæo coss. suffectis, non ordinariis, vt Dion & Isidorus scribunt. *Cuiac. hic & Paci.*

Tit. XV. De decimis.

VIr & vxor inter se matrimonii nomine decimam capere possunt.

Quod si ex alio matrimonio liberos superstites habeant, præter decimam quam matrimonii nomine capiunt, totidem decimas pro numero liberorum accipiunt. Item communis

filius, filiave, post nonum diem amissus, amissave, vnam decimam adiicit. duo autem, post nonum diem amissi, duas decimas adiiciunt. Præter decimam, etiam vsumfructum tertiæ partis bonorum eius capere possunt: & quotcunque liberos habuerint, eiusdem partis proprietatem. Hoc amplius mulier petere præter decimam dotem potest legatam sibi.

Lege Iulia coniuges, præter ea quæ in hoc titulo enumerantur, inter se capere nihil possunt, & hoc in vxore manifesto tradit *l. 1. C. de his qui se defendere lib.* 10. Sunt & multa huius rei vestigia in C. Theod. *l. vlt. de inoff. dot. l. vlt. de leg. hæred. l. 1. l. si aliquis de bon. prosc. l. pro commoditate de nauicul. & in Nou. Valent. de testament.* Sed in l. pro commoditate, pro liberis, perperam scriptum est, lucris. Interdum vero ne decimas quidem capere possunt: contra interdum & solidum capere possunt, hodie omnimodo *l. 2. C. de infir. pœn. cœl. & orbit.* & decimis sublatis. *Cuiac. h.*

Matrimonij nomine] id est, in honorem matrimonij.

Capere possunt] *l. 18. ff. de auro. add. l. 6. ff. de vulgari l. 42. ff. de legat.* 2. respexit huc orator vetus: Placet ergo, ô leges diligentissimæ pudoris custodes, decimas vxoribus, quartas meretricibus dari? Porro decimaria ea lex sublata *l. 2. C. de infirm. pœn. cœlib. Goth. hic.*

Toti-

Totidem] Aliæ decimæ erant, quæ nomine matrimonij, aliæ, quæ propter singulos liberos percipiebantur.

Duo autem] Tres post nonum diem amissi solidum adiiciunt. *tit. prox.*

Post] Nam defuncti ante nominis susceptionem, pro non susceptis habentur.

Tit. XVI. De solidi capacitate inter virum & vxorem.

ALiquando vir & vxor inter se solidum capere possunt: velut si vterque, vel alteruter eorum nondum eius ætatis sit, quæ quidem liberos exigit: id est, si vir minor annorum viginti quinque sit, aut vxor annorum viginti minor. item si vtrique lege Papia finitos in matrimonio annos excesserint, id est, vir sexaginta annos, vxor quinquaginta. item si cognati inter se coierunt vsque ad sextum gradum: aut si vir absit, & donec abesset, intra annum postquam abesse desierit, libera inter eos testamenti factio est. Si ius liberorum à principe impetrauerint: aut si filium filiamve communem habeant: aut quatuordecim annorum filium, vel filiam duodecim amiserint: vel si duos trimos, vel si tres post nonum diem amiserint, vt intra annum tamen & sex menses. Etiam vnus cuiuscunque ætatis impubes amissus solidi ca-

piendi ius præstat. Item si post mortem viri intra decem menses vxor ex eo peperit, solidum ex bonis eius capit.

Aliquando nihil inter se capiunt, id est, si contra Legem Iuliam, Papiamque Popæam contraxerint matrimonium: verbi gratia, si famosam quis vxorem duxerit, aut libertinam senator.

Qui intra sexagesimum, vel quæ intra quinquagesimum annum neutri legi paruerit, licet ipsis legibus post hanc ætatem liberatus esset, perpetuis tamen pœnis tenebitur, ex senatusconsulto Perniciano. Sed Claudiano senatusconsulto maior sexagenario, si minorem quinquagenaria duxerit, perinde habebitur, ac si minor sexaginta annorum duxisset vxorem.

Quod si maior quinquagenaria minori sexagenario nupserit, impar matrimonium appellatur: & senatusconsulto Caluitiano iubetur non proficere ad capiendas hereditates, & legatas dotes. Itaque mortua muliere, dos caduca erit.

Solidi] *l. 6. ff. de vulgari. vid. sup. in epigraphe tit.* 13.

Liberos exigit] Huc refer *d. locum Tertulliani c.* 4. *Apologet.* Nonne vanissimæ leges Papiæ, quæ ante liberos suscipi cogunt, quam Iuliæ matrimonium contrahi?

Ad sextum gradum] Nam à sexto gradu cogna-

cognatio nulla est. §. *vltim. de successione cognat. Paci hic.*

Ad sextum gradum] *vid. Instit. de success. cognat. in fine.*

Abesset intra] Lege, abest & intra. Credo hæc vera esse, si absit Reipubl. causa. Nam annus eis tantum dari solet, qui reipubl. causa abesse desierunt. *Cuiac. & Paci h.*

Si ius liberorum] Isidorus, auctor sane vel eo nomine probandus, quod, vt ex hoc libello nonnulla, ita ex optimis auctoribus, quibus nunc destituti sumus, descripta quam plurima contineat. *lib. v.* ius, inquit, liberorum est coniugum sine liberis inuicem pro loco pignorum hæreditatis alterna conscriptio, quam definitionem confirmat *Nouel. Valent. de testam. & l. valeat. C. Theodos. de infir. his quæ sub tyran.* Et hoc quidem ius liberorum imperatores omnibus dant in *l. 1. C. de iur. lib.* Nec enim se ius trium dicunt, aut quatuor liberorum dare, sed ius liberorum: id nempe quod superius exposuimus, idemque coniuncta ea lege cum *l. 2. C. de infir. pœn.* ex qua *ea l.* pendet, vti perspici ex inscriptionibus & subscriptionibus potest, clarius demonstratur: alioquin superuacua est, constitutio Iustiniani de iure trium aut quatuor liberorum. *l. 2. C. de iur. liber.* Si igitur ius liberorum à principe impetrauerint, liberam inter se coniuges, vt Vlpianus noster ait, testa-

menti factionem habent. Denique vno filio filiaue communi superstite, aut vno filio 14. filiaue 12. annorum amisso amissaue, tribus post nonum diem amissis, duobus trimis amissis, vno cuiuscunque ætatis impubere amisso intra annum matrimonij & sex menses, idem ius habent. *Cuiac. h. v. Duar. 1. disp. 40.*

A principe] Plinius 2. *epist. & lib. 10. Dion. 55.*

Vel si tres] *vid. tit. prox. eod.*

Vt intra annum] Anni & sex menses, bis nouem menses. Nouem menses, iustum tempus pariendi.

Vt intra annum] lege, vt intra annum, & sex menses etiam vnus, &c. præstet. *Cuiac.*

Intra decem menses] *l. 29. ff. de liberis.*

Aliquando nihil] id abrogatum *l. 1. l. 2. C. de infirm. pœn. cœl.*

Neutri legi] si neque liberos susceperit, neque matrimonium contraxerit. Iulia est de contrahendo matrimonio: Papia de procreandis liberis. Inde Tertulliani in Apologetico. Nonne vanissimas Papias leges, quæ ante liberos suscipi cogunt, quam Iuliæ matrimonium contrahi, post tantæ auctoritatis senectutem heri Seuerus constantissimus princeps exclusit? Definiti autem sunt in viro sexaginta: in muliere quinquaginta. *l. penult. C. de nupt. l. si maior C. de leg. hæred.* quæ definitio S. C. Claudiano in fœminis probatur. Nam mulier post

quin-

quinquageſimum annum non gignit. *l. ſi ſterilis in princ. de act. empt.* in maribus non probatur: nam & ſexagenarij idonei ſunt ad generandum. Ariſtot. *lib.* 5. περὶ ζώων ἱστορίας. Γεννᾷ δὲ ἄνθρωπος τὸ ἔσχατον μέχρι ἑβδομήκοντα ἐτῶν ὁ ἄῤῥην, γυνὴ δὲ μέχρι πεντήκοντα. *Cuiac hic.*

Licet ipſis legibus] Auguſtin. 3. *contra Iul.* Iure etiam fuit conſtitutum, ne quiſquam ius liberorum haberet, niſi cum amborum anni computati & ſimul ducti, centum non tranſiſſe docerentur. *Cuiac. h.*

Maior ſexagenario] Lega Iulia, ſi maior ſexagenario, aut maior quinquagenaria, nuptias contraxiſſent, ius ab extraneo teſtamento capiendi amittebant: quaſi operam matrimonio dare non poſſent. *l.* 15. §. 2 *ff. de adopt. Lactant.* 1. Quid ergo eſt, quare apud poëtas ſalaciſſimus Iupiter deſierit liberos tollere? Vtrum ſexagenarius factus eſt, & illi lex Papia fibulam impoſuit? an impetrauit ius trium liberorum? & Apuleio 2. *Apologet.* in iudicio obiectum, quod Pudentilla ei anno ætatis 60. ad libidinem nupſiſſet. Hodie maior ſexagenario minorem quinquagenaria ducere poteſt. *l.* 27. *C. de nupt. l.* 12. *C. de legit. hæred.* adde Suetonium in Claudio *c.* 23. *Goth. hic.*

Senatuſconſulto Caluitiano] Lege, Claudiano, vt ſup. *Goth. & Cuiac.*

Dos caduca erit] vt in *l. si quis officium* 38. §. *veterem* 1. *l. dote de ritu nupt.*

Tit. XVII. De Caducis.

QVod quis sibi testamento relictum, ita vt iure ciuili capere possit, aliqua ex causa non ceperit, caducum appellatur, veluti cecidit ab eo: verbi gratia, si cœlibi, vel Latino Iuniano legatum fuerit, nec intra dies centum vel cœlebs legi paruerit, vel Latinus ius Quiritium consequutus sit: aut si ex parte scriptus, vel legatarius ante apertas tabulas decesserit, vel peræger factus sit.

Hodie ex constitutione Imperatoris Antonini, omnia caduca fisco vindicantur, seruato iure antiquo liberis & parentibus.

Caduca cum suo onere fiunt: ideoque libertates & legata fideicommissa ab eo data, ex cuius persona hereditas caduca facta est, salua sunt: scilicet & legata, & fideicommissa cum suo onere fiunt caduca.

Eorum quæ in testamentis scribuntur, quædam pro non scriptis sunt, quædam in causa caduci, quædam caduca. Pro non scriptis hæc sunt, quæ incapacibus relinquuntur: quæ non intelliguntur: quæ testamentarius sibi adscribit: quæ sunt captatoria: quæ ei, qui in rebus humanis non est, adscribuntur. Pro non scriptis

ptis

ptis igitur sunt, quæ in ipso initio deficiunt. In causa caduci sunt, quæ paulo post testamentum viuo testatore deficiunt: vtputa, si legatarius viuo testatore decedat, aut conditione excludatur. Caduca sunt, quæ mortuo testatore deficiunt: vtputa, si hæres vel legatarius ante apertas tabulas decesserit, vel alias incapax factus fuerit. Caduca & in causa caducorum, legibus Iuliis fisco vindicantur: legibus Iustiniani apud hæredem remanent cum onere. Quæ pro non scriptis habentur, & nouo & antiquo iure apud hæredem remanent sine onere. *Cuiac, & Paci. h.*

Caducis] 6. C. 50.

Veluti cecidit] Malim veluti ceciderit. Constantinus dixit, cadere in casum. *leg. omnes C. d. delat. Cuiac. h.*

Veluti cecidit] Caduca sunt, quæ iure relicta capaci, aliqua ex causa post mortem testatoris ab eo cadunt in fiscum. Capaci dixi, nam quæ incapaci relinquuntur, pro non scriptis habentur.

Si cœlibi vel Latino Iuniano] Ergo & cum cœlibe & cum Latino testamenti factio est: & hoc de Latino nominatim proditum est in *tit.* 11. *&* 20. Nam neque cœlibem lex Iulia, neque Latinum lex Iunia hæredem institui, aut ei legari quippiam vetat: sed ex ijsdem legibus caduca fiunt ea quæ ipsis relinquuntur, nisi intra

centum

centum dies hic ciuis Romanus fiat, ille ma-trimonio iungatur, vt in *tit.22. Cuiac.h.*

Si cœlibi] 1. *Sozomen.9.*

Vel Latino] *tit.* 11. §.16. *tit.*20. §. 18. *tit.*22. §. 3. *infr. eod.*

Paruerit] id est, nuptias non fecerit.

Ex parte scriptus] Recte id adiectum est; nam ex parte scriptus, etiam clausis tabulis testamenti, adire hæreditatem potest: quatenus lex Papia ius tantum adcrescendi aufert cohæredibus vel legatariis. *Goth.h.*

Perager] malim Peregrinus.

Hodie ex constitutione imp. Antonini] Imo ex lege Papia. Quamobrem videntur mihi hæc esse transposita, atque restituenda in hunc modum, omnia caduca fisco vindicantur, sed seruato iure antiquo liberis & parentibus. Hodie ex constitutione Imp. Antonini, caduca cum suo onere fiunt: & quæ sequuntur: vt intelligatur constitutio ea cuius fit mentio in *l. licet. de leg.* 1. *l.*4. *C. ad Treb.* Quæ enim ille de substitutis, ad cohæredes & ad fiscum transferuntur. *l. si Titio* §. 1. *de legat.* 2. *l. quidam* §. *quotiens de leg.* 1. *l. in facto* §. *vlt. de condit. & demonstr. Cuiac. hic.*

Fisco vindicantur] Hodie caducariæ leges abrogatæ. *C. de caduc. tollen.*

Seruato iure] *vid. tit.*18. *infr. eod.*

Cadu-

Caduca] Initium huius §. *emendatum est* §. *superiore.*

Scilicet &] scribendum, *sed* &. *Cuiac.*

Tit. XVIII. Qui habeant ius antiquum in caducis.

ITem liberis & parentibus testatores vsq; ad tertium gradum lex Papia ius antiquum dedit: vt heredibus illis institutis, quod quis ex eo testamento non capit, ad hos pertineat, aut totum, aut ex parte, prout pertinere possit.

Ea quæ mortuo testatore deficiunt ex iure antiquo, apud hæredem remanent, post legem Iuliam & Papiam caduca fiunt: ius tamen ea lege antiquum seruatur liberis & parentibus vsque ad tertium gradum. §. & *cum lex. Cod. de caduc. tollend.* quod & in tit. proximo. & *tit.* 1. & *tit.* 35. *Vlpian. notat.* Inde *Celsus in l. pater meus.* §. *vlt. de legat.* 2. Si filio, inquit, hæredi pars eius, à quo nominatim legatum est, accrescit, non præstabit legatum, quod iure antiquo capit. Id vero immixtum portioni hæreditatis eo iure capit, quod legem Papiam antecessit, quoniam filius est. Cæterum vt de Iuliano Vlpianus in *l. si Titio.* ita nos de Celso dicere possumus. Celsus quidem ait legatum non præstari. Sed post constitutionem Seueri & Antonini alio iure vtimur: ac frustra nostri interpretes Celsum, qui

qui Hadriani temporibus floruit vna cum Iuliano, cum rescripto D. Seueri in concordiam adducere conantur. *Cuiac. hic.*

Item liberis] *tit.1.§.21.tit.17.§.2.supr.eod.tit.25.§.17.*

Parentibus] *2.Inst.1.*

Tit. XIX. De dominiis & adquisitionibus rerum.

OMnes res aut mancipi sunt, aut nec mancipi. Mancipi res sunt prædia in Italico solo; tam rustica, qualis est fundus: quam vrbana, qualis domus. Item iura prædiorum rusticorum: velut via, iter, actus, & aquæductus. Item serui & quadrupedes, quæ dorso collove domantur, velut boues, muli, equi, asini: cæteræ res nec mancipi sunt. Elephanti & cameli, quamuis collo dorsove domentur, nec mancipi sunt: quoniam bestiarum numero sunt.

Singularum rerum dominia nobis adquiruntur, mancipatione, traditione, vsucapione, in iure cessione, adiudicatione, lege.

Mancipatio propria species alienationis est, & rerum mancipi: eaque fit certis verbis libripende, & quinque testibus præsentibus.

Mancipatio locum habet inter ciues Romanos, & Latinos Colonarios, Latinosque Iu-

nianos

tianos, eosque peregrinos quibus commercium datum est.

Commercium est emendi vendendique inuicem ius.

Res mobiles non nisi præsentes mancipari possunt, & non plures quam quæ manu capi possunt. Immobiles autem, etiam plures simul, & quæ diuersis locis sunt, mancipari possunt.

Traditio, proprie est alienatio rerum. Nec mancipi rerum dominia, ipsa traditione adprehendimus: scilicet, si ex iusta causa traditæ sunt nobis.

Vsucapione dominia adipiscimur, tam mãcipi rerum, quam necmancipi. Vsucapio est autem dominij adeptio, per continuationem possessionis anni, vel biennij: rerum mobilium anni, immobilium biennij.

In iure cessio quoque communis alienatio est, & mancipi rerum, & necmancipi, quæ fit per tres personas in iure cedentes, vindicantes, addicentes.

In iure cedit dominus: vindicat is cui ceditur: addicit Prætor.

In iure cedi res etiam incorporales possunt, velut vsusfructus, & hereditas, & tutela legitima, & libertas.

Hereditas in iure ceditur, vel antequam adeatur, vel posteaquam adita fuerit.

Ante-

Antequam adeatur in iure cedi poteſt legitimo ab herede: poſteaquam adita eſt, tam à legitimo, quam ab eo qui teſtamento heres ſcriptus eſt.

Si antequam adeatur hereditas, in iure ceſſa ſit, perinde heres fit cui ceſſa eſt, ac ſi ipſe heres legitimus eſſet. Quod ſi poſteaquam adita fuerit, in iure ceſſa ſit, is cui ceſſa eſt permanet heres, & ob id creditoribus defuncti manet obligatus: debita vero pereunt, id eſt debitores defuncti liberantur.

Res autem corporales, quoties ſingulæ in iure ceſſæ ſunt, tranſeunt ad eum cui ceſſa eſt hæreditas.

Adiudicatione dominia nanciſcimur, per formulam Familiæ erciſcundæ, quæ locum habet inter coheredes: & per formulam Communi diuidundo, cui locus eſt inter ſocios: & per formulam Finium regundorum, quæ eſt inter vicinos. Nam ſi iudex vni ex heredibus aut ſociis, aut vicinis rem aliquam adiudicauerit, ſtatim illi adquiritur, ſiue mancipi, ſiue nec mancipi ſit.

Lege nobis adquiritur, velut caducum vel ereptitium ex lege Papia Popæa: item legatum ex lege duodecim Tabularum, ſiue mancipi res ſint, ſiue nec mancipi.

Adquiritur autem nobis etiam per eas perſonas, quas in poteſtate, manu mancipiove habemus.

bomus. Itaque siquidem (mancipio puta) acceperint, aut traditum eis sit, vel stipulati fuerint, id nos pertinet.

Item si heredes instituti sint, legatumve eis sit: & hereditatem iussu nostro adeuntes nobis adquirunt, & legatum ad nos pertinet.

Si seruus alterius in bonis, alterius ex iure Quiritium sit, ex omnibus causis adquiret ei, cuius in bonis est.

Is quem bona fide possidemus, siue liber, siue alienus seruus sit, nobis adquirit ex duabus causis tantum, id est, quod ex re nostra, & quod ex operibus suis adquirit: extra has autem causas, aut sibi adquirit, si liber sit: aut domino, si alienus seruus sit. Eadem sunt & in eo seruo, in quo tantum vsumfructum habemus.

De dominiis] 41. *ff.* 1.

Mancipi sunt] Tollitur differentia rerum mancipi & nec mancipi *tit. Cod. de vsucapione transformanda.*

Mancipi res] mancipium est, quicquid capi communiter ac domari solet, vt homo, equus, ouis. Bestiæ mancipia sunt, cum primum domari incipiunt. *Isidor. Goth. h.*

Elephanti & Cameli] videntur quidem mancipi esse; non sunt tamen: quia feræ bestiæ sunt. *l. 2. §. vlt. ad l. Aquil.* Isidor. Mancipium, inquit, est, quicquid manu capi subdique potest, vt homo, equus, ouis. Hæc enim animalia sta-

tim vt nata sunt, mancipium esse putantur. Nam & ea quæ in bestiarum numero sunt, tunc videntur mancipium esse, quando capi siue domari cœperunt. *Cuiac. hic.*

Elephanti] *adde l. 2. in fin. ff. ad l. Aquiliam.*

Mancipatione] §. 3. §. 4. §. 5. §. 6. *infr.*

Traditione] §. 7. *infr.*

Vsucapione] §. 8. *infr.*

In iure cessione] §. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. *infr. eod.*

Adiudicatione] §. 16. *infr.*

Lege] §. 17. *infr. eod.*

Species alienationis est] eiusque similitudo. 1. *Cai.* 6. §. 3. vnde imaginaria venditio dicitur. *Inst. de testam. ordinand.* imaginaria causa *l. 3. ff. de capite minut.*

Et rerum] particula, &, dispungenda.

Mancipi.] Hac solennitate vtebantur in emancipationibus. *d. l. 3. d.* §. 3. *in testamentis. Inst. de testam. ordinand. in solutionibus. Cicero 2. de legib.* & breuiter Boëthius, quamcunque rem lege 12. tabularum aliter quam per hanc solennitatem non potuisse alienari, testatur: adde *Contium* 1. *disput.* 2. vnde mancipatio inter actus legitimos refertur. *l. 77. ff. de reg. iur. Gothofr. hic.*

Eaque fit certis verbis] exempla sunt *in* §. *praeterea quib. mod. ius potest. solu.* & §. 1. *de testam. ordinand. Pacius hic.*

Eaque fit certis verbis] Hæc solennitas fuit verborum. Qui mancipium accipiebat, æs tenens ita dicebat, Hunc ego hominem ex iure Quiritum meum esse aio: isque mihi emptus est hoc ære æneaque libra. deinde ære percutiebat libram, idque ei dabat, à quo mancipium accipiebat. *vid. Goth. hic.*

Libripende] *Inst. de testam. ordinand.* Libripens libram æneam tenebat.

Latinos colonarios] horum exemplo Iuniani introducti sunt, vt Iustinianus scribit *in tit. de lat. lib.*

Latinos colonarios] Latini libertini ad similitudinem antiquæ Latinitatis (quæ in colonias missa est) videtur esse introducti. *l. vni. C. de Lati. libert. Goth. hic.*

Commercium] commercium est permutatio. *l. ex hoc iure. de iust. & iur.* Ex permutatione originem cepit emtio & venditio: in qua etsi vtrinque merx non sit, vt in permutatione, sed aliud pretium, aliud merx, de ea tamen commercium dicitur frequentissime: inde & mercari, & promercium, & promercalis res. *vide Cuiacium & Pacium hic.*

Quibus commercium] Peregrinis datur ius commercii. *l. 15. ff. de interdict. & releg.*

Emendi vendendique] commercium, ius vendendi, emendi, permutandi. *l. 5. ff. de iustitia.*

Patet tamen interdum latius id vocabulum *l.1.& toto tit.C.de commerc. Goth.hic.*

Traditio] *l.20.C.de pact.*

Traditio proprie] Legendum traditio propria est alienatio rerum nec mancipi. Nec mancipi rerum. *vide Cuiac.hic.*

Ipsa traditione] *d.l.20.*

Vsucapio est dominii adeptio] Modestinus ait *in l.3.de vsurp.& vsucap.* adiectio dominii. mallem, adeptio, vt hoc loco: consueuerunt enim iurisconsulti eisdem rerum definitionibus vti. Equidem quia hæc duo verba tantam inter se affinitatem habent, vt alterum pro altero facile potuerit obrepere: quod etiam possum Vlpiano auctore, non metuo emendare in Modestino, adeptio dominii. Nam & capionis verbo adeptio significatur, non adiectio, ait *Cuiac.& Pacius hic.*

Vsucapio] dicitur etiam vsuscapio, vt & pignoris capio 7. *Gell.* 10.

Dominii adeptio] ita legit Isidorus *5.cap. 25. adiectio.l.3.ff.de vsurpat.*

Rerum mobilium anni] in iure ciuili quæri plerunque solet, vtrum continuus, an vtilis annus sit. Idem & in hoc loco quæri potest. Sed verius est, continuum annum numerari: & hoc Paulus scripserat *in l.nunquam.§.1.de vsurpat.& vsucap.* Qui tamen annus in triennium mutatus est. Tribonianus scripsit, continuum

tempus

tempus, sed debuit & vocem hanc, mobilium, circumscribere. Nam idem prorsus est in vsucapionibus rerum immobilium. Scitum plane est huius erroris causam in Tribonianum conferre. *Cuiac.*

In iure cessio] Tribus verbis omne officium prætoris continetur; Do, Dico, Addico. Dat Iudices, Dicit ius, Addicit, exempli gratia, in cessionibus. Addicit bona libertatũ conseruandarũ causa. Vnde & in antiquis legibus, Manilia, Peducea, Alliena, Fabia, de finibus agrorum, ita legitur, *Deque ea re curatoris, qui hac lege erit, iurisdictio, reciperatorumque datio, addictio esto. Si curator hac lege non erit, tunc quicunque magistratus in ea colonia, municipio, præfectura, foro, conciliabulo, iuridicundo præerit, magistratus de ea re iurisdictio, iudicisque datio, addictio esto.* Cuiac. & Pacius hic.

Per tres personas] Cessio in iure, seu præsente Prætore, ita fit. Is cui res ceditur, rem tenens ita vindicat, hunc ego hominem ex iure Quiritium meum esse aio. Ab his, Prætor interrogat cedentem, an contra vindicet, vel A. F. A. id est, anne fies author. Est enim ita in notis apud Probum A.T.D.Q.C.V. id est, Anne tu dicis qui contra vindicaueris. Quo negante aut tacente, Prætor ei qui vindicasset rem addicebat, idque legis actio vocabatur. Formula addicendi talis esse potuit Q.N.H.E.

H. P. E. V. A. id est, Quando negas, Hunc ego hominem præsenti & vindicanti addico. Potuit etiam ita concipi, Q. N. A. N. N. H. E. H. P. E. V. A. id est, Quando neque ais neque negas, Hunc ego hominem petenti & vindicanti addico. Hinc constat in rei vindicatione, non satis fuisse, possessorem negare intentionem actoris, sed præterea eum debuisse contra vindicare. argum. §. 2. *Instit. de action.* ibi, Possessor autem dominum eius se esse dicat. adde Cont. 1. *disput.* 12. *vid. Goth. h.*

Velut vsusfructus] vsusfructus siue domino cedatur, siue extraneo, cessione finitur. Nam & extraneo cessus, ad proprietatem recurrit. *l. si vsusfructus de iur. dot.* nihil vero agitur in persona extranei. *Cuiac. & Paci. hic.*

Et hæreditas] *vid.* §. 12. *inf. eod.*

Et tutela legitima] *tit.* 11. §. 7. *sup. eod.*

Et libertas] quæ & cessicia. Fit autem vindicta: cedit libertatem dominus, seruus vindicat: Prætor addicit. Verba domini si requiras, ea fuerunt; Hunc hominem liberum esse volo, Festus in voce, manumitti. Verba Prætoris, φαμὲν τὸν παρόντα ἄνθρωπον εἶναι ἐλεύθερον καὶ πολίτην Ῥωμαῖον. Fragmentum indicis Latinogræci in Bibliotheca regia. Interdum etiam fiebat manumissio, sed & absente Prætore, præsente solo eius lictore. *l. 23. ff. de manumiss. vindict. Cuiac. Goth. Pacius hic.*

Vel

Vel antequam adeatur] *vid.* §. 13. §. 14. 15. *inf. eod.*

Is cui cessa] Videtur Legendum, is à quo cessa est, quoniam subinfert, Permanet hæres. Atque facit quidem ab hac coniectura ipsa iuris ratio. Ideo enim tenetur creditoribus, quod adeundo cum eis contraxisse videatur. *l. 3. in fin. l. 4. quib. ex causis in possess. eat.* Ideo ei debitores non tenentur, quod se omni hæredis iure abdicauerit. Sed neque Cessicio hæredi tenentur, quia ei non sunt obligati: attamen emptori hæreditatis vtiles actiones dantur, venditori directæ. *leg. emptor. ff. de hæred. vend.* Aliud ergo est cedere hæreditatem in iure, longe aliud vendere hæreditatem. De cessitia hæreditate in libris Iustiniani mentio, quod sciam, nulla fit. ait *Cuiac. & Pacius h.*

Creditoribus defuncti] Qui debitoris hæreditatem adit, contrahit cum defuncti creditoribus *l. 3. in fin. l. 4. quib. ex caus. in possess.*

Res autem corporales] Dixit de rebus incorporalibus quæ ceduntur in iure, nunc de rebus corporalibus. Quid est igitur, quod ait in extremo huius sententiæ, cui cessa est hæreditas: Malim, cui cessæ sunt. *Cuiac. & Pacius h.*

Res autem corporales] Superius dixit de hæreditate, hic de rebus corporalibus, vt hinc colligas, hæreditatem inter res corporales non adnumerari. Hæreditas iuris nomen. *l. 119. leg.*

178. §. 1 *ff. de verb. signif.* incorporalis, §. 2. *Inst. de rebus corporal. vid. Goth. h.*

Adiudicatione] Idem Iustinianus scribit in extremo *tit. de off. iudic. l. 11. fin. de iurisd. l.* 21. §. 3. *de annuis*: neq; vero vllus est alius casus, in quo iudicis sententia dominium adquiratur.

Per formulam] Nota formulam, id est, actionem, *vt tit.* 25. §. 12. *inf. eod.* adiudicationis familiæ erciscundæ, communi diuidundo, finium regundorum. *Goth. h.*

Familiæ erciscundæ] §. 4. *Inst. de off. iud.*

Communi diuidundo] §. 5. *Institut. de off. iudicis.*

Finium regundorum] §. 6. *Inst. eod.*

Velut caducum] Quid caducum *vid. titul. sup. eod.*

Vel] Hanc particulam Hotomannus 3. *obseru.* 32. expungit.

Ereptitium] Ereptitium, quod quasi indigno aufertur, vt in *l. penult. ff. de iur. fisci.* quadrans eripiatur, & in *leg.* 25. *ff. de vi.* Hæreditas eripietur. *Cuiac.* 6. *obseru.* 37. & fisco statim ipso iure vindicatur *l.* 9. *l.* 18. *l. vlt. ff. de his quæ vt indignis.* Et recte Vlpianus eripiendi verbo potius vsus est, quam auferendi, vt indicaret quasi de manibus auferri quod iam esset acquisitum. *l.* 4. *ff. ne quis eum.* vid. Contium 1. *disput.* 12. sed tamen Hotomannus 3. *obseruat.* 32. legit. *rece-*

receptitium. Quod quid sit vide eundem *d. loco. Gothofr. hic.*

Vel ereptitium] Nescio quid sit ereptitium; nisi id forsitan sit quod alias in causa caduci esse dicitur. Neque enim id cadit à nobis (quandoquidem viuo testatore deficit) sed hæredi eripitur: caduca cadunt à nobis ait *Cuiac. h.*

Ex l. Papia Popæa] Ea lata est de caducis hæreditatibus & legatis, vt Falcidia de modo legatorum.

Item legatum] *l. 47. in fin. ff. de peculio l. 120. ff. de verb. signif.*

Etiam per eas personas] *vid. Instit. per quas person. cuique adquiratur.*

Aut traditum] §. 3. *Inst. per quas person. cuique. l. 10. §. 1. ff. de acquir. rerum.*

Stipulati fuerint] *vid. Instit. & ff. de stipulat. seruor.*

Hæredes instituti sint] §. 3. *Instit. de hæred. instituendis.*

Legatumve] *d.* §. 3. *l.* 39. §. 1. *in fin. l.* 89. §. 2. *ff. de legat.* 1.

Iussu nostro] In hæreditate, nihil mutatum: in legato mutatum: cum inuito seruus acquirat. *d.* §. 3.

Alterius in bonis] Dominus Bonitarius præfertur domino Quiritario. *Cuiac.*

Alterius in bonis] id est, Bonitarius. Theoph. *Inst. de libert.* §. καὶ τοὺς ἐστιν ὢν, ὡς εἶπον φυσικὴ δεσποτεία,

ἢ ἔννομος δεσποτεία, καὶ ἡ μὲν φυσικὴ λέγεται. in bonis ẽ δεσπότης βονιτάριος, ἡ δὲ ἔννομος λέγεται. Iure Quiritium, ex iure Quiritium. *Hac ille*, adde tit. §. 16. *sup. eod. Goth. h.*

Ex operibus suis] Alij dicunt ex operis: sed hoc quoque rectum est, vt auctoribus scriptis libris, *in* §. *de his. per quas person. nob. adq.* §. *item. per quas personas oblig. nob. adq.* Et auctoribus Florentinis in *l. quod seruus de stip. seru. ait Cuiac. & Pac. hic.*

Extra has autem] §. 4. *Instit. per quas person. cuique adquir.*

Tit. XX. De Testamentis.

TEstamentum, est mentis nostræ iusta contestatio, in id solenniter factum, vt post mortem nostram valeat.

Testamentorum genera fuerunt tria: vnum, quod calatis Comitiis, alterum quod in procinctu, tertium quod per æs & libram appellatum est. Illis duobus testamentis abolitis hodie solum in vsu est, quod per æs & libram fit: id est, per mancipationem imaginariam, in quo testamento libripens adhibetur, & familiæ emptor, & non minus quam quinque testes, cum quibus testamenti factio est.

Qui in potestate testatoris est, aut familiæ emptoris, testis ad libræ pensa adhiberi non potest.

potest. quoniam familiæ mancipatio inter testatorem & familiæ emptorem fit:& ob id domestici testes adhibendi non sunt.

Filio familiæ emente, pater eius testis esse non potest.

Ex duobus fratribus qui in eadem patris potestate sunt, alter familiæ emptor, alter testis esse non potest: quoniam quod vnus ex his mancipium accipit, adquirit patri, cui filius suus testis esse non debet:pariter & qui in potestate eius est constitutus. Duo fratres, qui in eiusdem patris potestate sunt, testes vtrique, vel alter testis,alter libripens fieri possunt, alio familiam emente: quoniam nihil nocet ex vna domo plures testes alieno negotio adhiberi.

Mutus, surdus, furiosus,pupillus, fœmina, neque familiæ emptor, neque testis, libripensve fieri potest.

Latinus Iunianus,& familiæ emptor, & testis, & libripens fieri potest: quoniam cum eo testamenti factio est.

In testamento, quod per æs & libram fit, duæ res aguntur, familiæ mancipatio, & nuncupatio testamenti. Nuncupatur testamentum in hunc modum: tabulas testamenti testator tenens ita dicit, Hæc vti his tabulis cerisve scripta sunt, ita do, ita lego,ita testor. Itaque vos

Qui-

Quirites testimonium præbitote, quæ nuncupatio & testatio vocatur.

Filiusfamiliæ testamentum facere non potest: quoniam nihil suum habet, vt testari de eo possit. Sed Diuus Augustus Marcus constituit, vt filius familiæ miles, de eo peculio quod in castris adquisiuit testamentum facere possit.

Qui de statu suo incertus est (facito quod patre peregre mortuo, ignorat se sui iuris esse) testamentum facere non potest.

Impubes, licet sui iuris sit, testamentum facere non potest: quoniam nondum plenum iudicium animi habet.

Mutus, surdus, furiosus itemque prodigus, cui lege bonis interdictum est, testamentum facere non possunt: mutus, quoniam verba nuncupationis loqui non potest: surdus, quoniam verba familiæ emptoris exaudire non potest: furiosus, quoniam mentem non habet, vt testari de ea re possit: prodigus, quoniam commercium illi interdictum est, & ob familiam mancipare non potest.

Latinus Iunianus, item is qui Dedititiorum numero est, testamentum facere non potest. Latinus quidem, quoniam nominatim lege Iunia prohibitus est: is autem qui Dedititiorum numero est, quoniam nec quasi ciuis Romanus testari potest, cum sit peregrinus: nec quasi peregrinus, quoniam nullius certæ ciuita-

uitatis, sciens vt aduersus leges ciuitatis suæ testetur.

Fœminæ post duodecimum annum ætatis testamenta facere possunt tutore auctore donecin tutela sint.

Seruus publicus prætorisve, parte dimidia testamenti faciendi habet ius.

De testamentis] 2. *Instit.* 10. *adde* 4. *Paul. sent.* 4.

Iusta contestatio] 6. *Gell.* 12. *testatio*, *Instit. eod.* μαρτυρία, *Theoph. Inst. de testam. ordin.* sententia *l.* 1. *ff. qui testament.* βούλησις. 25. *Eclog.* 1. *c.* 2. 5. *Harmenop.* 1. *Goth. hic.*

Testamentorum genera] Iure ciuili. Fuit & quartum, iure prætorio. Est & quintum, iure ciuili, prætorio, & principali, iure permixto. *vid.* 15. *Gell.* 27.

Calatis Comitiis] Comitia Calata, pro collegio pontificum habebantur: aut regis, sacrorum, aut flaminum, inaugurandorum causa. Eorum alia curiatis (quæ per lictorem curiatim Calari, id est, conuocari moris erat) Centuriata per Cornicinem. Calatis etiam sacrorum detestatio & testamenta fieri solebant. *Gell.* 15. 27. Calata Comitia bis in anno fieri solita scribit, pacis tempore: Calata dici, quod populus ad ea vocetur. Est enim calari τὸ καλεῖν Theoph. *d. loco.* Is autem qui non vniuersum populum, sed partem aliquam adesse iubet, non comitia,

sed

ſed concilium edere iubet. Centuriata in campo Martio habebantur, non intra pomerium. Illud addendum eſt ex Lælio Fœlice, Curiata Comitia fuiſſe, cum ex generibus omnium, ſuffragium ferretur: Centuriata, cum ex cenſu & ætate. Tributa, cum ex regionibus & locis. 15. *Gell.* 27. *in fin.* videtur tamen Feſtus in voce centuriata, Centuriata & Curiata confundere, *vide Goth. hic.*

In procinctu] cum in prælium exituri eſſent. *Inſt. eod.* §. 1. cum viri ad prælium faciendum in aciem vocabantur 15. *Gell.* 27. *Goth. h.*

Per æs & libram] per familiæ emancipationem, cui æs & libra adhibebatur. 15. *Gell.* 27. §. 1. *Inſt. eod.*

Per emancipationem] 15. *Gell.* 27. *d.* §. 1. *Inſt. eod.*

Imaginariam] *vid. l. vlt. C. de adopt.*

Quam quinque teſtes] *tit.* 19. §. 3. *ſup. eod. Hodie ſeptem adhibendi* §. 3. *Inſt. eod.*

Cum quibus] §. 6. *Inſt. eod.*

Qui in poteſtate] §. 9. *Inſt. eod.*

Ad libræ penſa] Lege, aut libripens. *Cuiac.*

Inter teſtatorem & familiæ emptorem] Et ideo ſeorſim in tabulis hæres ſcriptus (plerunque enim cui fit mancipatio, non fit nuncupatio) ad teſtamentum teſtis adhiberi poteſt: at ſublata mancipatione, ſane creditur hodie, vt recte *Iuſtin. ait in* §. *ſed neque de teſtam. ordin.*

totum

totum hoc negocium inter testatorem & hæredem agi. Proinde hæres, aut qui per potestatem hæredi coniunctus est, testis adhiberi non potest. *Cuiac.h.*

Inter testatorem] *l.20.ff.qui testamenta.*

Ob id domestici] *vid.l.20.ff.de testibus l.3.C. de testam.*

Pater eius] §.8.*Inst.eod.*

Duobus fratribus] *d.*§.8.

Pariter & qui in potestate] Lege, pater & qui in potestate eius est constitutus, & duo fratres, &c. *vid.l pater de test. Cuiac.h.*

Alio familiam emente] Duo fratres in alieno testamento testes esse possunt. *d.*§.8.*in f.l.22.ff. qui testamenta.*

Nihil nocet] *d* §.8.*in f.l.17.ff.de testib.*

Mutus surdus] §. 6. *Inst.eod.*

Furiosus] *d.*§.6.*l.20.*§.4.*ff. qui testam.*

Pupillus] *d. l.3.* §. 5. *l.* 19. *in fin. ff. de testam.d.* §.6.*Inst. eod.*

Fœmina] *v.leg.20.* §. 6. *ff. qui testamenta.l.18. ff. de testam.*

Familiæ emptor] *id est, hæres.*

Latinus Junianus] Quoniam commercium habet, *vt sup.tit.prox.*

Latinus Iunianus] *de quo dictum est tit.1.* §.5. *sup.eod. & tit.3.sup.eod.tit.19.*§.4.*sup. eod.*

Duæres] Quænam agantur in testamento per æs & libram.

Nun-

Nuncupatur] Formula nuncupationis testamentariæ, cui adde *l. 58. ff. de hared. inst.*

Testimonium præbitote] Forsitan rectius legeretur, perhibetote. Apuleius *lib. 2.* Vos in hanc rem, boni Quirites, testimonium perhibetote.

Filiusfamiliæ] *l. 6. l. 16. l. 19. ff. qui testam.*

Diuus Augustus Marcus] superest Marcus, §. 1. *Inst. quib non est permiss. fac. test.*

Miles de eo peculio] *l. 6. in fin. ff. de iniusto. l. 22. ff. de testam. militis.*

Qui de statu] *l. 14. in fin. l. 15 ff. qui testam. l. de statu. de testam.*

Facere non potest] *vid. Nou. Leonis* 40.

Impubes] §. 1. *Inst. quib. non est permis. l. 5. ff. qui testam.*

Mutus surdus] surdus mutus ita natus, testamentũ facere nõ põt. Surdus mutus ita factus, testamentũ facere potest, si sciat litteras. Æque surdus ita natus aut factus testamentum facere potest: Itemque mutus ita natus aut factus, si sciat litteras. Cæterum hæc est Iustiniani constitutio, ex qua in *l. nutu de legat. 3.* additum est, nisi superueniens morbus ei impedimento sit. *l. 6. in fin. l. 7. ff. eod.* §. 3. *Instit. quib. non est. l. 16. ff. eod. &c. de his vide Cuiac. & Goth. h.*

Quoniam Commercium] Quanquam hæc ratio deficit hodie, non tamen habet prodigus testamenti factionem: nimirum quia non tantum

tum commercio ei, sed etiam bonis suis interdicitur. Ait enim prætor, vt est in formula interdictionis: OB EAM REM TIBI EA RE COMMERCIOQVE INTERDICO. EA RE, id est, bonis paternis auitisque. *vid. Cuiac. h.*

Illi interdictum] Formulas interdictionis vid. apud Paul. 3. *sent.* 4. §. 7.

Latinus qui Dedititiorum numero] Hi testari non possunt. *v. C. de latin. libert. tit.* 22. §. 2. *inf.* C. *de dedit. libertate.*

Peregrinus] Peregrinus testamenti factionem non habet, vt hic. nisi accepto vsu togæ, *l.* 31, 32. *ff. de iur. fisci. de his vid. Goth. h.*

Certæ ciuitatis sciens] Leges, certæ ciuitatis ciuis est: vel certæ ciuitatis sit. *Cuiac.*

Vt aduersus leges] Aduersus pro secundum, positum est: vt sit secundum leges. Sic in *tit.* 28. *Bonor. possessio* aduersus tabulas; quæ iuxta tabulas in *tit.* 23. *sic in l. naturaliter de vsur. & vsuc.* Caius ait, Possessionem non tantum aduersus eum interrumpi qui eripit, sed aduersus omnes: id est, non ei tantum vtilem esse vsurpationem qui eripit; sed etiam omnibus: id quod intelligi potest ex *tit. quemad. seruit. amitt.* in quo multis in locis ostenditur, seruitutes vsurpari per socium, & quemcunque possessorem, per eum etiam qui se suo iure vti non putat. *vid. Cuiac. hic.*

Seruus publicus prætorisve] Legendum, seruus publi-

publicus P. Romani, cui non absimilis error est *in tit.* 24. Plus ergo Iuris habent serui publici P. Romani, quam aut ciuitatum, aut priuatorum serui. *vid. Cuiac. & Paci. h.*

Tit. XXI. Quemadmodum heres institui debeat.

HEres institui recte potest his verbis, Titius heres esto, Titius heres sit, Titium heredem esse iubeo. Illa autem institutio, Heredem instituo, Heredem facio, plerisque improbata est.

Cur hæc Institutio plerisque improbata est, HEREDEM INSTITVO, HEREDEM FACIO? vtrum quia sola lex hæredem Instituit, hæredem facit? an quia hæc verba plerisque videntur non esse directa? Sed hæc verborum solennitas abolita est. *l. quoniam C. de testam. vid. Cuiac. & Pac. hoc tit.*

His verbis] Olim ita ius fuit, Hodie quibuscunque verbis institui potest. *l. 15. C. de test.*

Tit. XXII. Qui heredes institui possunt.

HEredes institui possunt, qui testamenti factionem cum testatore habent.

Dedi-

Dedititiorum numero heres institui non potest, quia peregrinus est.

Cum quo testamenti factio non est, si quidem mortis testatoris tempore, vel intra diem cretionis ciuis Romanus sit, heres esse potest: quod si Latinus manserit lege Iunia, capere hereditatem prohibetur. Idem iuris est in persona cœlibis propter legem Iuliam.

Incerta persona heres institui non potest, veluti hoc modo: Quisquis primus ad funus meum venerit, heres esto: quoniam certum consilium debet esse testantis.

Nec municipia, nec municipes heredes institui possunt: quoniam incertum corpus est, vt neque cernere vniuersi, neque pro libito de herede cernere possunt, vt heredes fiant. Senatusconsulto tamen concessum est, vt à libertis suis heredes institui possint. Sed fideicommissa hereditas municipibus restitui potest: idque hoc senatusconsulto prospectum est.

Deos heredes instituere non possumus præter eos, quos senatusconsulto, constitutionibus Principum instituere concessum est: sicuti Iouem Tarpeium, Apollinem Didymæum, sicuti Martem in Gallia, Mineruam Meliensem, Herculem Gaditanum, Dianam Ephesiam, matrem deorum Cybelem, eam quæ Smyrnæ colitur, & Cœlestum Salinensem Carthaginis.

Seruos heredes instituere possumus nostros cum libertate: alienos, sine libertate: communes, cum libertate, vel sine libertate.

Eum seruum, qui tantùm in bonis noster est, nec cum libertate heredem instituere possumus, quia Latinitatem consequitur: quod non proficit ad hereditatem capiendam.

Alienos seruos heredes instituere possumus: eos tamen, quorum cum dominis testamenti factionem habemus.

Communis seruus cum libertate recte quidem heres instituitur, quasi proprius pro parte nostra: sine libertate autem, quasi alienus, propter socii partem.

Proprius seruus cum libertate heres institutus, siquidem in eadem causa permanserit, ex testamento liber & heres fit, id est, necessarius.

Quod si ab ipso testatore viuente manumissus, vel alienatus sit: suo arbitrio, vel iussu emptoris hereditatem adire potest. Sed si sine libertate sit institutus, omnino non constat institutio.

Alienus seruus heres institutus, siquidem in ea causa permanserit, iussu domini debet hereditatem adire. Quod si viuo testatore manumissus, aut alienatus à domino fuerit: aut suo arbitrio, aut iussu emptoris poterit adire hereditatem.

Sui heredes instituendi sunt, vel exheredandi. Sui

di. Sui autem heredes ſunt liberi quos in poteſtate habemus, tam naturales, quam adoptiui: item vxor quæ in manu eſt, & nurus quæ in manu eſt filii, quem in poteſtate habemus.

Poſthumi quoque liberi, id eſt, qui in vtero ſunt, ſi tales ſunt, vt nati in poteſtate noſtra futuri ſint, ſuorum heredum numero ſunt.

Ex ſuis heredibus filius quidem neque heres inſtitutus, neque nominatim exheredatus, non patitur valere teſtamentum. Reliquæ vero perſonæ liberorum, velut filia, nepos, neptis, ſi præteritæ ſint, valet teſtamentum.

Scriptis heredibus adcreſcunt, ſuis quidem heredibus in partem virilem: extraneis autem in partem dimidiam.

Poſthumi quoque liberi cuiuſcunque ſexus omiſſi, quod valuit teſtamentum agnatione rumpitur.

Eos qui in vtero ſunt, ſi nati ſui heredes nobis futuri ſunt, poſſumus inſtituere heredes: ſiquidem poſt mortem noſtram naſcantur, ex iure ciuili: ſi vero viuentibus nobis, ex lege Iulia.

Filius qui in poteſtate eſt, ſi non inſtituatur heres, nominatim exheredari debet: reliqui ſui heredes vtriuſque ſexus aut nominatim, aut inter cæteros.

Poſthumus filius nominatim exheredandus eſt: filia poſthuma, cæteræque poſthumæ

fœminæ vel nominatim, vel inter cæteros: dummodo inter cæteros exheredatis aliquid legetur.

Nepotes & pronepotes, cæterique masculi posthumi præter filiam, vel nominatim, vel inter cæteros cum adiectione legati sunt exheredandi: sed tutius est tamen nominatim eos exheredari: & id obseruatur magis.

Mancipatos liberos cum iure ciuili neque heredes instituere, neque exheredare necesse sit, tamen prætor iubet, si non instituantur heredes, exheredari masculos omnes nominatim, fœminas vel inter cæteros: alioqui contra tabulas bonorum possessionem eis pollicetur.

Inter necessarios heredes, id est, seruos cum libertate heredes scriptos, & suos scilicet necessarios, id est, libertos qui in potestate sunt, iure ciuili nihil interest (nam vtrique etiam inuiti heredes sunt) sed iure prætorio suis & necessariis heredibus abstinere se à parentis hereditate permittitur: necessariis autem tantum heredibus abstinendi potestas non datur.

Extraneus heres, siquidem cum cretione sit heres institutus, cernendo fit heres: siue sine cretione, pro herede gerendo.

Pro herede gerit, qui rebus hereditariis tanquam dominus vtitur: velut qui actionem rerum

rum hereditariarum facit: aut seruis hereditariis cibaria mandat.

Cretio est certorum dierum spacium, quod datur instituto heredi ad deliberãdum, vtrum expediat ei adire hereditatem, necne: velut, *Titius heres esto*, cernitoque in diebus centum proximis, quibus scieris, poterisque: nisi ita creueris, *exheres esto*.

Cernere est verba cretionis dicere, ad hunc modum, Cum me Mæuius heredem instituerit, eam hereditatem adeo cernoque.

Sine cretione heres institutus, si constituerit, nolle se heredem esse, statim excluditur ab hereditate, & amplius eam adire non potest.

Cum cretione vero heres institutus, sicut cernendo fit heres, ita non aliter excluditur, quam si intra diem cretionis non creuerit: ideoque etiam si constituerit nolle se heredem esse, tamen si supersint dies cretionis, pœnitentia actus, cernendo heres fieri potest.

Cretio autem vulgaris dicitur, aut continua. Vulgaris, in qua adiiciuntur hæc verba, Quibus scieris, poterisque. Continua, in qua non adiiciuntur.

Ei qui vulgarem cretionem habet, dies illi dati computantur, quibus scit se heredem institutum esse, & potuit cernere. Ei vero qui continuam habet cretionem, etiam illi dies

computantur, quibus ignorauit se heredem institutum, aut sciuit, sed non potuit cernere.

Heredes aut instituti dicuntur, aut substituti: instituti, qui primo gradu scripti sunt: substituti, qui secundo gradu, vel sequentibus.

Heredes scripti sunt, veluti: Titius heres esto, cernitoque in diebus proximis centum quibus scieris, poterisque: nisi ita creueris, exheres esto: tunc Mæuius heres esto, cernitoque in diebus, & reliqua. Similiter & deinceps substitui potest.

Si sub imperfectam cretionem heres institutus sit, id est, non adiectis his verbis, Si non creueris, exheres esto: sed si ita, si non creueris, tunc Mæuius heres esto: cernendo quidem, superior inferiorem excludit: non cernendo autem, sed pro herede gerendo, in partem admittit substitutum. Sed postea Diuus Marcus constituit, vt & pro herede gerendo, ex asse fiat heres. Quod si neque creuerit, neque pro herede gesserit, ipse excluditur, & substitutus ex asse fit heres.

Testamenti factionem] *l. 52. ff. de hæred. instituendis.*

Quia Peregrinus est] Ex his quæ diximus in tit. XVII. apparet, ita hunc locum emendari oportere, quia peregrinus est, cum quo testamenti factio non est. Latinus Iulianus siquidem

dem mortis, &c. Nam cum Latino proculdubio testamenti factio est: alioquin nec si intra diem cretionis ciuis Romanus fiat, recte hæres instituitur §. *in extraneis de hæred. qual. & diff. aut Cuiac. hic.*

Quia peregrinus] Peregrinus institui non potest, vt hic, sed nec instituere. *tit.* 20. §. 14. *supr. eod.*

Latinus Iunianus] *d.* § 14.

Intra diem cretionis] §. 4. *Institut. de hæred. qualitate.*

In persona cœlibis] *vid. tit.* 14. 15. 16. *sup. eod.*

Incerta persona] §. 25. *Instit. de legat. l.* 69. §. 4. *ff. de iure dot. Paul.* 3. *sentent.* 6. §. 13.

Nec municipia nec municipes] *Plinius lib.* 5. *Epistol.* nec hæredem instituinec præcipere posse, Remp. constat. *Pac. hic & Cuiac.*

Hæredes institui possunt] potest tamen eis legari. *v. l.* 122 *ff. de legat* 1 *l.* 1. §. 5 *ff. ad l. Falcid.*

Incertum corpus] ratio petita *ex* §. 4. *supr. eodem.*

Neque pro libito de hærede cernere] videtur legendum, neque pro hærede gerere: nam aut cretione aut pro hærede geritione hæredes fiunt *vid. Cuiac. & Pacium hic.*

Senatusconsulto tamen] *leg.* 1. *de libert. vniuers.*

Restitui potest] *l.* 26. *ff. de negociis l.* 26. *ff. ad Trebell.*

Idque hoc S.C.] Aproniano, quod factum est temporibus *D. Marci l. omnibus ad Trebel.*

Deos heredes instituere non possumus] Deo tamen relinqui potuit. *l. 5. §. 12. ff. de donat. inter virum l. 1. §. 5. ff. ad l. Fald. Paul. 4. sentent. 3. §. 3.* Quemadmodum & apud Christianos Christus institui potest. *leg. 26. C. de sacrosanct. ecclesiis. Gothofr. hic.*

Sicuti Iouem Tarpeium] Ita dictus à Tarpeio monte. Tarpeius autem appellatus fuit à Tarpeia virgine vestali à Sabinis necata, ibique sepulta. Antea Saturnius mons, & in eo oppidum Saturnium, vnde Saturnia terra. Postremo mons Capitolinus dictus, quod cum fundamenta foderentur ædis Iouis, caput humanum inuentum fuit. Varro 4. *de lingua. vid. Gothofr. hic.*

Apollinem Didymaum] Apollinis templum & oraculum quod Didymis fuit antiquum. Pausanias 7. *in Achaicis*, eiusdem facit mentionem in 2. *seu Corinthiacis.* Adde Strabonem 9. & 11. *Goth. ibid.*

Martem in Gallia] Galli quondam Mercurium coluere maxime, post hunc Apollinem, & Martem & Iouem & Mineruam. Martem bella regere. Marti, cum prælio dimicare constituissent, ea quæ bello cœpissent plerunque deuouebant: quæ supererant animalia capta, immolabant, reliquas res in vnum locum con-

conferebant. *vid. Cæsar. 6. de bello Gallico.* De diis veterum Gallorum *vid. P. Pitheum cap. 1. aduers. 3. Gothofr. hic.*

Mineruam Meliensem] Melitensem, aut à Melio vrbe non procul ab Euphrate. *Cuiac. Paci.*

Herculem Gaditanum] de Gadibus & Hercule vid. Strabonem 3. *in fin.* fuit & alius cognomento Gallus & Ogmius, de quo Lucianus in Hercule.

Dianam Ephesiam] *vid. act. 19. vers. 26. 27.* de templo Dianæ Euseb. 36. Plin. 14.

Et Cœlestum Salinensem] *Tertull. 23. Apolog.* Vnicuique, inquit, etiam prouinciæ & ciuitati suus Deus est, vt Syriæ Astartis, vt Arabiæ Diasares, vt Norico Tibelenus, vt Africę Cœlestus, vt Mauritaniæ reguli sui. & post. Crustuminensium Delventinus, Narniensium Viridianus, Asculanorum Ancaria, Volsiniensium Nursia, Otriculanorum Valentia, Sutrinorum Nortia, Faliscorum Iuno Curilis, & pater Curis. Sed nos soli arcemur à religionis proprietate. Hæc ille. Cui loco visum illud Arnobij 8. adiungere, inde adeo per vniuersa imperia, prouincias, oppida, videmus singulos sacrorum ritus gentiles habere, & Deos colere municipes, vt Eleusinos Cererem, Phrygas Magnam matrem, Epidaurios Æsculapium, Caldæos Belum, Astartem Syros, Dianam Tauros, Gallos

los Mercurium, vniuersa Romanos. Porro quis fuerit Cœlestus, an Deus, an Dea, ambigitur. Petrus Pitheus 1. *aduers*. 4. Deam fuisse ait. Ammianus *lib.* 22. Asclepiades Philosophus cum visendi gratia Iuliani ad id suburbanum venisset, deæ Cœlestis argenteum breue figmentum quocunque ibat secum solitus efferre, ante pedes statuit simulachri sublimes, accensisque cereis ex vsu, fecit. Philastrius Brixiensis in catalogo hæres. Alia, inquit, hæresis in Iudæis, quæ Reginam, quam & Fortunam cœli nuncupant, quam & Cœlestem vocant in Africa. *Tertull. in Apologet.* 29. Ista ipsa virgo Cœlestis, pluuiarum pollicitatrix. Saluianus de Gubernatione, Cœlestis illa. Idem 8. de prouidentia. *Apul.* 4. *Floridor.* Carthago Africæ Musa Cœlestis. vt non iniusta ratione possis dicere legendum esse apud Tertullianum in libro de virginibus, Cœlestis Africæ, non Ceres. *Ambros. 1. epist. ad Valent. vid. Gothofr. Cuiac. Pacium hic. &c.*

Cum libertate] Hodie etiam sine libertate instituere possumus. *Inst. de hæred. instituend. l. penult. C. de necessariis.*

Cum libertate vel sine libertate] si cum libertate socio adcrescit: si sine libertate, seruus communis est hæredis & socii. *l. verum §. si seruum. pro socio. §. 9. l. 49. ad l. Falcid. Paul.* 3. *sent.* 6. §. 4. *Cuiac.*

Ad

Ad hæreditatem capiendam] nisi intra dies cretionis ciuis Romanus fiat.

Eos tamen quorum cum dominis] si cum domino est testamenti factio, est & cum seruo: vice versa, si cum domino non est testamenti factio, nec item est cum seruo *l. seruus hæreditarius. l. non minus. de hæred. instit.* Cæterum ex persona serui id quod relinquitur, valet, id est, si ei libero relictum valeat. Ex quo efficitur, vt seruo legari non possit seruitus ad fundum domini. *l. etsi maxime. de seruitut. leg.* contra vt ei possit legari res domini, quamuis res sua domino legari non possit. *l. debitor. §. seruo. de leg. 2. vide Goth. hic.*

Siquidem] §. 2. *Inst. de hæred. inst.*

Quod si ab ipso testatore] Alienatione, manumissione libertas reuocatur, non hæreditas: cui rei non obstat regula *l. si ita scriptum de lib. & posthum.* talis namq; est: seruo cum libertate ex asse hærede instituto, libertatem seruo eodem testamento à semetipso adimi non posse, vt in *l. sed & si conditioni in fin. de hæred. instit.* Ibidem scriptum est, hæreditatem adimi non posse, quod falsum est, at lego, Qua constitutum est, libertatem. In libertatis & hæreditatis nominibus sæpius legum auctores errare contingit. *Cuiac. hic.*

Vel alienatus sit] Hæc verba, vel alienatus, de-

side-

siderantur apud Iustinianum §. 1. *vers. si verò à viuo testatore. Inst. de hæred. instituend.*

Omnino non constat] Hodie constat ex constitutione Iustiniani *l. penult. C. de necessariis.*

Alienus seruus] *d. §. 1. vers. alienus quoque.*

Sui hæredes] *l. 1. ff. de hæred. inst. Instit. de exhæredat. liberor.*

Tam naturales] Hi sunt sui naturales, reliqui sui non naturales, *vt inf. tit. vlt. Cuiac. & Pacius hic.*

Quæ in manu est] Caius tertio *Inst. apud Ruffinum tit. 16.* Vxor inquit, quæ in manu eius est, Is sua hæres est: quia filiæ loco est. Item nurus quæ in filij manu est, nam & hæc neptis loco est. Sed ita demum erit sua hæres, si filius cuius in manu erit, dum pater moritur, in potestate eius non sit. Idemque dicimus & de ea, quę in nepotis manu matrimonij causa fit, quia proneptis loco est. *Goth. h.*

Posthumi quoque] Pothumi quoque qui si viuo parente nati essent, in potestate eius futuri forent, sui hæredes sunt *Caius d. loc.*

Scriptis hæredibus] Legendum est, sed scriptis eo sensu: iure antiquo, filiarum nepotes, præteriri potuisse, sed nec testamentum ex causa præteritionis infirmasse, cum illis consultum ita foret. Nam scriptis concurrebant: suis quidem in virilem: extraneis in dimidiam. Et hoc est, quod à Triboniano obscure scriptum

ptum est, ius adcrescendi eis ad certam portionem præstitum. *Inst. de exhæred. liber. vers. sed non ita vid. Goth. hic.*

Posthumi quoque liberi cuiuscunque] In natis differentia est sexus & personarum, in posthumis non item. Denique omnes posthumi præteriti si nascantur rumpunt, filij statim ab initio iniustum faciunt: vtrumque fit iure ciuili: iure prætorio vtrisque datur contra tabulas. *Cuiac. & Pacius hic.*

Posthumi quoque liberi cuiuscunque] Vt in eo par sit masculorum & fœminarum conditio. §. 1. *Inst. de exhæredat. liberor.*

Rumpitur] legendum, rumpunt.

Eos qui in vtero] Posthumi sui sunt, qui post mortem, aut post testamentum sui nascuntur, vel quasi nascuntur: nati post mortem ex iure antiquo instituuntur, nati post testamentum ex iure nouo, id est, *l. Iulia Vellea.* De his qui quasi nascuntur non est quæstio an institui possint, quia nati sunt tempore testamenti, de quibus lex Iulia tractat *in 2. cap.* at nati non sui post testamentum, succedentes tamen in locum sui, moribus institui possunt, id est, ex Iuliani sententia. *l. Gallus de liber. & posthum.* Posthumi alieni, iure ciuili, id est, XII. tab. institui non possunt, sed neque eis legari potest: iure prætorio institui possunt: Iure prætorio legata capere non possunt, quia prætori curæ legata

gata

gata non fuere: at fideicommissa capere possunt: ex Iustiniani constitutione cum eis, quasi ex iure ciuili, testamenti factio est. Hæc vt breuia ita absoluta sunt. Ait *Cuiac. hic.* posthumi hæredes institui possunt. *leg.* 4. *l.* 5. *l.* 24. *l.* 27. *l.* 29. *ff. de liber. & posthumis.*

Si quidem post mortem] Duæ posthumorum species. Alij enim post mortem testatoris nascuntur: alij post testamentum viuo testatore. *l.* 3. §. 2. *ff. de iniusto.*

Ex iure ciuili] *id est, legibus* 12. *tabular.* quod ius antiquum à Scæuola dicitur in *l.* 29. §. 7. *ff. de liber. & posthum.* Habita ratione ad *l. Velleam:* *vide Gothofred. hic.*

Ex l. Iulia] Vellea scilicet §. 2. *Inst. de exhared. liber. l.* 29. *ff. de liberis.*

Aut inter cæteros] *Inst. de exhæred. lib. vers. sed non ita, in fin.* Inter cæteros exhæredare, est ἀορίστως siue indefinite exhæredare. Fuit autem hæc formula, Cæteri exhæredes sunto. Theoph. *Inst. de exhæredat. lib. l.* 23. *ff. de liberis*; & opponitur Inter cæteros exhæredatio ei quæ nominatim fit. §. 1. *inf. eod.* Nominatim exhæredatio longe diuersa ab indefinita, & generali exhæredatione, de qua *vid. l.* 2. 3. *ff. de liber. vi. Gothofr. hic.*

Sed tutius est] Ergo posthumæ fœminæ inter cæteros cum adiectione legati, ne per obliuionem omissæ videantur: posthumi mares cuius-

cuiuscunque gradus nominatim. §. *posthumi quoque de exheredat. liber.* superstites, præter filium, inter cæteros sine adiectione legati, quia superstitum non æque obliuiscimur. Sed hæc Iustinianus emendauit. *Cuiac.h.*

Mancipatos] Emancipati, & mancipati recte dicuntur: sed mancipati nomen in malam partem accipi potest. *Plinius libr.* 4. *Epist.* Filium regulus emancipauit, vt hæres matris existeret. Mancipatum (ita vulgo ex moribus hominis loquebantur) fœda & insolita parentibus indulgentiæ simulatione captabat. *Cuiac. & Pac. hic.*

Inter necessarios] sui beneficium abstentionis habent: necessarij beneficium separationis, abstentionis non æque. Separatio facit, vt ne væneant quæ postea sibi hæres adquisierit; abstentio, vt ne sit hæredis loco. *Goth.h.*

A parentis hæreditate permittitur] §. 2. *vers. sed his prætor. Inst. de exhær. lib.*

Cum cretione] id vt fiat *vid.* §. 27. *inf.*

Pro hærede] *vid. l.* 20. *ff. de acquir. hæred.*

Actionem] id est, auctionem *vid. l.* 2. *in fin. ff. de collat. bonor. l.* 48. *ff. de vsurp. leg.* 2. §. 8. *ff. pro emptore.*

Cretio est] Hæreditas acquiritur cretione, aditione, pro hærede geritione, immixtione, agnitione. Cretio, est eorum qui sub cretione hæredes instituuntur. Pro hærede geritio,

eorum qui sine eretione, vel etiam cum cretione imperfecta, ex constitutione D. Marci. Immixtio est necessariorum & suorum. Agnitio nuda hodie & in vsu, tam in ciuili, quam in prætorio iure. §. *vlt. de hæred. qual. & differ.* §. *vlt. de bon. poss.* Sublata est cretio à Constantino in maternis successionibus. *l.* 1. *C. Theod. de matern. bon. & mat. gen. cret. sub.* à *Theodosio penitus. l. cretionum* C. *de iur. deliberandi. leg.* 1. *C. Theodos. de cret. vel bon. poss. Cuiac. h.*

Velut] Formula instituendi cum cretione.

Cernitoque] id est, facito vt videant te esse hæredem. Sic Varro interpretatur in *lib.* 5. *de lingua Latin.* Itaque inquit, in cretione iubent adhiberi testes.

Quibus scieris poterisque] sunt igitur vtiles dies, non continui. *l.* 2. *quis ord. in bon. poss. ser.* Inde M. Tullius *lib.* 1. de oratore de his, credo, rebus, inquit Crassus, vt in cretionibus scribi solet, quibus sciam poteroque. quem fœliciter nobis locum Francisc. Hotoman. emendauit, vir ingenij probi & recti. Et similis error *in lib.* Gratiani, *can. ius Quiritium* 1. *dist.* vbi loco horum verborum, vel curationibus, vel de contractibus, scribendum est, vel cretionibus. *Cuiac. hic.*

Nisi ita creueris] In suo, aut emancipato hærede non scripto exhæredatio valet, quia hic prætorio, ille ciuili iure hæres est: in extra-

nec

neo hærede non scripto exhæredatio inanis est *l. quidam de verb. oblig. l. non putauit. §. si quis emancipatum de bon. poss. contra tab.* in scripto valet, vt in hac formula, & in *l. paterfam. de hæred. instit. l. Seius ad l. Falcid. l. vxorem §. hæres de legat. 3. Cuiac. hic.*

Cernere est] Cernere est quasi decernere, se hæredem esse velle. *l. 3. §. penult. ff. de adquir. hæreditat.*

Ad hunc modum] Formula cernendi. Huius loci vestigia sunt apud Varronem *5. de lingua.* In cretione adhiberi iubet testes, & *lib. 6.* Hæres cum constituit se hæredem esse, dicitur cernere: & cum id fecerit, creuisse. Varroni respondet Cicero 13. ad Atticum, Cretionem fieri testibus præsentibus. Fiebat etiam verbis solennibus, vt hic: *& l. 51. in fin. ff. de adquirend. hæredit.* pure fit: Est enim actus legitimus. *l. 77. de reg. iur.* & semel. *l. 80. fin. de acquir. hæred.* non per alium *l. 90. ff. de adquir. hæredit.* Eius symbolum, digitorum percussio *vid. Goth.* ad epigraphen *tit de verb. oblig. & hic.*

Non aliter] dixi superius, sublatam cretioris scrupulositatem. *l. 17. C. de iur. deliberandi.*

Vulgaris] Legitima, & vtilis, *de cuius effectu vid. §. 32. in fin. inf. eod.*

Continua] Et hoc ideo quod in institutione vulgari cretionis hæc verba adiunguntur, qui-

bus scieris poterisque §. 27. & 31. *sup. eod.* §. 34. *inf. eod.*

Quibus ignorauit] In continua cretione dies currunt ignoranti: in vulgari non currunt.

Aut instituti] *l.* 1. *ff. de vulgari & pupill. Paul.* 3. *sent.* 4. §. 27.

Veluti] Formula hæredis scribendi.

Sub imperfectam] Imperfecta cretio, quoties non expressim exhæredatur, sed alius eius loco instituitur.

His verbis] Formula perfectæ cretionis.

Sed si ita] Formula imperfectæ cretionis.

Non cernendo autem] Nota veterem differentiam cernendi, & pro hærede gerendi. Qui cernebat, excludebat inferiorem: qui pro hærede gerebat, in partem admittebat substitutum.

Ex asse] Qui pro hærede gerit ex asse fit hæres.

Tit. XXIII. Quemadmodum Testamenta rumpuntur.

Testamentum iure factum infirmatur duobus modis, si ruptum, aut irritum factum sit.

Rumpitur testamentum mutatione, id est, si postea aliud testamentum iure factum sit: item agnatione, id est, si suus heres agnascatur, qui

qui neq; heres institutus, neque vt oportet, exheredatus sit.

Adnascitur suus heres, aut agnascendo, aut adoptando, aut in manum conueniendo, aut in locum sui heredis succedendo: velut nepos mortuo filio, vel emancipato: aut manumissione, id est, si filius ex prima secundave mancipatione manumissus, reuersus sit in patris potestatem.

Irritum fit testamentum, si testator capite deminutus fuerit, aut si iure facto testamento nemo extiterit heres.

Si is qui testamentum fecit, ab hostibus captus sit, testamentum eius valet: siquidem reuersus fuerit, iure postliminij: si non ibi decesserit, ex lege Corneliana, quæ perinde successionem eius confirmat, atque si in ciuitate decessisset.

Si septem signis testium signatum sit testamentum, licet iure ciuili ruptum vel irritum factum sit, Prætor scriptis heredibus iuxta tabulas bonorum possessionem dat, si testator & ciuis Romanus, & suæ potestatis cum moreretur fuit, quæ bonorum possessio cum re, id est, cum effectu habetur, si nemo alius iure heres sit.

Liberis impuberibus in potestate manentibus, tam natis quam posthumis, heredes substituere parentes possunt duplici modo: id

est, aut eo quo extraneus, vt si heredes non exstiterint liberi, substitutus heres fiat: aut proprio iure, id est, si post mortem parentis heredes facti intra pubertatem decesserint, substitutus heres fiat.

Etiam exheredatis filiis substituere parentibus licet.

Non aliter impuberi filio substituere quis heredem potest, quam si sibi quis heredem institueret, vel ipsum filium, vel quemlibet alium.

Milites quomodocunque fecerint testamenta, valent, id est, etiam sine legitima obseruatione. Nam principalibus constitutionibus permissum est illis, quomodocunque vellent, quomodocunque possent testari: idque testamentum, quod miles contra iuris regulam fecit, ita demum valet, si vel in castris mortuus sit, vel post missionem intra annnum.

De hac materia vid. *l.28.ff.3.§.1.Institut.quib. mod.testam.*

Aliud testamentum] Alio. *l.1.ff. de iniusto. seu posteriore testamento prius rumpitur* §.2.&3.*Inst. quib.mod.testam.* §.2.*Inst.d.tit.*

Item agnatione] Agnatione ex iure antiquo, si nascantur post mortem ex iure nouo: si in vita: successione, ex iure nouo: nam iure antiquo sui nascuntur, non fiunt. Ait vero lex noua, in

ua, in locum suorum sui hæredes succedunto. *l.Gallus* §. *videndum. Cuiac.* & *Paci. h.*

Aut agnascendo] Quibus modis quis alteri agnascatur, *vid. l.3.ff. de iniusto.*

Aut in locum] *l.13. ff. de iniusto.*

Aut manumissione] filius tribus emancipationibus, & tribus manumissionibus sui iuris fit: cæteri liberi vna emancipatione. Singulæ manumissiones aliis diebus, aliisque adhibitis testibus fieri possunt. Auctore Paul. *lib. 2. sent.* Igitur post primam & secundam manumissionem filius præteritus rumpit testamentum patris, quia in eius potestatem reuertitur. Cæteri liberi semel emancipati, iam amplius non redeunt in potestatem, & ideo nec patris testamentum rumpunt *l. verum.* §. *vlt. de iniusto testam. Cuiac.* & *Pacius hic.*

Irritum] *l.6.* §. *5. ff. de iniusto.*

Capite diminutus] §. 4. *Instit. quib. mod. testament.*

Siquidem reuersus] Fictione postliminij fingitur in ciuitate semper fuisse qui rediit. Fictione vero Cornelia fingitur quis captiuitatis suæ tempore decessisse.

Si non ibi] Legendum, si vero.

Ex lege Corneliana] Ex lege Cornelia, vtrumque fit fictione quadam: nam reuera captiuitate, irrita testamenta fiunt. Duplex igitur est fictio, Postliminij, & Corneliæ, hæc iuris ci-

uilis est: illa iuris gentium: hæc retro fingit tempore captiuitatis eum decessisse, qui non rediit; illa vero in ciuitate fuisse eum, qui rediit. *Lex 12. tab.* ciuibus Romanis constituit hæredes testamentarios & legitimos: Lex Cornelia captiuis. *Cuiac.h.*

Si septem] §.*6.Inst.quib.mod.test.*

Signatum] *l.12.ff.de iniusto.*

Si nemo alius] Iure legitimo, vel ab intestato. Quod si alius iure hæres sit, vt si existat filius præteritus, secundum tab. bonorum poss. erit sine re. Verum enim quia vtcunque secundum tab. dari potest, quamuis iure ciuili nullum sit *testam. iure prætor.* necessaria est filio contra *tab. bonor. possessio.* Restat autem ex iniusto, nullo, rupto agnatione, detur *bonor. poss.* item ex irrito, si modo reuersus testator in antiquum statum, non mutata voluntate è vita decesserit. Nam tria exigit prætor: vt non minus quam septem testium signis obsignatum sit testamentum: vt is cuius bonorum possessio datur, mortis & testamenti tempore testamenti factionem habuerit: denique vt supremum testamentum sit. §. *non tamen. quib. mod. test. infirm. l.1. de bonor. poss. secundum tab. Cuiac.hic.& Pacius.*

Cum re] Hoc explicatur *in tit. 28. l.filius C.de inofficioso.*

Liberis] *v.Inst. de pupillari substit.*

Pro-

Proprio iure] Hæc est pupillaris substitutio, illa vulgaris: hæc moribus, illa 12.*tab. introducta est*: hæc pubertate. illa aditione finitur: Hac succeditur pupillo, illa testatori, hæc fit in euentum adquisitæ hæreditatis & mortis, aut in euentum mortis duntaxat: illa in euentum non adquisitæ hæreditatis. Ex constitutione autem diuorum fratrum omnis substitutio facta pupillo, duplex est. *vid. Cuiac. h.*

Exheredatis filiis] substitutio plerunque æstimatur ex ratione successionis: hæc ex ratione scripturæ æstimatur, non successionis. Proinde in ea ordo scripturæ obseruatur: & ita intelligendum est initium §. *prius l. moribus, vtpote cum pendeat ex* §. *quisquis.* & §. interdum, quos si quidem quis diligenter excutiat, inueniet ad eam duntaxat substitutionem pertinere, quæ fit exhæredato. Ac inde in *fin.* §. *prius. ait*, quod igitur dictum est, etiam exhæredatis liberis (sic enim legendum esse scio) substituere licet, ideo adiectum est, vt declaretur, non esse à filij impuberis testamento incipiendum: quandoquidem si ab eo incipias exhæredato, hoc non est substituere. Denique odiosa hæc substitutio est *l. cum quidam. C. de legatis.* & ideo rigor iuris, id est, ordo scripturæ, qui in cæteris relaxatur, in ea diligenter custoditur. Sunt & quam plurima alia exempla substitutionum, quæ ex scriptura æstimantur, non

successione: vt in formula Galli, in specie *l. cum ex filio* §. *vlt. l. sed si plures* §. *vlt. l. vlt.* §. 1. *de vulgari subst.* vt vere quis ita statuere possit. Substitutus est is, qui secundo loco scriptus est, quamuis ei non succedat qui primo loco heres scriptus est. Substitutus est is, qui secundo loco scriptus est, etiamsi ei post mortem testatoris primo deferatur hereditas. Substitutus est is, qui semel atq; iterum heres scriptus est, quamuis ei non nisi semel deferatur hereditas. *Cuiac. hic.*

Exheredatis] *l.* 1. §. 2. *ff. de vulgari* §. 4. *Inst. de pupillari.*

Quam si sibi] *d. l.* 1. §. *vltim.* §. 5. *Instit. de pupillari.*

Quomodocunque fecerint] *vers. quoquo enim modo*, & §. 1. *Instit. de militari. l.* 1. *ff. de testament. milit.*

Principalibus] Iulij Cæsaris: Titi, Domitiani, Neruæ, Traiani. *d. l.* 1.

In castris] §. 3. *Inst. de militari.*

Intra annum] *d.* §. 3. *vers. & quod in castris in fin. l.* 21. *ff. de testam. milit.*

Tit. XXIV. De Legatis.

LEgatum est, quod legis modo, id est, imperatiue, testamento relinquitur. Nam ea

quæ

quæ precatiuo modo relinquuntur, fideicommissi vocantur.

Legamus autem quatuor modis, per vindicationem, per damnationem, sinendi modo, per præceptionem.

Per vindicationem, his verbis legamus, *Do, lego, capito, sumito, siue habeto.*

Per damnationem his verbis: *Heres meus damnas esto dare, dato, facito, heredem meum dare iubeo.*

Sinendi modo ita, *Heres meus damnas esto sinere, Lucium Titium sumere illam rem, sibique habere.*

Per præceptionem sic, *Lucius Titius illam rem præcipito.*

Per vindicationem legari possunt res, quæ vtroque tempore ex iure Quiritium testatoris fuerunt, mortis, & quando testamentum faciebat: præterquam si pondere, mensura, numero contineantur: in his enim satis est, si vel mortis duntaxat tempore fuerint ex iure Quiritium.

Per damnationem omnes res legari possunt, etiam quæ non sunt testatoris, dummodo tales sint, quæ dari possint.

Liber homo, aut res populi, aut sacra, aut religiosa, nec per damnationem legari potest: quoniam dari non potest.

Sinen-

Sinendi modo legari possunt res propria testatoris, & heredis eius.

Per præceptionem legari possunt res quæ etiam per vindicationem. Si ea res quæ non fuit vtroque tempore testatoris ex iure Quiritium, per vindicationem legata sit, licet iure ciuili non valeat legatum, tamen senatusconsulto Neroniano firmatur: quo cautum est, vt quod minus pactis verbis legatum est, perinde sit, ac si optimo iure legatum esset.

Optimum autem ius legati per damnationem est. Si duobus eadem res per vindicationem legata sit: siquidem *disiunctim*, singulis in solidum debentur: si vero coniunctim, velut *Titio & Seio, hominem Stichum do, lego, iure ciuili concursu partes fiebant.* Non concurrente altero pars eius alteri adcrescebat. Sed post legem Papiam Popæam, non capientis pars caduca fit.

Si per damnationem eadem res duobus legata sit, siquidem coniunctim singulis partes debentur, & non capientis pars iure ciuili in hereditatem remanebat, nunc autem caduca fit: quod si disiunctim, singulis in solidum debetur.

Optione autem legati, per vindicationem data, legatarii electio est, veluti, *Hominem optato, eligito.* Idemque est, & si tacite legauerim,

Titium

Titium hominem aut decem heres meus dato: hominem dare heredis electio est.

Ante heredis institutionem legari non potest: quoniam & potestas testamenti ab heredis institutione incipit.

Post mortem heredis legari non potest, ne ab heredis herede legari videatur: quod iuris ciuilis ratio non patitur. In mortis autem heredis tempus legari potest: velut *cum heres morietur*.

Pœnæ causa legari non potest. Pœnæ autem causa legatur quod coërcendi heredis causa relinquitur, vt faciat quidem aut non faciat, non vt legatum pertineat: vt puta hoc modo, *Si filiam tuam in matrimonio Titio conlocaueris, decem millia Seio dato*.

Incertæ personæ legari non potest: veluti, *Quicunque filio meo filiam suam in matrimonio conlocauerit, ei homini tot millia dato*. Sub certa tamen demonstratione incertæ personæ legari potest velut, *Ex cognatis meis qui nunc sunt, qui primo ad funus meum venerit, ei heres meus illud dato*.

Neque ex falsa demonstratione, neque ex falsa causa legatum infirmatur. Falsa demonstratio est, velut, *Titio fundum, quem à Titio emi, do lego*, cum fundus à Titio emptus non sit, falsa causa est: velut, *Titio, quoniam negotia mea cura-*

curauit, fundum do, lego, vt negotia eius nunquam Titius curasset.

A legatario legari non potest.

Legatum ei tantum dari potest, qui extraneus est. Ideoque filio familiæ heredi instituto, vel seruo, neque à patre, neque à domino legari potest.

Heredi à semetipso legari non potest.

Ei qui in potestate, manu, mancipiove est scripti heredis, sub conditione legari potest: sed requiritur vt quo tempore dies legati cedit, in potestate heredis non sit.

Ei cuius in potestate, manu, mancipiove est heres scriptus, legari non potest.

Sicut singulæ res legari possunt, ita vniuersarum quoque summa legari potest: vt puta, *Manius heres meus cum Titio hereditatem meam partito, diuidito*: quo casu dimidia pars bonorum legata videtur. Potest autem & alia pars, velut tertia vel quarta legari: quæ species Partitio appellatur.

Vsusfructus iure ciuili legari potest earum rerum, quarum salua substantia vtendi fruendi potest esse facultas, & tam singularum rerum, quam plurium, id est, partis.

Senatusconsulto cautum est, vt etiamsi earum rerum quæ in abusu continentur, vt puta vini, olei, tritici, vsusfructus legatus sit, legatario res tradantur cautionibus interpositis de resti-

restituendis eis, cum vsusfructus ad legatarium pertinere desierit.

Ciuitatibus omnibus, quæ sub imperio Prætoriani sunt, legari potest: idque à Diuo Nerua introductum, postea à Senatu autore Adriano diligentius constitutum est.

Legatum quod datum est, adimi potest, vel eodem testamento, vel codicillis testamento confirmatis: dum tamen eodem modo adimatur, quo modo datum est.

Ad heredem legatarii legata non aliter transeunt, nisi si iam die legatorum cedente, legatarius decesserit.

Legatorum quæ pure vel in diem certum relicta sunt, dies cedit: antiquo quidem iure, ex mortis testatoris tempore: per legem autem Papiam Popæam, ex apertis tabulis testamenti: eorum vero quæ sub conditione relicta sunt, cum conditio extiterit. Lex Falcidia iubet, non plus quam dodrantem totius patrimonii legari, vt omni modo quadrans integer apud heredem remaneat.

Legatorum perperam solutorum repetitio non est.

De legatis] *vid.* 2. *Instit.* 20. *Caius* 2. *tit.* 5. 5. *Harm.* 18.

Id est imperatiue] Imperatiua verba, directa, Heredem facio, instituo. *l.* 15. *C. de testam.* eadem ciuilia dicuntur. *l.* 7. *ff. de vulgari.* opponun-

nuntur precariis, inflexis, & obliquis, fidei-commissariis, quæ & ἐγκλητικοῖς, de quibus vid. Paul. 4 *sent.* 1. §. 6. *Goth. h.*

Quatuor modis] §. 1. *Inst. de legat.* 2. *Caius* 5. §. 1. 2. 3. *&c.*

Per præceptionem] Hoc modo hæredibus legatur, vt in iudicio id familiæ erciscundæ, quod legatum est, præcipiant; hoc & prælegatum dicitur, & præcipuum. Sid. *Apol. lib.* 6. Epist. Illud autem deberi tibi quodam, vt Iurisconsulti dicunt, præcipui titulo. *Cuiac. hic & Pac. vid.* 2. *Cai.* 5. §. 8. *&* 2. *Institut. de legat. Paul.* 3. *sent.* §. 5.

Per vindicationem] 2. *Caius* 5. §. 2. §. 2. *Inst. de legat. Paul.* 3 *sent.* 6. §. 3. *&* 7.

Per damnationem] 2. *Caius* 5. §. 3. 4. 5. 6. §. 2. *Inst. de legat. Paul.* 3. *sent.* 6. §. 3. *&* 10

Sinendi modo] 2. *Caius* 2. §. 7. §. 2. *Inst. de legat. Paul.* 3. *sent.* 6. §. 11.

Vtroque tempore] §. 11. *inf. eod.*

Testatoris fuerunt] Et ita per vindicationem res aliena relinqui non potest. 2. *Caius* 5. §. 3.

Etiam quæ non sunt testatoris] id est, alienæ. 2. *Caius* 5. §. 3.

Quoniam dari] Quod dari non potest, per damnationem relinqui non potest.

Et hæredes eius] non etiam alienæ: quod tamen perperam additum est apud Caium *lib.* 2. *Inst. tit. de legatis.*

Qua

Quæ etiam per vindicationem] Hæc ita distinguenda sunt, quæ etiam per vindicationem. Si ea res, &c. *Cuiac. h.*

Vt quod minus pactis] id est, solennibus conceptis & legitimis verbis. Cicero pro Rosc. Comœ. Non enim ex pactione verborum, quibus iusiurandum comprehenditur. Arnob. *lib. 7. contra gentes*. Quam cum pactionibus adorat & formulis. *Cuiac. h.*

Optimum autem ius] Nempe quia laxius & expeditius est, Sic optimum ius vsurarum, in *l. 1. C. de vsur.* optimum ius possessionis. *l. fideiussor. §. pater de vsur. l. 26. §. 1. ff. de pignoribus. Cuiac. & Goth. hic.*

Si duobus eadem res] Hæc quoque diuelli debent à superiore sententia.

Si quidem disiunctim] Disiunctim legatur, si re tantum legatarij iungantur: coniunctim, si re & verbis. *§. si eadem de leg. tit. C. de cad. tollend. tit. de vsufr. adcresc.* verborum coniunctio aut pro nihilo, aut pro duplici coniunctione accipitur. *Cuiac. hic.*

Singulis in solidum] Legendum, singulis partes debentur: & hoc Iustinianus indicat in §. *sui autem disiunctim C. de caduc. toll. Paul. in sent. Caius in Instit.*

Non currente] Legendum, non concurrente.

Si per damnationem] Re coniuncti sunt qui-

 bus

bus eadem res disiunctim per vindicationem legatur, quoniam à principio solidum concursu partes habent. proinde re coniunctis adcrescit deficientium portio, idque sine onere. Re coniuncti non sunt, quibus eadem res disiunctim per damnationem legatur, quoniam solidum singulis debetur, vni res, alteri precium: ideoque nec ius adcrescendi inter se habent. Sed ex constitutione Iustiniani eodem iure est damnationis, quo & vindicationis, legatum. Re & verbis coniuncti sunt quibus eadem res coniunctim per vindicationem legatur. nam & concursu partes habent, & ideo ius inter eos accrescendi est, cum onere tamen. Re & verbis coniuncti non sunt, quibus eadem res coniunctim per damnationem legatur: quoniam singulis ab initio partes debentur: proinde siue disiunctim, siue coniunctim per damnationem legatum sit, nunquam inter eos versatur ius accrescendi. Ius accrescendi cum dicimus, ius antiquum dicimus. Ius caduci, ius nouum est; & hæc est sententia huius loci. Hinc vero apparet *l. coniunctim de legat. 3. de legato vindicationis l. plane §. si coniunctim de legat. 1. de legato damnationis, accipiendam esse.* Sed hoc ideo in eis locis suppressum est, quod iam sublatæ essent à Iustiniano legatorum differentiæ: non tamen ita ab eis locis sublatæ sunt, vt hæc manifesto non supersint huius

huius differentiæ vestigia, quæ prima specie, quasi contra se stare videantur, vt planè iam ex eo appareat, quam hebetes aut indiligentes fuerint hi, quibus studium fuit Pandectarum capita ex veterum Iurisconsultorum libris decerpere. Cæterum & id quod diximus de legato damnationis, nominatim traditur *in l.* 7. *de legat.* 2. vnde & *in l. huiusmodi.* §. *si Titio. l. si duobus. de legat.* 1. optimo iure legatum fuisse necesse est vt statuamus: alioquin pars vacans adcrescit coniuncto, cum quo partes per concursum fiunt. Quod deinde sequitur *in* §. *si coniunctim*, sed si in pupillari, ad re coniunctos pertinet, qui concursu partes habent, vnde in extremo ita scriptum oportuit, interim igitur totum. Quod & Azo & Hugolinus intellexere. *vid. Cuiac. hic.*

Siquidem coniunctim] 2. *Caius* 5. §. 5.

Quod si disiunctim] 2 *Caius* 5. §. 6.

In solidum debetur] Hoc innuit in legato per vindicationem disiunctim facto singulis partes deberi: in damnationis legato, singulis solidum deberi. *vid. Paul.* 3. *sent.* 6. §. 3. *in fin. Gothofr. hic.*

Optione autem legati] Hic locus mirum in modum deformatus est. Ipse ratione iuris ductus sic emendaui. Optione autem legati per vindicationem data, legatarii electio est: veluti, Hominem optato, eligito. Idemque est si tacite

legauerim Titio hominem. At si ita, Hæres meus damnas esto hominem dare, electio est. Si tacite, id est, non data optione. Homine igitur per vindicationem generaliter legato, legatarii electio est. *l.legato.de legat.1.per damnationem hæredis.l.si à substituto.§ 1.eod.* similiter in disiunctiuis legatis electio est legatarij, si per vindicationem *l.plane §.penult.de legat.1.l. Lucio de legat.2.* hæredis, si per damnationem. *l.si is cui.l.si ita relictum.§.vlt.de legat.2.* Et hæ quidem duæ diffetentiæ non sunt sublatæ, quia inducuntur ex voluntate testatoris. *Cuiac. & Pac.hic.*

Legari non potest] *Paul.3.sent.6.§.2. hodie potest.§.34.Inst.de legat.*

Institutione] *l.1.in fin.ff. de vulgar.l.vlt.ff. de iur.Codic.*

Legari non potest] *Paul.3.sentent.6.§.6.* Hodie potest, *§.35.Inst.de legat.*

Hæredis] & suæ. *Paul.3.sent.6.§.6.*

Cum hæres moriatur] Morietur. *Paul. d. loco.*

Pœnæ causa] Quemadmodum superiores duæ sententiæ, ita vt hæc à Iustiniano sublata est. Hodie igitur valet legatum tale, Hæres meus si Stichum alienauerit, Caio centum dato. Non idem est, si impossibile, probrosum, illicitum sit legatum: Veluti, si mare non ebiberis, Titio centum dato. Si sororem vxorem non

duxe-

duxeris, aut si pupillo filiam nuptum non collocaueris, Titio centum dato. §. *fin. de legat. in l. 1. de his quæ pœn. caus. relin.* Hæc verba, Illicite vel probrose, sunt Triboniani. *Cuiac. hic & Pac.*

Pœnæ causa] §. 36. *Inst. de legat. l. vnic. C. de his quæ pœnæ nomin. l. 1. l. 2. & seqq. ff. de his quæ pœnæ causa.*

Coercendi hæredis causa] Pœnæ nomine relinquitur, non in gratiam legatarij, sed in odium hæredis.

Vt faciat quidem] Puto legi debere, Quid, non quidem.

Incerta persona legari] vt & fideicommitti, *tit. 25. §. 13. inf. eod. d. §. 36. Paul. 5. sentent. 6.* § 13.

Non potest] hodie potest. §. 25. *Inst. de legat.*

Sub certa] *d. §. 25. vers. sub certa vero demonstrat.*

Incerta legari] id est, ex certis personis incertæ. *d. vers. sub. certa.*

Falsa demonstratione] §. 30. *Inst. de legat. vid. l. 33 ff. de condit. & demonstr.*

Falsa causa] §. 31. *Instit. de legat. l. 72. §. 6. ff. de condit. & demonstr.*

Vt negocia] Lege, cum negocia.

Legatario legari non potest] Hodie potest. *leg. 69. l. 91. §. 4. ff. de legat 1. leg. 2. in fin. Cod. comm. de legat.*

Legatum ei tantum dari potest] Hic quoque

locus valde corruptus est: Lego, Legatum ab eo tantum dari potest, qui ex sua persona hæres est, Ideoque, &c. quæ sequuntur *Cuiac. & Paci. hic.*

Hæredi à semetipso] *l.* 18. *l.* 34. §. 11. *l.* 116. §. 1. *ff. de legat.* 1. *l.* 34. §. 1. *in f. ff. de legat.* 2.

Qui in potestate manu mancipiove] In potestate est filius familias tit. 5. & 10. *sup. eod.* in manu vxor, materfamilias. *tit.* 9. *sup. eod. in* mancipio seruus §. 24. *Instit. de legat. Cuiac. & Gothofred. hic.*

Legari non potest] *tit.* 25. §. 12. *inf. eod.* aut id mutatum est *l.* 25. *ff. de legat* 1. aut expungenda negatio.

Singulæ res] vid. *Inst. de sing. reb. per fideicommiss. relict.*

Partitò diuidito] Malim Partito, diuidito. Quo casu dimidia pars bonorum. *leg. nomen* §. *partitionis de verb. signif.* Partiarius legatarius, partis suæ commodo, & pro parte sua onera sustinere debet. *l. cum filius* §. 1. *l. si quis seruum* §. *fin. de legat.* 3. & in eam rem partis, & pro parte stipulationes interponuntur. §. *sed quia: de fideicommissariis hæreditat. & in tit. prox.* Quod si ita legatum sit, Bonorum meorum partem tertiam, non est partitio. Non affero capita legum quæ sunt notissima. ait *Cuiacius hic & Paci.*

Parti-

Partitio appellatur] de Partitione vid. *Goth. ad l.164.§ 1.ff. de verb.significat.*

Vsusfructus iure ciuili] *vid. ff. de vsu & vsufruct. legat.* §. 1. *Institut. de vsufruct. leg. 3. ff. de vsufruct.*

Salua substantia] hoc enim vsus fructus definitione continetur *Inst. de vsufr. l.1. ff. eod.*

Id est partis] *l.41. ff. de vsufr. & quemadm.*

Senatusconsulto] Huius S. C. *fit mentio in tit. de vsufruct. ear. rer. l.1. l. vxorem de vsufruct. legat. l. vlt. vsufruct. quemadm. caueat. l. vsufruct. ad l. Falcid. l.1. C. de vsufruct.* §. *constituitur. Inst. eod.* S. C. opus fuit, quia neque naturali, neque ciuili iure earum rerum est vsusfr. quæ sunt in abusu. Senatus autem id satisdationibus explicat: quæ in rebus difficillimis certissima sunt iuris subsidia. *leg. vsufructu solut. matrimon. Cuiac. hic.*

Ciuitatibus] *vid. Gothofred. ad l. 122. ff. de legat.* 1.

Prætoriani] Legendum, P. Romani. *l. omnibus ad Trebell.*

Authore Adriano] Imo fortasse Marco *l. cum Senatus de rebus dub.* Etenim in Propriis nominibus facillimus auctorum lapsus. Non male tamen videtur legendum post, Senatusconsulto Aproniano, vt & Paulus libro singulari de Senatusconsultis scribit *in l. 26. ff. ad Trebell. Cuiac. & Gothofr. hic.*

Adimi poteſt] *vid. Inſt. de adempt. legator. ff. de adimen. legat.*

Vel codicillis] *Inſt. de adempt. legator. in princ. l. pen. §. 1. ff. de adimend.*

Dum tamen eodem modo] ſic de libertate in *tit.* 2. exempla hæc ſunto, Do, lego, non do, non lego, hæres dato, hæres ne dato. *l. niſi de accept.* ergo nec alij vlli quam cui datum eſt. *l. legatum. de adi. leg. Cuiac. h.*

Dum tamen eodem modo] Nihil hodie intereſt an contrariis verbis, an quibuſcunque fiat. *Inſt. d. loco.*

Niſi ſi iam] *vid. tit. ff. quando dies legator.*

Legatorum quæ pure] Legati conditionalis poſt euentum conditionis: puri vel in diem antiquo iure, à morte teſtatoris: ex lege Papia, ab apertis tabulis dies cedit. Hodie ius vetus ſequimur ex regula Catoniana quæ ad nouas leges, id eſt, Iuliam & Papiam non pertinent. *l. vlt. ff. de regul. Catoniana. Goth. h.*

Ex apertis tabulis] ſunt huius iuris veſtigia quædam in *l. eum qui poſt. l. in teſtamento. de cond. & demonſtr. l. fin. de donat. cauſ. mort. l. 3. §. final. l. qui ſoluendo, de hæred. inſtit.* Hodie vero ius antiquum ſequimur, cuius iuris regula quędam eſt Catonis regula: ad ea namque pertinet, quæ à morte teſtatoris cedunt: ad nouas leges, id eſt, ad leges Papias non pertinet, ex quibus ex apertura tabularum legata cedunt. *l. vlt.*

l.vlt.de regul. Caton. nam neque ad ea pertinet, quæ ab aditione, vel ab euentu conditionis cedunt. *Cuiac.hic.*

Dodrantem] *vid.l.1.ff.ad l.Falcid.*

Repetitio non est] Imo repetitio est. *l.2. & 3. de condict. indeb. l.fideicommissum. C. eod. l.error, C. ad l.Falcid. & in Paul.sentent.lib.3. tit.6.* Aut igitur hæc sententia accipienda est de legatis damnationis: quibus adiici possunt legata incertis personis soluta. §. *final. de obligat. quæ ex cont.* §. *incertis de leg.* aut quod magis est negatione abundat. *vid.Goth.& Cuiac.h.*

Tit. XXV. De Fideicommissis.

Fideicommissum est, quod non ciuilibus verbis, sed precatiue relinquitur: nec ex rigore iuris ciuilis proficiscitur, sed ex voluntate datur relinquentis.

Verba fideicommissorum in vsu fere sunt hæc, Fideicommitto, peto, volo dari, & similia.

Etiam nutu relinquere fideicommissum in vsu receptum est.

Fideicommissum relinquere possunt, qui testamentum facere possunt; licet non fecerint. Nam intestatus quis moriturus, fideicommissum relinquere potest.

Res per fideicommissum relinqui possunt, quæ etiam per damnationem legari possunt.

Fideicommissa dari possunt his, quibus legari potest.

Latini Iuniani fideicommissum capere possunt, licet legatum capere non possint. Fdeicommissum & ante heredis institutionem, & post mortem heredis, & codicillis, etiam non confirmatis testamento, dari potest, licet legari non possit.

Item Græce fideicommissum scriptum valet, licet legatum Græce scriptum valeat.

Filio qui in potestate est, seruove heredibus institutis, seu si his legatum sit, patris vel domini fidei committi potest, quamuis ab eo legari non possit. Qui testamento heres institutus est, codicillis etiam non confirmatis rogari potest, velut hereditatem totam, vel ex parte alii restituat, quamuis ex directo heres institui, ne quidem confirmatis codicillis possit.

Fideicommissa non per formulam petuntur, vt legata: sed cognitio est Romæ quidem Consulum, aut Prætoris, qui fideicommissarius vocatur: in prouinciis vero, Præsidum prouinciarum.

Pœnæ causa certæ vel incertæ personæ, ne quidem fideicommissa dari possunt.

Is qui rogatus est alii restituere hereditatem,

tem, lege quidem Falcidia locum non habent, quoniam non plus, puta quam dodrantem, restituere rogatus est, ex Trebelliano senatusconsulto restituit, vt ei & in eum dentur actiones, cui restituta est hereditas. Lege autem Falcidia interueniente, quoniam plus quam dodrantem, vel etiam totam hereditatem restituere rogatus sit, ex Pegasiano senatusconsulto restituit, vel deducta parte quarta, ipse qui scriptus est heres, hereditatem restituat, & in ipsum actiones conseruentur, is autem qui recipit hereditatem legatarii loco habeatur.

Ex Pegasiano senatusconsulto restituta hereditate, commoda & incommoda hereditatis communicantur. Inter heredem, & eum cui reliquæ partes restitutæ sunt interpositis stipulationibus ad exemplum partis & pro parte stipulationum. Partis autem & pro parte stipulationes propriè dicuntur, quæ de lucro & damno communicando solent interponi inter heredem & legatarium partiarium, id est, cum quo partitus est heres.

Si heres damnosam hereditatem dicat, cogetur à Prætore adire & restituere totam, ita vt ei & in eum qui recipit hereditatem actiones dentur, perinde atque si ex Trebelliano senatusconsulto restituta fuisset: idque vt ita fiat, Pegasiano senatusconsulto cautum est.

Si quis in fraudem tacitam fidem adcommodauerit, vt non capienti fideicommissum restituat, nec quadrantem eum deducere Senatus censuit: nec caducum vindicare ex eo testamento, si liberos habeat.

Libertas dari potest per fideicommissum.

De fideicommissis] *6. Cod. 42. 2. Caius 7. & Paul. 4. sent. 1. adde §. 2. Inst. 21. de sing reb.*

Non ciuilibus] directis verbis, vt *in l. 7. ff. de vulgar. substit.*

In vsu fere hæc sunt] adde Paul. *4. sent. 1. §. 6. & vlt. Inst. de sing. reb.*

Etiam nutu] *l. 21. ff. de legat. 3. l. 22. Cod. de fideicommissis.* Secus tamen est in legato iure antiquo. Nutu quæ fieri possint *vid. Goth. ad l. 52. in fin. ff. de obligat.*

Fideicommissum relinquere] Idem *Vlpianus in l. 2. de legat.* 1. quæ si quærantur exempla, coniungenda est cum *l. 1. de legat. 3.* nam ex eodem libro sunt ambæ.

Qui testamentum facere] Qui testari potest, fideicommittere potest. *Gothofred. ad l. 2. ff. de legat. 1.*

Intestatus quis] *Paul. 4. sent. 1. §. 4. Inst. de fideicommiss. hæred.*

Quæ etiam per damnationem] *tit. 24. §. 8. 9. sup. eod.*

Latini Iuniani] *de quib. vid. sup. tit. 3. eod.*

Ante

Ante hæredis institutionem] Quod olim non fuit in legato. *tit.*24.§.15 *sup. eod.*

Post mortem hæredis] *leg. si fuerit de legat.*3. hoc autem tacite fieri potest, non nominatim, vtputa à Titio substituto, exhæredati legatarij. *l. cum quidem C. de legat.*

Post mortem hæredis] Quod olim non fuit in legatis. *tit.*24.§.8. *sup. eod.*

Etiam non confirmatis] 2. *Caius* 7.§.9. *Paul.* 4. *sent.* 1.§.10.

Item Græce] *l. fideicommissa in princ. de legat.* 2. *Goth. ad l.*11. *de legat.*3.

Licet legatum Græce] Quæ sunt iuris ciuilis, Latine, quæ iuris gentium qualibet lingua. *l. an vtilis in fin. de accept.* Testamenta igitur Latine fiunt, vnde merito dubitatur in *l. qui testamento* §. *veteres de testam.* an testes ad testamentum adhibiti Latine scribere debeant. Sed hoc Impp. emendarunt, *l. hac consultissima.* §. *final. C. de testam. l. vlt. C. de testam. tut. l. directas C. de testam. man.* Si quandoque stipulationem contendas esse Iuris gentium, hæc vere mascula erit ratio. nam stipulatio qualibet lingua semper fieri potuit. *Cuiac. hic.*

Quamuis ab eo] & in eo differt fideicommissum à legato.

Legari non possit] *tit.*24.§.24. *sup. eod.*

Quamuis ex directo hæres] In confirmatis omnia directo relinqui possunt, excepta hæredita-

ditate. Codicillis confirmatis hæres institui non potest: quamuis iisdem confirmatis restituendi iussio comprehendi vtiliter possit.

Per formulam] id est, per actionem, vt formula hypothecaria, *& in tit.* 19. formula communi diuidundo, familiæ erciscundæ, finium regundorum. Actio porro nihil aliud est quam formula. *Cuiac. hic & Paci.*

Qui fideicommissarius] §. 1. *de fidei. hared. l. is cui legatum de condit. & demonstr. l. Licinius quibus ad libert. proc. non lic. leg. quæsitum* §. *pen. de legat.* 3. *leg.* 2. *C. qui poti. in pig. l.* 2. *de orig. iur. Cuiac. hic.*

Qui fideicommissarius] De prætore fideicommissario adde *d. l.* 2. §. 32. *ff. de orig. iuris. l.* 78. §. 6. *ff. de legat.* 3. *l.* 4. *in fin. ff. qui ad libert. Gothofred. hic.*

In prouinciis vero] *l. cum etiam C. de reb. cred.* Hodie fideicommissa per actionem petuntur, & omnino sublatæ sunt à Iustiniano legatorum & fideicommissorum differentiæ.

Pœnæ causa] In eo fideicommissa olim etiam non differebant *tit.* 24. §. 17. *sup. eod.*

Incertæ personæ] In eo quoque olim conueniebant fideicommissa & legata, *tit.* 24. §. 18. *sup. eod.*

Trebelliano senatusconsulto] *vid. Inst. de fideicommiss hæred. & ad S.C. Trebell.*

Vel deducta] Legendum, vt. Hæc vero de Pega-

Pegasiano & Trebelliano fusius explicantur in Instit. Iustiniani, neque desiderant interpretationem. *Cuiac.*

Communicantur] Communicantur, inter, &c.

Partis] §. 6. *Inst. de fideicommiss. hæred.*

Partis autem] stipulationes partis & pro parte, quid.

Damnosam hæreditatem] vel suspectam *d.* §. 6. *vers. sed si recusatus scriptus hæres.*

Tacitam fidem] Tacita fides, si quis non palam rogatus, in fraudem legis tacite promittat, se id quod accepit, cœlibi aut orbo redditurum. *leg. in fraudem de his quibus vt indig. l. in tacitis de legat.* 1. Extat præclarum exemplum taciti fideicommissi apud Marcum Fabium Quintilianum Auum in Declamat. cccxv.

Senatus censuit] Planciano S. C. *l. beneficio ad l. Falcid.* Igitur si de hæreditate incapaci restituenda promiserit, primum omnium hæreditas fisco vindicatur, nec si exhausta sit hæreditas, Falcidia retinetur, verum Falcidia fisco applicatur ex rescripto Diui Pij *l.* 3. *C. ad l. Falcid. l. hæres ff. de his quib. vt indign. Cuiac. hic & Paci.*

Si liberos habeat] scriptum oportuit: si ex liberis existat. Idque liquido constat ex his quæ dicta sunt *tit.* 18. *sup.*

Libertas dari] *vid.* §. 2. *Inst. de sing. reb. per fideicomm.*

Tit. XXVI. De Legitimis heredibus.

INtestatorum ingenuorum hereditates pertinent primum ad suos heredes, id est, liberos qui in potestate sunt, cæterosque qui in liberorum loco sunt. Si sui heredes non sunt, ad consanguineos, id est, fratres & sorores ex eodem patre. Si nec hi sunt, ad reliquos adgnatos proximos, id est, cognatos virilis sexus, per mares descendentes, eiusdem familiæ: id enim cautum est lege duodecim Tabularum, ac si intestatus moritur, cui suus extabit heres, nec adgnatus proximus familiam habeto.

Si defunctus sit filius ex altero filio mortuo, iam nepos vnus, vel etiam plures, ad omnes hereditas pertinet, non vt in capita diuidatur, sed vt in stirpes, id est, vt filius solus mediam partem habeat, & nepotes quotquot sunt alteram dimidiam. Æquum est enim nepotes patris sui loco succedere, & eam partem habere, quam pater eorum si viueret, habiturus esset.

Quandiu suus heres speratur heres fieri posse, tandiu locus agnatis non est: velut si vxor defuncti prægnans sit, aut filius apud hostes sit.

Agna-

Agnatorum hereditates diuiduntur in capita, veluti si sit fratris filius, & alterius fratris duo pluresve liberi: quotquot sunt ab vtraque parte personæ, tot fiunt portiones, vt singuli singulas capiant.

Si plures eodem gradu sunt agnati, & quidam eorum hereditatem ad se pertinere voluerint, vel antequam adierint, decesserint, eorum pars adcrescit his qui adierint. Quod si nemo eorum adierit, ad insequentem gradum ex lege hereditas non transmittitur: quoniam in legitimis hereditatibus successio non est.

Ad fœminas vltra consanguineorum gradum legitima hereditas non pertinet: itaque soror fratri sororive legitima heres fit.

Ad liberos matris intestatæ hereditas ex lege 12. Tabularum non pertinebat: quia fœminæ suos heredes non habent. Sed postea IMPP. Antonini & Commodi oratione in Senatu recitata, id actum est, vt sine in manum conuentione, matrum legitimæ hereditates ad filios pertineant, exclusis consanguineis, & reliquis agnatis.

Intestati filij hereditas ad matrem ex lege duodecim Tabularum non pertinet: sed si ius liberorum habeat, ingenua trium, libertina quatuor, legitima heres fit ex Senatusconsulto Tertulliano: si tamen ei filio neque suus heres sit, quive inter suos heredes ad bonorum pos-

ſeſſionem à Prætore vocatur: neque pater, ad quem lege hereditas, bonorumve poſſeſſio cum re pertinet, neque frater conſanguineus. Quod ſi ſoror conſanguinea ſit, ad vtraſque pertinere iubetur hereditas.

Legitimis hæredibus] id eſt, *de hæreditate ab inteſtato 3. Inſt. 1.*

Primum ad ſuos] §. 1. *Inſt. de hæredit. ab inteſtato vid. Goth. ad l.* XII. *tabul. lib. 2.*

Cui ſuus extabit hæres nec] Hæc ſunt perturbata. Legendum eſt, Ac ſi inteſtatus moritur, cui ſuus hæres, nec extabit adgnatus, &c. & hæc prima legis verba Paulus interpretatur in *l. ſi quis poſthumos* §. *pen. de lib. & poſt. reliqua in l. pronuntiatio de verb. ſignif.* Apparet autem *ex hac* 12. *tab. lege ſuorum nomen eſſe ex* 12. *tab.* quod Calliſtratus tradit in *l. liberorum de verb. ſignif.* Hos enim omnes, inquit ſuorum appellatione lex 12. *tab.* comprehendit. Igitur *in l. vlt. de bon. dam.* In iure ciuili, id eſt, in 12. *tab.* poſſim ſimilia exempla proferre quam plurima, in quibus ius ciuile pro 12. *tab.* accipitur. *vid. Cuiac. & Pacium hic.*

Familiam habeto] *leg.* 195. *in fin. ff. de verb. ſignific.*

Si defunctus] Legendum, ſi defuncti ſit filius, & ex altero filio iam mortuo nepos §. *cum filius de hæred. quæ ab inteſt. defer.* Senſus hic eſt. Nepotes ex filio iam mortuo auo in ſtirpes

cum

tum patruo succedere. Plane sunt hæ perpetuo in liberorum linea obseruandæ regulæ, Proximior vlteriorem non excludit, Hæreditates pro stirpibus diuiduntur, non pro virilibus portionibus, *Cuiac. & Pac. h.*

Vt in stirpes] §. *vlt. in f. Inst. de hæred. ab intest. vid. Goth. ad l. 12. tab. lib. 2.*

Speratur hæres] *l. 3. ff. si pars hæreditat. l. 30. §. 1. ff. de adquir. hæred. l. 5. in fin. ff. vnde legitimi.*

Tandiu locus] Venter seu posthumus agnatos defuncti excludit *l. 26. ff. de statu.*

Agnatorum hæreditates] Ergo superiores duæ regulæ in agnatorum serie non obseruantur. nam etsi sit frater, & filius fratris iam mortui, frater solus succedit. §. *hoc etiam* §. *si plures de legi. agnator. success.* Ex nouella Iustiniani frater non præfertur atque vna fratrum filij succedunt. Vltra fratrum filios in capita fit diuisio, quod & inter ipsos fratrum filios nullis concurrentibus fratribus, obseruari Constantinus probat *lib. 5. epitom. & verum est. Cuiac. h.*

Diuiduntur in capita] *vid. Gothof. ad Nouel.* 118. *c.* 3. *in fin.*

Duo pluresve] *d. c. 3. adde* §. 4. *Inst. de legit. agnator.* 2. *Caius* 8. *c.* 3.

Si plures] *l. si ex pluribus de suis & legit. hær.*

Adcrescit his] §. *vlt. Inst. de S. C. Orphitiano. vid. Gothofred. ad leg.* 9. *ff. de suis.* Add. *Paul.* 4. *sent.* 8. §. *vlt.*

Quod si nemo] In suis, in legitimis nõn est successio. quia, vt Paul. ait *li.4. sentent.* omnis legitima successio proximiori defertur. In honorariis est successio, vt ecce, non petente auunculo magno, succedit propior sobrinus. *l. 2. C. de success. edict.* At filio non adeunte, nepos non admittitur, nisi ex iure prætorio, ex parte vnde liberi. Ex constitut. Iustiniani in legitimis hodie est successio. §. *placebat. de legit. agna. success.* nam & in legitimis tutoribus est successio. *l.3.* §. *pen. de leg. tut. Cuiac. & Pacius h.*

In legitimis] Secus in hæreditariis *leg. 2.* C. *de successorio edicto.*

Vltra consanguineorum gradum] idque iure ciuili & l. Voconia institutum, Paul. 4. *sent.* 8. §. 3. *de lege Voconia vid. Cuiac. ad tit. Inst. de l. Falcid. Gothof. hic.*

Ex lege 12. tabularum] *vid. Goth. in not. ad ll. 12. tab. lib. 2.*

Non pertinebat] *Instit. de S. C. Tertull. & in princ. de S. C. Orphit.*

Imperatorum, Antonini & Commodi] *l. sacratissimi ad S. C. Tertull.* quam & S. C. secutum est, quod dicitur Orphitianum.

Vt sine in manum conuentione] etiamsi vulgo quæsiti sint liberi. *vid. tit. 9. sup. eod.*

Ex lege 12. tab.] *Goth. ad ll. 12. tab.*

Non pertinet] *Institut. de S. C. Tertull. in princ.*

Ex

Ex S.C. Tertulliano] Quod factum est Diui Pij temporibus.

Si tamen] quando mater succedat filio.

Quive inter suos] vtputa emancipatus.

Neque pater ad quem lege hæreditas] Hæreditas aut bonorum poss. vnde legitimi, si in emancipatione manumissor extiterit.

Bonorum possessio] vnde decem personæ, si in emancipatione manumissor non extiterit. *l. si ad patrem de suis & legit. hær. §. sunt autem de bonor possess.* Si ex testamento præteritus sit, non manumissori datur querela. *l. 1. §. final. si à parent. quis fuer. manum.* manumissori bonorum possessio contra tab. vt manumissori, querela vt patri. *l. si à milite §. final. de milit. testam. l. pater filium. l. filio §. 1. de inofficioso testam.* ex Iustiniani constitutione pater pro manumissore semper habetur, id est, contraxisse fiduciam semper videtur. *Cuiac. h.*

Ad vtrasque] Ad matrem pro dimidia, si filia decesserit, pro virili, si filius. *l. 2. C. Theod. de secund. nupt. sed hæc vt sint à Iustiniano mutata, vid. in Instit.*

Tit. XXVII. De Libertorum successionibus vel bonis.

Libertorum intestatorum hereditas primum ad suos heredes pertinet: deinde ad

eos quorum liberti sunt, velut patronum, patronam, liberosve patroni.

Si sit patronus & alterius patroni filius, ad solum patronum hereditas pertinet.

Item patroni filius patroni nepotibus obstat.

Ad liberos patronorum hereditas defuncti pertinet, vt in capita, non in stirpes diuidatur.

Legitimæ hereditatis ius quod ex lege duodecim Tabularum descendit, capitis minutione amittitur.

Ad suos hæredes] *Instit. de success. libert. in princ.*

Patroni nepotibus obstat] *l. 23. §. 1. ff. de bon. libert. in princ.*

Ad liberos patronorum] *l. si libertus præterito §. vlt. de bon. libertor.*

Vt in capita] *vid. Goth. in notis ad l. 23. in f. ff. de bonis libertor.*

Legitimæ hæreditatis] Hæc sententia de ingenuorum sententia accipienda est. *l. capit. de suis & legit. hæred.* non libertorum *d. l. si libertus præterito in princ.* eademque de tutela legitima diximus *tit. 2.* nec vero quispiam ex inscriptione huius tituli argumentetur: nam eæ sectiones non sunt Vlpiani, quinimo sunt, omnia meo iudicio legenda vno contextu. eis quidem certe nihil est inconcinnius, ait *Cuiac. & Pacius hic.*

Tit.

Tit. XXVIII. De Possessionibus dandis.

BOnorum possessio datur, aut contra tabulas testamenti, aut aduersus tabulas intestati.

Contra tabulas bonorum possessio datur liberis emancipatis, testamento præteritis, licet legitima ad eos non pertineat hereditas.

Bonorum possessio contra tabulas liberis tam naturalibus, quam adoptiuis datur. Sed naturalibus quidem emancipatis: non tamen & illis, qui in adoptiua familia sunt. Adoptiuis autem, his tantum qui in potestate manserunt.

Emancipatis liberis ex edicto datur bonorum possessio, si parati sunt cauere patribus suis qui in potestate manserunt, bona, quæ moriente patre habuerunt, se collaturos.

Secundum tabulas bonorum possessio datur scriptis hæredibus, scilicet si eorum quibus contra tabulas competit, nemo sit, aut petere nolint.

Etiam si iure ciuili non valeat testamentum, forte quod familiæ mancipatio vel nuncupatio defuit, si signatum testamentum sit, non minus quam septem testium ciuium Romanorum signis, bonorum possessio datur.

Intestati datur bonorum possessio per septem gradus. Primo gradu liberis: Secundo legitimi

gitimis heredibus: Tertio proximis cognatis; Quarto familiæ: Quinto patrono, patronæ, liberisve patroni, patronæve: Sexto viro, vxori: Septimo cognatis manumissoris, quibus per legem Furiam plus mille asses capere licet, si nemo sit ad quem bonorum possessio pertinere possit: aut si quidem, sed ius suum omiserit, populo bona deferuntur ex lege Iulia caducaria.

Liberis bonorum possessio datur, tam his qui in potestate vsque in mortis tempus fuerunt, quam emancipatis, item adoptiuis, non tamen etiam in adoptionem datis.

Proximi cognati bonorum possessionem accipiunt, non solum per fœminini sexus personam cognati, sed etiam agnati capite deminuti. Nam licet legitimum ius agnationis capitis minutione amiserint, natura tamen cognati manent.

Bonorum possessio datur parentibus & liberis intra annum, ex quo petere potuerunt: ceteris intra centum dies.

Qui omnes intra id tempus si non petierint, ad bonorum possessionem sequens gradus admittitur: perinde ac si superiores non essent, idque per septem gradus fit.

Hi quibus ex successorio edicto bonorum possessio datur, heredes quidem non sunt, sed heredis loco constituuntur beneficio Prætoris. Ideo-

Ideoque seu ipsi agant, seu cum his agatur, fictitiis actionibus opus est: in quibus heredes esse finguntur. Bonorum possessio aut cum re datur, aut sine re. Cum re, si is qui accepit cum effectu bona retineat; sine re, quum alius iure ciuili euincere hereditatem possit: veluti si suus heres intestato sit. Bonorum possessio sine re est, quum suus heres euincere hereditatem iure legitimo possit.

De possessionibus] 3. *Inst.* 10. 37. *ff.* 1.

Contra tabulas] § 2. *sup. eod.*

Aduersus tabulas] §. 5. *inf. eod. id est, secundum vid. tit.* 20. §. 14. *sup. eod.*

Intestati] Legendum, aut intestati.

Contra tabulas] §. 3. *Inst. de bonor. poss.* & 37. *ff* 4. & 6. C. 12.

Emancipatis] imo & suis, siue sint naturales, siue legitimi, siue posthumi. §. 3. *infr. eod.* Sed non est necessaria iure ciuili. *Cuiac.* & *Gothofred.*

Tam naturalibus] *l.* 1. *ff. de bonor. poss. contra tabul.*

Non tamen & illis] Eos qui in adoptiua familia sunt, Prætor non nouit, non vocat inter suos. Vnde consequens est, inter legitimos quoque eos non vocari. nam qui sui non sunt, proculdubio nec legitimi sunt. *l. scripto. vnde lib. l. de bonis* §. 1. *de Carboniano edicto. Cuiac. h.*

Si parati sunt cauere] *l.* 1. §. 9. *ff. de collat.*

Patribus] Manifestum est, legi debere, fratribus, cauere autem debent, vel re ipsa conferre.

Secundum tabulas] *vid. tit. C. de bonor. poss. secundum tab. 6. C. 11. ff. si tabulæ testamenti extabunt. add. §. 3. vers. secunda. Inst. de bonor. possess. & 6. C. 12. de bonor. possess. secundum tab. Gothofred. hic.*

Scilicet si eorum quibus contra tabulas] Nam prior est contra tabulas quam secundum tabulas. inde ex prima parte, vel ex primo edicto bonorum possessionem dari, id est, contra tabulas *l. ideoque l. scriptus de Carbon. edict. l. 2. de bon. liber. Cuiac. hic.*

Etiamsi iure ciuili] Inde edictum translatitium Verris, si de hæreditate ambigitur, & tabulæ testamenti obsignatæ non minus multis signis quam è lege oporteat, ad me proferentur: secundum tabulas testamenti potissimum hæreditatem dabo. qua de re & in *t. 23.* diximus. ait *Cuiac. hic.*

Non minus] *tit. 23. §. 6 sup. eod. l. 2. C. de bonor. possess. secund. tab.*

Septem gradus] Omissa est bonorum possessio, vnde decem personæ: sed si pater manumissor sit, sane verum est, septem duntaxat gradus esse.

Secundo legitimis] inter quos & Patroni sunt Patronorumque liberi.

Tertio

Tertio proximis cognatis] Tertio decem personis, quas extraneo manumissori præferebat. *vid.* §. 3. *Inst. de bonor. poss.* sed hæc successio hic omittitur.

Quarto familiæ] id est, agnatis Patroni, hæc dicitur, Tum quem ex familia. sic enim lege in Institutionibus Iustiniani. ait *Cuiac.h.*

Si nemo sit] Hoc est, initium alterius sententiæ.

Ex lege Iulia caducaria] de hac *in l. quidam* §. *quotiens de legat.* 1. item *in l. ergo* §. *eadem constitutio, de fideicomm. lib.* in illo loco, quare & si caducis legionis, vel, vt alij codices habent, caducis legionibus, bona delata sint, idem erit probandum : nam caducariis legibus, legendum esse omni asseueratione confirmamus, id est, legibus Iuliis. quæ enim delata dicuntur, legibus delata vt sint, necesse est. denique hoc significat, vacantibus bonis fisco vindicatis constitutionem cessare. *vt in l. quod Diuo de manum. testam.* Hæ vero notæ *Cad. leg.* errori causam dedere. *Cuiac. & Pac. h.*

Liberis bonorum] *vid. tit. ff. vnde liberi.*

Ex successorio edicto] successorium edictum eo dicitur, quod det successionem inter bonorum possessores : quanquam & eam quoque clausulam contineat, quæ definit tempora petendæ bonorum possessionis. Cæterum ex illa potissimum parte appellationem sumit, qua

in

in locum eorum, qui intra tempora petitionis bonorum possess. non admiserunt, sequentes vocantur, qui & ob eam causam ex successorio edicto, ex successoria parte, ex beneficio successorij edicti, ex successorio capite, venire dicuntur. *l. vlt. l. 1. §. sed videndum. de success. edict. l. vlt. C. eod. l. 1. §. pen. de iur. & fact. igno. Cuiac. & Pacius hic.*

Si suus hæres intestato] Hæc ab interpunctionibus mendosa sunt. nam sic distingui ea oportet: Si suus hæres intestato sit bonorum poss. sine re est, cum, &c. *Cuiac. h.*

Tit. XXIX. De Bonis libertorum.

Ciuis Romani liberti hereditatem lex duodecim Tabularum patrono defert, si intestato sine suo herede libertus decesserit. Ideoque siue testamento facto decedat, licet suus heres ei non sit, seu intestato, & suus heres ei sit, quanuis non naturalis, sed vxor puta quæ in manu fuit, vel adoptiuus filius, lex patrono nihil præstat. Sed ex edicto Prætoris si testamento facto libertus moriatur, aut vt nihil, aut minus quam partem dimidiam bonorum patrono relinquat contra tabulas testamenti, partis dimidiæ bonorum possessio illi datur, nisi libertus aliquem ex naturalibus liberis successorem sibi relinquat, siue intestato decedat, & vxorem forte in manum vel adoptiuum

ptiuum filium relinquat, æque partis mediæ bonorum possessio contra suos heredes patrono datur.

In bonis libertę patrono nihil iuris ex edicto datur. Itaq; si intestata moriatur liberta, semper ad eum hæreditas pertinet.

Licet liberi sint libertæ, quoniam non sunt sui heredes matri, obstat patrono lex Papia Popæa. Postea libertas quatuor liberorum iure tutela patronorum liberauit, & cum intulerit, iam posse eas sine auctoritate patronorum testari, prospexit vt pro numero liberorum libertæ superstitum virilis pars patrono debetur.

Liberi patroni virilis sexus, eadem iura in bonis libertorum parentum suorum habent, quæ & ipse patronus. Fœminæ vero, ex lege quidem XII. Tabularum, perinde ius habent, atque masculi patronorum liberi.

Contra tabulas autem testamenti liberti, aut ab intestato contra suos heredes non naturalis bonorum possessio eis non competit. Sed si ius trium liberorum habuerunt, etiam hæc iura ex lege Papia Popæa nanciscuntur.

Patronæ ex bonis libertorum illud ius tantum habent, quod lex XII. Tabularum introduxit. Sed postea lex Papia patronæ ingenuæ duobus liberis honoratæ, libertinæ tribus, id iuris dedit, quod patronus habet ex edicto.

Item

Item liberis ingenuæ trium libertorum iure honoratæ eadem lex id ius dedit, quod ipsi patrono tribuit.

Ciuis Romani] *In Latino secus est* §. *vlt. de success. libert. l.* 1. *C. Theod. de petit. hæred.*

Aut nihil] Legendum; & aut nihil, §. 1. *de success. libert.*

Æque partis dimidiæ] Hæc est quinti gradus bonorum possessio: quæ & nullis extantibus suis hæredibus patrono dabitur; si bonorum possess. vnde legitimi non admiserit: nam sibi ipsi succedi posse iam pridem receptum est. *l.* 1. §. *sed an. de success. edict. Cuiac. & Pac. hic.*

Ex edicto datur] Nam de liberto prætor edixit, non liberta: & de suis hæredibus, quales fœmina non habet.

Hæreditas pertinet] Ergo *l.* 12. *tabular.* non Prætoris edicto quæ sequuntur ita restituenda sunt. Nam licet liberi sint libertæ, quoniam non sunt sui hæredes matri, non obstant patrono. Lex Papia Popæa, libertas; Ait, non obstant patrono. Hoc vtique verum est antiquo iure. nam post Senatusconsultum Orphitianum liberi intestatæ libertæ patronos excludunt. *l.* 1. *in princ. &* §. *si nemo ad Tertull. Ait Cuiac. & Pacius hic.*

Virilis pars] Eadem lex cauet, vt liberto testato, vel intestato defuncto relicto vno, vel

vel duobus liberis, patronus virilem, relictis tribus, vt nihil auferat, & vt ita demum quando pauciores sunt quam tres, viriles auferat, si libertus centenarius sit. §. *postea de success. lib.* Ex quibus apparet, quantum inter libertum & libertam intersit. quod & Valent. *in Nouel. de libertis* probat. *Cuia. hic.*

Fœmina vero] Iure antiquo, quo & hodie vtimur, inter liberos patroni nulla est differentia sexus: Prætorio iure plus tribuitur masculis quam fœminis. *Cuiac.*

Non naturalis] pro non naturales. *Cuiac.*

Patrona] est differentia inter patronum & patronam, non quidem ex 12. *tab.* sed ex *lege Papia*: nam licet nullis extantibus suis hæredibus, quo casu locus est legi 12. tab. idem patronæ ius, quod patrono sit: iure tamen prætorio non aliter patronæ datur bonorum possessio contra tab. vel ab intestato contra suos hæredes, non naturales, quam si ingenua duobus, libertina tribus liberis honorata sit. *Cuiac. h.*

Patrono] Legendum patronæ.

Honorata] Oneratæ. §. 3. *Inst. de S. C. Tertul.*

FINIS.



